Biblioteca Complutense
Ildefonsina.
17 E.33.c.3. N.4.
1 4

Digitized by Google

DER
N°. 13982

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

ANNO

MDCCXXVII.

publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ET
JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Literis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

Tradimus Tibi Volumen Actorum LIX, si Tomum Supplementorum IX, cujus octo tantum Sectiones adhuc impressæ sunt, computemus. Tantum vero abest, ut ceteris præstantia cedat, ut illa potius quodammodo dici possit superare. Jucunde enim præter alia inde cognosces tot optima Opera in Anglia, maximam partem subscriptionis lege edita, adeoque inde a primo, quo in lucem prodeunt, tempore, non dicam extra Angliam, sed in Anglia ipsa, inventu difficillima ac rarissima. Nec ab ipsis instituti nostri initiis tam felicibus nobis esse contigit, ut ex Lusitania novi libri ad nos perferrentur; quod hoc tamen anno factum esse patet, ut non dissimulandum sit, non tam libros amplius ex oris illis, quam recensores hujus linguæ gnaros nos desiderare. Interim ad Historiæ Litterariæ

Digitized by Google

insigne ornamentum spectat, quod Actorum Academiæ Historicæ Regiæ Lusitanicæ ab A. 1721 & 1725 recensum dedimus hoc anno satis amplum, ut alia nunc taceamus. Optandum jam nobis foret maxime, ut in Hispania pariter reperiatur, qui commercium nobiscum instituere aveat. Nec defuere etiam, quæ in Italia, Gallia, Belgio & Germania nostra prodiere, in quibus exstitere etiam, quæ non in omnibus tabernis prostant. Reperti quidem sunt inter novos, Belgii maxime, Litteratores, qui splendidas suas Autorum editiones, quas quotidie protrudunt in forma quarta, non satis subinde a nobis laudatas, scaphamque scapham appellatam, indigne tulerunt; & visi nobis sunt valde ridiculi Typographi nonnulli Belgæ, qui cum animadverterent, censuris nostris justis unum alterumve emptorum abstrereri, a nobis datis literis rogarunt, ne librorum a se impressorum mentionem ullam faceremus in Actis nostris; qui nesciunt profecto, nos in illis condendis non id curare, quod typographorum, sed quod lectorum doctorum emptorumque potius interest. Quare si bonos & probe elucubratos produxerint Autores, non est, ut fugiant nostra elogia, sin parum præstiterint, præter externum ornatum, penes ipsos haud stabit, num sententiam nostram expromere, an tacere potius malimus. Si quis tamen se injuria a nobis provocatum crediderit, ei jus inculpatæ tutelæ minime denegabimus, parati quippe Actis inserere, si quid modeste reponendum habuerit, & vel moderaturi judicium nostrum, vel ejus rationem reddituri accuratius. Vale.

Digitized by Google

No. I.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januariis Anno M DCC XXVII.

COLLECCAM DOS DOCUMENTOS, STATUTOS e memorias da Academia Real da Hiſtoria Portugueza.

h. e.

COLLECTIO DOCUMENTORUM, STATUTORUM & Commentariorum Academiæ Regiæ Hiſtoricæ Luſitanicæ, inde ab A. 1721 ad 1725 compoſitorum, & juſſu Cenſorum Academiæ editorum; dedicata Auguſtiſſimo Regi & Protectori, & in ordinem redacta a Comite de VILLARMAJOR, Academiæ Secretario.

Tomi V.

Ulyſſipone occid. apud Paſcoal da Sylva, 1721--1725 fol. Alph. 33.

QVanquam plures Viri eruditiſſimi omnem curam cogitationemque ad antiqua hiſtoriæ monumenta perſcrutanda contulerint, ac nihil reliqui fecerint, quod ad univerſam in luce collocandam pertinebat, attamen ſuperante laborem rerum multitudine ac varietate, factum eſt, ut ex tenebris eruenda in quavis illius parte haud pauca ſuperſint. Igitur permagnam ab omnibus hiſtoriæ ſtudioſis gratiam inivit Illuſtriſſimus Comes *de Villarmajor* (quem primi hujus operis Voluminis titulus indicat, ſeu, ut in ceteris vocatur, *Emanuel Tellez de Sylva*, Marchio *de Alegrete*, quem eundem eſſe opinamur) qui, Academia, cui a ſecretis eſt, re-

Digitized by Google

giis auſpiciis Ulyſſipone in hunc finem ſtabilita, id operam dedit, ut Hiſtoria Luſitana, multis adhuc obſcuritatibus involuta, magnisque defectibus laborans, ſincere ac integre literis mandetur. Quando illa ceperit initium, moneta in ejus memoriam cuſa & Regi ab Academia oblata declarat, cujus prima facies exhibet vultum Regis cum inſcript. JOHANNES V LUSITANORUM REX, altera vero Regem ſtantem, qui adgeniculantem (hactenus fere jacentem) Hiſtoriam manu allevat, cum lemmate: HISTORIA RESURGES; infra leguntur verba in compendium redacta ſequentia: *REGia ACADemia HISToria LUSITanæ INSTITuta VI IDus DECembris* M D CC XX. Membrorum hujus Academiæ numerus, ut ex ſtatutis patet, quibus de electione Academicorum, eorumque munere, directore, cenſoribus quatuor, ſecretario, miniſtris, Academiæ inſignibus & ſigillo agitur, ad quinquaginta aſſurgit, eorumque nomina peculiari hic indice comprehenduntur. Singulis aſſignatæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica vel Civili, Latine vel Luſitanice ſcribenda, partes, ſub rubrica, *Diſtribucao dos Empregos Academicos* memorantur. Leges ipſis præſcriptæ, quæ in utraque concinnanda obſervari debent, & ſub titulo: *Syſtema da Hiſtoria Eccleſiaſtica & Secular de Portugal* referuntur, eo tendunt, ut in hiſtoria Eccleſiaſtica cujuslibet diœceſeos præſides, ſynodi & concilia, templa, monaſteria, Academiæ, Viri ſancti aut illuſtres, loca miraculis & reliquiis clara &c. duodecim capitibus ſigillatim deſcribantur, hiſtoria autem civilis variarum gentium dominationis, Romanorum, Gothorum, Maurorum, periodos, Regum Genealogiam, fata, res geſtas, bella, quæque his in Aſiæ, Africæ & Americæ regionibus parta fuerint, legationes & fœdera omniaque reliqua ad ſtatum regni politicum & militarem pertinentia enarret. Prima Luſitaniæ ſacræ, eaque maxima & clariſſima pars erit hiſtoria Eccleſiaſtica transmarina, Aſiatica, Africana & Americana, de qua *Roderici Coſtii*, cui illius ſcribendæ munus a Rege demandatum fuit, Epiſtola Latina ad Comitem Villarmayorium legi præ ceteris meretur. Atque huic fini obtinendo, Academici provinciales collecta ex totius regni tabulariis & excerpta ad Academiam mittere tenentur, vi mandati regii, quod hoc Tomo ſub titulo: *Memoria das noticias que ſe devem man-*

Digitized by Google

mandar dos Archivos do Reyno fuse exponitur. Congressus & colloquia singulis quindecim diebus habenda sunt, & ea, quæ Tomo I recensentur primo loco, deliberationes ad ordinandam academiam spectantes, quæstiones & dubia, de methodo hanc vel illam historiæ partem tractandi, difficultates in singularum illustratione removendas, propositiones de variis historiæ Ecclesiasticæ & civilis capitibus, necessariis ad ea monimentis exquirendis aut jam collectis, vel alias disquisitiones generales & relationes de Academicorum institutis continent. Sic, ut Ecclesiastica nunc fere prætermittamus, quæ maximam quidem operis partem implent, de Rege Duarte, de Ofura cum Ophir Salomonis collata, de Regis Sebastiani historia, de *Barbosæ Machado* Bibliotheca Lusitanica 5000 scriptoribus constante, de vita Sanchonis II & Alphonsi III, de Regis Emanuelis historia, de historicis dubiæ fidei in primi regis Lusitaniæ Henrici, item Johannis I & Johannis III vitis, de vitis Regum Sanchonis I & Alphonsi II, de inscriptionibus quibusdam Romanis, L. Portio, C. Numisio & Æsculapio dicatis, Salaciæ (*Alcacar do Sal*) & Santiaci (*Santiago de Cassem*) repertis disseritur, ac de familia inter Romanos clara Portiorum, origine & antiquitate urbis *Santiago de Cassem*, & *Andreæ Resendii* fabula de arcu quodam triumphali in urbe *Castro Verde* vocata, disquiritur, item de Goa, de nonnullis regni tabulariis, de concilio Braccarensi, de nomine *Port a Port*, de Regis Sebastiani vita, de Regum Johannis I & Johannis III vitis, de fide & autoritate quorundam historicorum dubia visa Academicis, ubi *Catalogus Autorum suppositorum* additur, & Berosus Chaldæus, Megasthenes Persa, S. Athanasius de Saragossa, Caledomius Episcopus Bragensis in vita S. Petri, Gregorius Beticus in catalogo martyrum Hispaniæ, Lucius Flavius Dexter, Marcus Maximus, Braulio, Maximi continuator, Ludov. Brandus, Haubertus Hispalensis, Liberatus, Aulus Halus, Servandus, Petrus Seguinus, Haleca, Julianus Perez, tanquam subdititii, familia subinoventur; cui observationi duodecim regulæ criticæ in historia ecclesiastica observandæ annectuntur. Præter colloquia Dissertationes aliquot & Orationes huic tomo insunt, & prima quidem Diss. cujus Autor *Don Luis de Lima* est, de novo quarundam vocum Latinarum

usu in historia ecclesiastica & seculari permittendo ac licito agit, quam sententiam *Hieronymus Godinius*, Nizensis, in secunda, de novatis sacrorum magistratuum nominibus, confirmat. Tertia, Autore *Emanuele Azevedo de Soares*, historico-juridica, potestatis Judæorum in mancipia Christiana, sub imperio Romanorum, limites designat, eosdemque *Alvarez de Costa* sequenti dissertatione prolixius ostendit. Ad Orationes pertinet I elogium socii cujusdam academici defuncti, *Julii de Mello de Castro*, quo ingenii ejus ad poesin aptissima dexteritas, & fœcundissimæ imaginationis ad Lyricos versus lingua Hispanica & Lusitanica pangendos vires, laudibus in cœlum tolluntur, ejusque poema *Romance heroico* dictum, ac opus *de vita Comitis Das Galveas*, prosa non minus eleganter scriptum, maxime prædicatur. II Panegyricus, quem Illustr. *Comes de Ericeira* in electionem summi Pontificis Innocentii XIII recitavit, doctus plane & venustus, quo antiquissimam ejus familiam & egregia merita amplissime viginti foliis percensetur. III Patris *Cajetani de Susa* sermo, quo ultimum primi hujus anni colloquium clausit, eoque insignium Academiæ formam decussatam, ac palmis duabus ornatam, in cujus medio veritas cubo innixa, cum inscriptione : *OMNIA RESTITUET*, conspicitur, disertissime & magno eruditionis apparatu explicat, ac Regi, ceu Genio tutelari, Academiam submisse commendat. Hactenus de Tomo I.

Tomo II inter alia de Rege Immanuele ac tribus ejus uxoribus, Isabella, Maria, Eleonora, filiisque & filiabus, de Alphonsi I filio, D. Fruela, & D. Aurelio, Tributi cujusdam centum virginum annui, Regis Cordubensis Abdorrahmani lascivæ exponendarum fundatore, de origine vocis *Lisboa* Arabica, illius urbis antiquitate, variisque Latinis nominibus, de controversia ob Insulas Moluccas inter Regem Lusitaniæ & Castellæ orta, & Geographicis in ea difficultatibus, de nonnullis ad Historiam Regis Johannis I & Alphonsi II pertinentibus, de ordine inter milites principe, *d'Aviz*, de Historicis scriptoribus hæreticis caute legendis, & de trium primorum seculorum historia ecclesiastica secundum regulas criticas scribenda, de Rege Sebastiano, de vita Regis Sanchonis II, ejusque scriptoribus parum exactis,

Digitized by Google

ctis, de difficultatibus hiſtoricis in vita Johannis II, de Rege Dionyſio, de adventu Tubalis in Hiſpaniam, de miniſtris Regis Duartis, de variis quæſtionibus ad Hiſtoriam & Geographiam Africæ, Æthiopiæ, Indiæ, Americæ Luſitanicæ ſpectantibus, in harum regionum expugnationis hiſtoria diſcutiendis, e.g. num credibiles ſint actiones militares Luſitanorum in his oris celebratæ? num juſtæ fuerint earum oppugnationes? num Græci, Romani, Carthaginenſes aut aliæ nationes per Oceanum Atlanticum in Indiam navigarint? num Reges, Bethlehemum profecti, ex Malabaria venerint? num S. Thomas in India & China prædicarit evangelium? quale fuerit regnum reginæ Candacis, cujus Eunuchum S. Philippus convertit? num America ſit inſula aut continens Europæ pars? quinam poſt diluvium illam inhabitarint? Tum porro agitur de Regibus, Sebaſtiano, Sanchone II, & Bermudo, qui, ut centum virginum tributo ſe liberaret, bellum intulit Saracenis, de Hiſpaniæ diœceſium per Conſtantinum M. facta diviſione, de Catalogo Chronologico-Hiſtorico-Genealogico-Critico Reginarum Luſitaniæ ſcribendo, deque hiſtoria Ordinum militarium componenda, de vitis Sanchonis I & Alphonſi II, de origine nominis Luſitaniæ, de Geographia Indiæ exactiori neceſſaria, de hiſtoria Petri I & Ferdinandi, de Regina Catharina & Regibus Sanchone II, Alphonſo III, Johanne I, II, III, IV, de Miranda, a Romanis Contia dicta, & hujus vocis etymologia aliisque ei homonymis civitatibus, de claris Luſitanis in hiſtoria Romana & Luſitanica, de diviſione Luſitaniæ tempore Romanorum. Accedit his relatio de inventis paſſim documentis in variis regni monaſteriis, quæ prolixius hic recenſentur. Inter Orationes, colloquiis inſertas, prima eſt Marchionis Allegretenſis, qua ſecundi hujus anni congreſſum auſpicatus eſt. II Elogium *Franciſci de Almeida*, Academici defuncti, qui ob linguarum, Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Hiſpanicæ peritiam ſingularem, & inſignem eloquentiam, qua Reginas Luſitaniæ & alias ſummates Matronas deſcripſerat, deprædicatur. III Sermo, quo Regi ob exemptionem librorum Academiæ a cenſura ſupremi tribunalis, *Decambargo do Paco* dicti, gratiæ aguntur. IV & V Panegyrici duo in die natali Reginæ & Regis

recitati. VI. Concio, qua hujus anni colloquiis Marchio de Alegrete clauſulam imponens, circulo figurarum perfectiſſimo Academiam aſſimilat, cujus centrum Regem appellat, miro comparationum artificio uſus. Diſſertationes hæ ſunt: I Judicium de Petro Rege I, quem juſtum potius quam Crudelem vocandum, aſſeritur; II de adventu S. Jacobi in Hiſpaniam, qui pluribus argumentis probatur; III, de primo ſeu potius unico prædicatore Evangelii in Luſitania totaque Hiſpania, ubi de ſancto Jacobo fuſius diſputatur, & S. Paulum Hiſpaniæ Apoſtolum eſſe, ſolutis omnibus objectionibus, demonſtratur.

Tomo III, qui, æque ac quintus, in eo a ceteris differt, quod paginarum numerus, quem illi vel repetunt per ſingulos congreſſus, vel plane omittunt (uti nec congreſſus ſinguli numeris, nec charta alphabetis diſtinguitur) juſta ſerie acceſſit, agitur imprimis de Rege D. Ramiro p. 37, de vitis Regum Sanchonis I & II parum hactenus exactis p. 43, de hiſtoria Regis Johannis III p. 47, de examinandis ſcriptoribus vitæ Reginæ Iſabellæ, & Chronico Regis Dionyſii a Rui de Pina ſcripto p. 48, de fabula Geryonum & Herculis p. 51, de hiſtoria Inſulæ Melitæ p. 53, tum de vitis Regum Petri I & Ferdinandi p. 68, de Sanchonis II hiſtoria p. 81, & Johannis II p. 95, de hiſtoria Fœderum & pactorum regni Luſitaniæ colligenda, & ſingularibus quibusdam conventionibus, ſimul expoſitis, aliisque Fœderum ejusmodi collectionibus jam editis, p. 102, de Imhoffii hiſtoria Genealogica Regum Luſitaniæ, de qua judicium additur, p. 220, de bello inter Sanchonem I & Regem Legionis ejusque cauſis hucusque obſcuris, p. 235, de Geographia Luſitaniæ exactiori perficienda p. 258, de hiſtoria eccleſiaſtica Algarbiæ, & hujus nominis origine Arabica, p. 282, de antiquis Laconiæ, hodie *Lamego* dictæ, incolis p. 285, de erroribus ſcriptorum vitæ Sanchonis II p. 313, hiſtoria Alphonſi M. p. 330, Johannis II & Immanuelis p. 334, de primo Luſitaniæ Rege Henrico ejusque viſione in bello contra Mauros, quam *Ludovicus de Camoens*, Poetarum Luſitanicorum princeps, deſcripſit, & ex eo aliisque hiſtoricis illius miraculi veritas demonſtratur, p. 338, de Regis Dionyſii vita p. 335, de parte hiſtoriæ Fœderum, ad commercia & navigationem ſpectan-

Digitized by Google

ctantis, p. 349, de victoria in bello contra Mauros apud urbem Santerenium, novæ militiæ virtute parta, p. 356, & de expugnatione Ulyſſiponis, & regni ſede ibi conſtituta, p. 361. Inter Orationes ſunt ſingulares I Elogium Academici defuncti D. *Ferdinandi de Noronha* Comitis *de Moſunto*. II & III duæ in diem natalem Reginæ & Regis p. 265 & 319. III Marchionis de Valenca, qua ob Principis regii natales Academiæ congratulatur, & multorum Luſitaniæ Regum exemplis virtutum propoſitis, recens natum Principem ſimilem illis fore auguratur. IV Sermo Caetani in fine ultimi congreſſus dictus, quo Academiam cum Rhea magna matre comparat, & omnia quæ in hujus cultu & repræſentatione antiquitas obſervavit, ad illam ingenioſa aſſimilatione refert, imitatus, ut ipſe ait, Virgilium, qui Romam cum Berecynthia, fœcunda illa matre, Æn. VI v. 20 ſeqq. contulerat. Diſſertationes duæ ſunt, quarum prima foliis 106 conſtans, veritas primi concilii Braccarenſis, a Bernhardo de Brito detecti & in Parte ſecunda hiſtoriæ Luſitanicæ luci expoſiti, aſſeritur; altera vero exegetico-critica, folia 54 complectens, fabuloſum illud & ſuppoſitum eſſe probatur, ac in ejus principio monaſterii S. Mariæ de Alcobaca Bibliotheca, totius regni inſtructiſſima, laudatur, e cujus manuſcriptis Bernh. de Brito *Monarchiam Luſitanicam* & Concilium Braccarenſe deprompſit.

In *Tomo IV* memorari merentur: Oratio Marchionis de Abrantes, introitus loco in prima hujus anni ſeſſione pronuntiata, qua Hiſtoriæ leges explicans, ad induſtriam conſtantem Academicos hortatur; & Elogium funebre *Antonii Simoens*, cui hiſtoriæ eccleſiarum Evoræ & Leiriæ ſcriptio demandata fuerat, quam imperfectam reliquit, Viri præter rerum ſacrarum notitiam, haud vulgari Philoſophiæ & Matheſeos ſcientia clari. Singularia inde aſſeruntur de antiqua provinciæ Braccarenſis Geographia tempore Romanorum, Suevorum, Gothorum, de Aquis Flaviis Juliis, colonia Romana, & Aquis Læis, urbe hodie Læis dicta. Nec minus lectu dignus Index Manuſcriptorum Comitis de Vimieiro quadringentorum, quæ ad Hiſtoriam eccleſiaſticam & civilem ac Geographiam pertinent; ac ſequentibus colloquiis porro ſingula in medium proferuntur. De contradictionibus

inde

inde historicis in vita Sanchonis II tollendis agitur. Exponuntur & hic Lusitanorum in Asia & Africa victoriæ tempore Regis Sebastiani, Sanchonis II res gestæ, expugnatio Septæ sub Johanne I. Oratio congressum hujus anni finiens, qua Academia cum figura quadrata, quatuor velut sapientiæ columnis, electis quippe intra quatuor hos annos totidem directoribus prudentissimis, fulta, componitur, & intra hoc quadriennium horrida quatuor monstra, ignorantiam, invidiam, pigritiam, discordiam, debellata esse ab Academicis, prædicatur.

In *Tomo V* de provincia veteri Turdetana, Algarbiæ parte, & ejus incolis singularia memorantur, ut & de Mauris ex Algarbia per Reges Sanchonem I & Alphonsum III ejectis. De inscriptionum in regno Lusitaniæ repertarum collectione, deque erroribus vulgaribus in Historia, Genealogia & Chronologia Regum Lusitaniæ corrigendis consilium aperitur. Origo nominis veteris *Amæa*, quo urbs *Portalegre* notatur, a Cerere fere derivatur; ubi & de Bocharti etymologiis Phœniciis nominum Lusitaniæ & Hispaniæ judicium fertur. Instituitur quoque recensio duorum manuscriptorum ex bibliotheca Comitis de Vimieiro, ad vitam Regis Emanuelis & Johannis III & Lusitaniæ Geographicam ac Politicam descriptionem spectantium; S. Jacobi Majoris iter in Hispaniam ex quingentis autoribus probatur. Agitur & de biographorum Johannis I & Alphonsi II contradictionibus & difficili eorum conciliatione, de Tabulis Geographicis exactioribus concinnandis, & meridiano insulæ Ferri eligendo, de historia Lusitaniæ Regum genealogica in tres partes dividenda, deque manuscriptis nonnullis bibliothecæ Comitis de Vimieiro, historiam & antiquitates Lusitaniæ & Hispaniæ continentibus. Præter Orationes in die natali Reginæ, Regis, & Principis regii habitas, notabilis est ultima, qua Comes de Ericeira conventum hujus anni obsignans, cum Sole Academiam magna eloquentia comparat. Ac quum singulis lustris seu quolibet quinquennio finito, veteres Romani vota pro reipublicæ salute conceperint, hoc Academiæ lustrum votis pro Rege, augustissimo illius Statore, nuncupatis claudit. Inter Catalogos præcipuus hic comparet, qui Pontifices, Cardinales, Archiepiscopos, Episco-

Digitized by Google

ſcopos, natione Luſitanos, extra Luſitaniam his dignitatibus eminentes, recenſet, cum notitia topographica urbium & Eccleſiarum ordine alphabetico, ubi multa memorabilia geographica & hiſtorica, ſcriptoresque rari, ſe offerunt. Sic p. 261 Adrumetum, urbem in regno Tunis ſitam, vulgo Mahometta, Arabice *Mahammetta* vocari, obſervatur; p. 264 de duabus Amyclis agitur; p. 286 de urbe Geographis ignota *Cirindovi*; p. 327 de Sardica Thraciæ urbe, Turcis *Triaditza* dicta; p. 332 de Tiberiade urbe Palæſtinæ, hodie *Tabaria* nuncupata; p. 334 de Tiriſſa, Mœſiæ inferioris urbe, hodie *Ceriſey* dicta, &c. In ipſo vero Catalogo Luſitanorum illuſtrium ſcripta eorum paſſim annotantur, ut Roderici da Cunha p. 69, Ludovici de Cerqueira p. 101, Hieronymi Maſcarenhas p. 161, Hieronymi Pereiræ p. 165, Thomæ de Faria p. 275. Acceſſit etiam peculiaris Index ſcriptorum, ex quibus ille Catalogus hiſtoricus & geographicus deſumtus eſt, ut conſtet, quosnam Autor ignorarit, qui plures illi amplificando aut corrigendo idoneos ad ſuam notitiam perferri optat. Ceterum paſſim in univerſo opere Catalogi inſeruntur Archiep. & Epiſcoporum, aliaque aſſeruntur, quæ ad Hiſtoriam Eccl. Luſitaniæ, Ordinum item, imprimis Melitenſis, Inquiſitionis tribunal & ſimilia ſpectant; immo etiam alia, quæ Luſitaniam primario non concernunt, ut cum T. II de diſciplina Eccleſ. moderna, ejusque cum veteri conſenſu, item de antiquitate dogmatis transſubſtantiationis agitur, ut ceteræ omittamus.

L'ANFITEATRO FLAVIO.

hoc eſt,

AMPHITHEATRI FLAVII VULGO COLOSSEI deſcriptio & deſignatio; Autore CAROLO FONTANA, Equite.

Hagæ Com. apud Iſaac. Vaillant, 1725, fol. ch. aug. Alph. II Tabb. æn. maj. 24.

ANtiquioris Architecturæ reliquiæ, quales in Italia & extra Italiam extant, non tantum oblectationi ſunt curioſis, qui pretium ex raritate æſtimare ſolent, & rerum in modernis non occurrentium conſpectu, tanquam novitatem in ipſa vetuſtate

quærentes, capiuntur: ſed ſolidioribus ingeniis ſerviunt ad lucem inferendam hiſtoriæ veteri, quatenus hæc ex circumſtantiis de locis & functionibus ad certa loca relatis diſtinctionem deſiderat. Architectis autem præcipuæ curæ eſt quicquid Romani ingenii magnitudinem in inveniendis & diſpenſandis harmonicis rationibus ſapit. Quo reſpectu quævis veterum ædificiorum ruinæ Archetypum artis Syſtema ipſo opere exprimere creduntur, quod præſtantiſſimi quivis in arte communi conſenſu ſequuntur. Quamobrem Nobiliſſimum Equitem *Carolum Fontanam* tam erudita & exacta deſcriptione Amphitheatri Flavii, qualem haud facile quisquam circa ullum antiquitatis veſtigium ſuppeditavit, plurimum adjumenti ad artis præſidia attuliſſe cenſebunt, quicunque inter judicioſam œconomiam & confuſam ἀλογίαν diſcernere didicerunt. Abſolvitur opus Libris quinque, quibus præmiſſa eſt generalis de Theatris & Amphitheatris introductio. In ea primum attingit originem Theatrorum apud Græcos; hujus ſtructuræ rationem deinceps in Anti-Rhodo Dionyſius excoluit. Hinc pervenit ad Romanos, occaſione & epocha ex Livio & Ovidio notis. In capite ſecundo Theatra & Amphitheatra diſtinguit ex figuris, quas Varro, Caſſiodorus, Iſidorus prodiderunt: Vitruvii doctrina in hoc negotio tanquam reliquis inſtructiore ſuppoſita. Tertio de materia & tectorio agit. Græcis Theatra antiquiſſimis temporibus ſtatim marmorea fuerunt, exceptis Athenienſium ligneis & mobilibus. Tegebantur velis ad pluvias & tempeſtates arcendas. Nam neque firmum neque perpetuum tectorium fuiſſe, probat trajectus liber columbarum & avicularum, quæ ex ritu in theatro dimittebantur. Velis ſucceſſit deinceps ſubinde tectorium ex ligno, uti cedrinum illud Athenienſium in Herode Philoſtrati, & in Theatris Corinthiorum ac Valerii Oſtienſis. Cæſar ſericum primus prætenſum voluit. Ex Lucretio, Propertio, Martiale colligitur, Lentulum Spintrium primum antennis vela applicuiſſe. Caput quartum diſquirit de uſu Scenæ. Caſſiodorus; *frons Theatri fuit ſeu locus actorum unde & in proſcenium prodibant biſtriones acturi.* Iſidoro cum Orcheſtra confunditur. E ramis & frondibus primum, deinde e Tabulis pictis & ad variandum mo-

mobilibus. Tandem invaluit pro ludorum diversitate, hoc est, Tragœdia, Comœdia, Satyra, curatior & exquisitior ornatuum ratio. In quinto capite machinæ describuntur, sed ex illarum genere, quas Vitruvius Lib. V, c. 7. περιάκτους seu trigonos versatiles vocat. Unde optandum esset, Clarissimum Autorem, quid de altero genere ductilium sentiat, quas Servius memorat in Virgilii Georgica, notante Perralto ad hunc Vitruvii locum, exposuisse. Sexto capite agitur de vasis æneis attemperatis ad consonantias vocum, & per gradualia passim dispositis, ut vox extensa clarior redderetur. In septimo capite de orchestra, sedilibus modoque sedendi in Theatro apud Romanos tractat. Orchestra locus erat inter caveam & scenam, ubi Comici & Tragici canere & mimi agere solebant. Senatores spectandi causa in orchestra sedebant, post ipsos ordines equitum, deinde cives, tandem feminæ. Cæsar assedit in curuli; Tiberius & Sejanus in sellis inauratis. Deinde per gradus sedilia quoque alia fuerunt. Capite octavo circa ornatum Theatrorum notat, Claudium Pulchrum Scenam primum coloribus illustrasse; C. & M. Antonios argento, Petrejum auro, Q. Catulum Ebeno. Caput nonum dedicationes & consecrationes considerat juxta illud Valerii Maximi: *Ut Diis cultus & Hominibus oblectatio quæreretur*; Scenicos ludos Baccho, locum ipsum Veneri plerumque, rarius Dianæ, Apollini, Musis sacrum fuisse. Fundatores capite decimo excitans Quintum Curium primum stabile Theatrum Romæ exstruxisse e Tertulliano probat, cum antea mobilia fuissent. Quidam Pompeji Theatrum pro illo ponunt. M. Scauri Theatrum primum ob luxum notatum capite undecimo describit ex Plinio. Duodecimum refert, M. Curii duplex fuisse, utroque dimidio circa axem volubili, ut juncta Amphitheatrum efficerent. Caput decimum tertium inquirit in verum situm Theatri Pompeji, rationes ornatuum, & scenam ejusdem. Supra Caveam templum Veneris erat, gradualibus Theatri simul templo servientibus. Gellius templum victoriæ vocat. Restauratum a Tiberio, perficiente Calligula. Nero ambitiosa ostentatione inauratum creditur die uno. Ultimum refecit Theodoricus, teste Cassiodoro, & indice lapide, invento A. 1691, ac asservato a Domino *Ciampini*.

Caput decimum quartum describit Theatrum Marcelli, in quo M Scaurus ædilis primus Hippopotamum & Crocodilum, ac ossa monstri Andromedei ex Judæa transvecta, Augustus Tigrim, inter novitates de more populo exhibendas proposuerunt. Caput quintum decimum occupat Historia Theatri exstructi a Balbo Gaditano, qui primus inter peregrinos triumphavit. Capite decimo sexto enumerantur amphitheatra in Italia, Garlii in Campania, Puteoli, Capuæ, Albæ Latii, Ostrocollæ Umbriæ, quorum vel rudera, vel vestigia supersunt: extra Italiam Polæ in Istria, Hispali in Iberia; & in Gallia, loco non addito, quem tamen Burdegalam esse apparet. Pulcherrimum omnium Veronense, cujus prolixiorem descriptionem exhibet caput decimum septimum.

Jam, quæ continentur in Libris duobus prioribus, ejusmodi sunt, ut compendium vix admittant. Nam primo Libro habetur Ichnographia terrena omniumque Theatri planorum, complexa Sphæras omnes cum arcuum, pilarum, ambulacrorum, cuneorum, gradualium, præcinctionum, a Sphæra extrema usque ad podium regium, apparatu: sic quidem, ut Sectiones murorum, quorum portiones adhuc extant, in vivo plenæ, reliquorum ex vestigiis tantum innotescentium dilutiores exhibeantur. Accedunt orthographiæ exterioris Amphitheatri, qua septentrionem & occasum spectat, & Sectiones seu orthographiæ interiores ortui & septentrioni obversæ, nec non Tabula singularis exhibens planorum omnium sectionem majori modulo expressam cum ornatuum projecturis. Sed hæc omnia ad statum præsentem faciunt. Librum secundum incipit Ichnographia terrena restituta, quæ œconomiam totius Amphitheatri, qualis integri fuit & illibati, complectitur. Huic subjiciuntur Ichnographiæ restitutæ planorum quatuor terreno imminentium, & alia prætensionis velorum. Singulis enumeratio partium & mensurarum accurata aliaque adjiciuntur, quæ percensere, esset totum opus exscribere. Excipit septimo capite hujus libri investigatio generalis harmonicæque constructionis pro Amphitheatri plano & elevatione, ex Ellipsi & Semicirculis derivata, & vel simplicitate sua commendabilis; octavo & nono, orthographia integri & per

per verticem ſecti planis transeuntibus per axem utrumque extimæ Sphæræ; decimo diſpoſitio columnarum per ordines quatuor ſibi impoſitos in muro exteriore, usque ad ſummam coronidem, cum antennis; undecimo Sectio partis cum Scenographia applicationis velorum, figuris majore modulo expreſſis. Decimum tertium caput habet Scenographiam graduum a podio Regio, & decimum quartum illam Amphitheatri totius ſecti verticaliter juxta axem majorem, partesque omnes oculo in ipſa Cavea conſpicuas exponentis.

Tertius Liber pandit Hiſtoriam profanam Amphitheatri Flavii, & ſigillatim inquirit in ſitum, erectionem, dedicationem, reſtaurationes ſucceſſu temporis factas; partesque ſingulas excutit, ut Caveam, podium Regium, gradualia, ſedilia, vela protenſa ſummæ coronidi, antra & carceres, cloacas & aquæ ductus cum Euripo; conſiderat porro capacitatem Amphitheatri, effectum vocis quoad ſonoram extenſionem & reverberationem, ſuffitus e croco accendi ſolitos ad aerem purgandum, Patronos quibus dedicatum, & feſta quæ in ipſo celebrari ſueverunt. Quartus hiſtoriam ſacram ſeu Martyrologium habet hujus loci, & mentionem facit SS. Ignatii, Euſtachii & Theoviſtæ, Tatianæ, Abdon & Sennen, Euphemiæ, Placidi, Zenonis & 1200 Martyrum, Sempronii, Olympii, Exuperiæ, Theoduli, 262 Martyrum, Geneſii, Dominicæ, Viti Modeſti & Creſcentiæ, Almachii, Marcelli & Euſebii, Reſtituti, Martinæ, Felicitatis, Mennæ, Johannis Pretenſis; qui omnes vel in ipſo Coloſſeo, vel in petra ſcelerata, quæ prope erat, periiſſe dicuntur. Hiſce omnibus ſubjungit Ideam templi Libro V, quod in Cavea Amphitheatri exſtruendum proponit ad renovandam celeberrimi locigloriam. Denique notamus, opus hoc ſplendidum non Hagæ re vera, ſed in Anglia ſubſcriptionis lege fuiſſe excuſum.

P. TERENTII COMOEDIÆ AD EXEMPLAR Faernianum a Petro Victorio editum A. M. D. LXV, ſumma fide recenſitæ, Lectore ſemper monito, ubi a Faerno diſcedi-tur. In hac inſuper editione verſuum genera diverſa diligenter indicata ſunt; quidquid vero in iis difficile aut im-

Digitized by Google

peditum, nova quadam methodo tam facile redditur, ut quivis statim intelligat. Accedunt FAERNI emendationes integræ, & quæ alia erant in editione Victoriana, nec non DONATI quædam, cum Indice locupletissimo. Recensuit, notisque auxit & Dissertationem de Metris Comicis adjecit FRANCISCUS HARE, S.T.P. Decanus Wigornienſis & Regiæ Majestati a Sacris. Editio altera, auctior & emendatior.

Londini, ex Officina Jac. Tonſon & Jo. Watts, 1725, 4. Alph. 3, Plag. 3½.

VIr eruditiſſimus, *Franciſcus Hare*, qui in Epiſtola Dedicatoria ad Illuſtriſſimum Vice-Comitem *Townshend* abunde declaravit, quam bene noverit Terentium, omnibus ſubſidiis haud perfunctorie inſtructus ad novam hanc editionem adornandam acceſſit. Poſtquam enim ea omnia, quæ ad Fabulæ conſtitutionem, Mores, Sententias & Dictionem pertinent, ſedulo notaverat & plane imbiberat, primum quidem codices manu exaratos & vetuſtiſſimos impreſſorum circumſpicere cœpit: ſed cum ex reliquo numero editionem Faernianam præſtantiſſimam eſſe cerneret, eam ſumma fide denuo exprimi & cum eruditis communicari voluit, ita tamen, ut ex optimis interpretibus, ex MSS. & impreſſis non pauca adjiceret, emendaret, quæ partim Faerni diligentiam fugerant, partim iſte nimio amore libri Bembini abreptus admiſerat. Communem inde cum aliis multis tuliſſet laudem Cl. Editor, ſi vel maxime multa egregia in Terentium contuliſſet. Itaque longe majora & prorſus ſingularem medelam aggreſſus eſt. Terentium nempe numeris ſuis reſtituit; quam partem alii aut prorſus neglexerant, aut adeo infeliciter tractaverant, ut cum Publio noſtro melius actum foret, ſi & ipſi neglexiſſent. Noverat quidem, Celeberrimum Bentlejum idem conſilium agitaſſe, remque ipſam avide exſpectavit: ſed cum ob alia ejusdem negotia hanc ſpem decolaſſe crederet, ipſe onus ſubiit, & pertinaci induſtria artificium Comicorum verſuum inveſtigavit. Cujus laboris uberrimum fructum tuliſſe ſibi videtur.

Digitized by Google

detur. Primo enim qui metra Comica intelligit, majore cum voluptate verſus Terentianos leget, quam qui eorum ignarus eſt: æque ac iis, qui verſuum rationem perſpectam habent, longe ſuavius ſonat Virgilius, quam imperitis. Deinde hoc adjumento ipſos verſus facilius memoriæ imprimi poſſe putat, puerosque eo modo ad intellectum ſimul oratoriorum numerorum perduci. Denique, quod palmarium eſt, ex regula metrorum optime intelligitur, qui verſus ſani ſint, quique emendatione egeant, & quomodo corrupti integritati ſuæ reſtitui debeant. Et hoc unicum jam ſatis dignum tanti laboris pretium erat. Quo tamen ſemel omnia dilucide proponeret, neque opus eſſet eandem obſervationem ſæpius iterare, Diſſertationem eruditam & accuratam *de Metris Comicis* præmiſit, qua totum illud argumentum ita perſpicue pertractatur, ut non temere affirmaverit Cl. Autor, quemlibet qui eam attente perlegerit, impeditiſſima quæque Terentii loca inoffenſo pede penetraturum. Quod ut eo melius procederet, non modo genera verſuum in margine paſſim adnotavit, ſed & ictum aliasque ſingulares ſyllabarum quantitates & præcipuam verſus dimenſionem perquam diligenter notis quibusdam deſignavit. Si qua notatu digniora occurrunt, quæ inter legendum offendiculo eſſe poſſent, aut aliis interpretibus negotium faceſſiverunt, ea plerumque ſatis perſpicue evolvit & exponit. Id vel ex unica fabula Eunucho demonſtrabimus. Ibi in Prologo v. 7, verba vexatiſſima

Qui bene vertendo & eadem ſcribendo male
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas

pluribus ita illuſtrat, ut *bene vertere* eum dicat, qui boni interpretis; ſed *bene ſcribere* eum, qui boni poetæ officio ſatisfaciat. Hunc ſane ſenſum ex pluribus Cl. Editoris verbis elicimus, & vix putamus eum propterea ita exagitandum eſſe, ut fecit Vir magnus, qui paucioribus verbis ſenſum iſtum verborum incluſit, dum ait: Bene vertere *eſt fideliter vertere, verbum verbo reddere ex Græco: id ipſum* bene vertere *eſt* male ſcribere *Latine*. Quod ſane eodem recidit: neque vero periti aliam facile ſententiam eruent, aut approbabunt. Deinde Act. III Sc. V v. 12 nota illa: *O feſtus dies hominis*, ubi quidam miras ſibi difficultates

tes finxerunt, alius autem commodum ſenſum inde erui poſſe, plane deſperaverat, non adeo male interpretatur: *O æque jucunde mihi ac feſtus dies*, quæ interpretatio non minus probabilis eſt, quam conjecturæ celeberrimi JCti, qui *o feſtus dies homini*, ſive *o feſtus dies ominis*, reponebat, faciliusque recipietur, quam quod doctiſſimus Criticus ſubſtituere jubebat: *O feſtus dies! O meus amicus!* qui iſta *o meus* degeneraſſe putat in *ominis*, & poſt in *hominis* mutat aeſſe. Aliquid tamen vitii contraxit expoſitio Act. IV Sc. IV v. 21, ubi jam Donatus errorem in Terentio notavit, qui Menandrum ſecutus, *ſenex Colore muſtellino* dixit, cum ille ſcripſerit, ἕτερός ἐστιν γαλεώτης γέρων. Ibi nempe, cum Terentium ſuum ab omni errore liberare nititur, vitium potius verbis Menandri adſcribit, eaque levi mutatione ad ſententiam Terentii transducit. Senſus tamen nihilo minus laborat, neque plene eum juveris, niſi cum viro docto reponamus: *veternoſus ſenex, Colore ſtellionino*; quæ ſcriptura dudum aliis in mentem venit. Quæ ad Act. V Sc. VIII v. 44, de dictione *libenter vivere* ejusque vera connexione dicuntur, ſi maxime non omnibus numeris perfecta ſunt, oſtendunt certe, optime de ſuo ſcriptore mereri voluiſſe Cl. Editorem. Eodem pertinet, quod non raro male transpoſita nomina Perſonarum, ſuis quæque locis reſtituit, ut Act. II Sc. III v. 25, & alibi. Quæ vero a librariis aut correctoribus corrupta eſſe judicavit, ea vel ex libris, vel etiam ex conjectura perſanare tentat: ea tamen modeſtia, ut conjecturas ſuas rariſſime in contextum inferat. Sic in Prologi v. 5 pro *Exiſtimavit* ſcribendum cenſet:

— — *qui dictum in ſe inclementius*
Exiſtimabit eſſe,

jubente ita ſententia loci. Atque ita editum eſt in nupero Terentio Weſterhoviano: verum Celeberrimus Bentlejus prætulit *Exiſtimavit*. Act. I Sc. II v. 82, ubi contra metri rationem vulgatum eſt: *Egon id timeo?* ipſe corrigit, *Egon timeo?* ita tamen, ut bene viderit, legi etiam poſſe. *Ego id timeo?* quam lectionem unice veram eſſe probat Cl. Bentlejus: cujus generis conjecturam habes etiam ad Act. IV Sc. V v. 7. Ita Act. I Sc. II v. 110 refingit:

In

Digitized by Google

In hoc biduum Thais vale. TH. vale *mi Phædria*
Et tu. — —

ut nempe numerosiorem, elegantiorem & affectuum pleniorem redderet orationem: quæ omnia desideres in vulgata lectione, quæ verbum *vale*, ante illa *mi Phædria* omittit.

Cum autem exemplar Faernianum, ut emendatissimum, iterum evulgare constituerit, ab eo tamen probæ rationes recedendum esse docuerint; magna pars adnotationum in eo occupata est, ut hunc dissensum ostendat atque tueatur. Hinc Act. I Sc. II v. 15, *anime mi*, mi *Phædria* rectissime cum libris aliquot scribit, ubi Faernus alterum *mi* omiserat. Ibidem v. 37 hic quidem posuerat *Docere, educare*, reclamante versu; rectius Cl. Hare *Docere, educere*. Quod beneficium cum agnoscat Celeb. Bentlejus, auget præterea & totum versum ita concipit:

Docere, educere, ita uti fi esset filia,

pro quo ceteri omnes, *ita ut si*. Act. II Sc. I v. 13 Faernus *Et perpeti* principio versus scripserat; Cl. Hare autem *Et* ad finem præcedentis rejicit. Act. II Sc. II v. 9 ille ex libro Bembino dederat, *ut spes nulla relliqua in te essit tibi*; noster autem cum reliquis codd. *in te siet tibi* scripsit, idque *siet* cum versus ratione pronuncietur *sit*, ita etiam exarandum esse statuit Bentleius: qualem medicinam etiam versui 26 Act. III Sc. II attulit. Faernus Act. II Sc. II v. 32, Bembino MS. plus justo addictus scribit: *Philosophorum habent* disciplinam *ex ipsis Vocabula*; Noster rectius *disciplina*: at Bentlejus *discipuli*, quod ne Glossa sit *τῶ disciplinæ*, valde veremur. Act. III Sc. IV v. 7 Faerniana habet: *Idque adeo visam, si domi'st*; Hariana verius: *Ibo ad eum, visam, si domist*. Bentlejus tamen priorem lectionem tuetur. Hæc sufficiant pro documento, quomodo Faernianum exemplar secutus sit Cl. Editor. Unum addendum, quod ad minutias usque curiosus fuerit in talibus, ita ut admoneat ubi *cæli* scripserit, pro Faerniano *cæli*. Et cum hic quidem fere semper *eiciunda*, *peri*, *abit* & reliqua hujuscemodi, antiquo more & autoritate libri veteris, unico *i* scripserit; ille contra lege metri admonitus, *ejiciunda* & reliqua ad eam formam passim revocavit. Tandem & aliorum Autorum, licet rarius, ratio habetur: sed maxime Plauti, quem

in hac fabula pag. 91 emendat. Ejusdem novam editionem Præfatione haud certissime quidem promisit, promisit tamen. Quam ut publico commodo haud invideat, rogamus.

PUB. TERENTII AFRI COMOEDIÆ, PHÆDRI fabulæ Æsopiæ, PUBLII SYRI & aliorum Veterum Sententiæ; ex recensione & cum Notis RICH. BENTLEJI.

Cantabrigiæ, apud Corn. Crownfield; Londini, apud J. Knapton, R. Knaplock, P. Vaillant, Bibliopolas, 1726, 4, maj. Alph. 3 plag. 3.

QUod scripta hæc, nunquam antea junctim edita, in unum Volumen conjecerit Præstantissimus Criticorum R. Bentleius, ea potissimum causa fuit, quoniam similia in Senariis licentia sunt confecta, & quoniam Phædrus æque ac Publius Syrus hujusmodi mendis obsitus erat, quæ non nisi ea cura, quam Terentius postulabat, tolli poterant. Satis hoc est pro defensione novi consilii. Sed inde simul colligere licet, solam emendationem respexisse operam Celeberrimi Viri. Qui autem latos Commentarios, aut ejus generis adnotationes, quales in Horatium a manu eruditissima Cl. Editoris habemus, exspectarunt, eorum opinionem ex parte falsam esse videmus. Non adeo multis enim verbis, paucis etiam exemplis ratio emendationum redditur: Paullo latius tamen in Terentio, quam in ceteris, sese diffundit. Neque hoc adeo ægre ferent eruditi. Nam peritis Artis Criticæ ipsa exempla statim occurrunt, quibus emendationes Viri doctissimi, utpote ex regulis artis petitæ, latius confirmari possunt. Iis autem, qui alieni sunt ab his literis, aut leviter saltem tincti, sufficere potest autoritas tanti Viri, quem facile sibi persuadere possunt, plura in promtu habere, quæ sententiam ipsius tueantur. Eo certe animo has lucubrationes conscriptas esse verosimile sit, quando diffusam eruditionem & præclarissimum ingenium Bentleji nobiscum reputamus.

De singulis quædam in medium proferemus. Et TERENTIUM quidem quod spectat, eum, præterquam quod eximia

mla & perſpicua de Metris Terentianis Diſſertatione auctus eſt, ad exemplar Faerni diligenter exegit; cujus etiam obſervationes, una cum ſuis, textui ſubjecit. Cum ipſa editione Faerniana codices pervetuſtos comparavit, quotquot vel Cantabrigiæ, vel Londini nanciſci potuit. Contextum permultis locis caſtigavit, & accentuum intervallis, quod novum in hac editione repertum eſt, ornavit, adeoque rei metricæ ſtudioſis faciliorem reddidit. De emendationibus ut lector judicium ferre poſſit, quasdam memorabimus, nullo ſervato diſcrimine, libris vetuſtis, an εὐσυνοπτίᾳ viri maximi debeantur? In Heautontimor. Prolog. v. 13 alii interpretes invidioſam laudem Comœdiæ ſenſerunt: quidam expoſitione, aut interpunctione emollire verba adniſi ſunt. Celeb. Bentlejus leviſſima, & omnino vera, mutatione *Si*, pro *Sed*, reſcribit, & omnes turbæ conticeſcunt. Eodem v. 18, 19 emendat in hunc modum:

— id eſſe factum hic non negat,
Neque ſe pigere, & deinde factum iri *autumat,*

pro quibus vulgatæ: *factum hic eſſe id non negat,*
Neque ſe id pigere, & deinde facturum *autumat,*

quod *facturum* haud valde inconcinnum, & fortaſſe non mutandum eſt. Act. I Sc. I v. 5 pro edito adhuc:

Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,

repræſentat:

Quod ego eſſe in aliqua parte amicitiæ puto,

de quo quid dici queat, facile apparet. Ibidem v. 45, nunc legimus:

Ejus filiam ille amare cœpit virginem;

olim erat: *amare cœpit perdite.* V. 73 habemus ab ingenio Cl. Bentleji:

Inde alii feſtinare, lectos ſternere,

cum vulgo legant: *Video alios feſtinare.* V. 91, ex conjectura J. Palmerii, cum quo eodem modo locum ſanarunt Turnebus, Lambinus, Muretus, Guyetus, refingit:

— — qui opere ruſtico faciundo
Facile ſumtum exſercirent *ſuum,*

nihil motus iis, quæ Vir primarius J. Fr. Gronovius pro defenſio-

ne lectionis receptæ, *sumtum exercerent suum*, attulit. V. 113 ita procedit:

Non convenit, qui illum ad laborem hinc pepulerim,
Nunc me ipsum fugere;

cum in vulgatis quod est, *ad laborem impulerim*, in leges metri, Faerni autem lectio, *ad laborem impellerim*, æque ac Antesignani *impullerim* in elegantiam Terentii peccet. Tot numero emendationes ex solo Prologo & prima Scena unius Fabulæ memorare potuimus: nec omnes quidem memoramus, &, quas tranſivimus, æque elegantes ac doctæ sunt. Passim videas conjecturas exquisitas & Bentlejo dignas prolatas, quæ in seriem operis non sunt receptæ. Nam v. 31 & 32 Prologi, qui impeditiores adhuc visi sunt, ita expedivit:

Qui nuper fecit seruo currenti in via
Dixisse populum, Cur insano seruiat?

Act. I Sc. I v. 70, 71, qui sic satis bene habebant, ita tamen, duobus vocabulis mutatis, prægnantiores facit:

Domum revertor mœstus atque animo fere
Conturbato *atque* inerti *præ ægritudine.*

Sic v. 116 & 117 prisſinæ suæ elegantiæ restituere putavit refingendo:

— — *Sed ut diei tempus est,*
Tempusi monere *me hunc vicinum Phaniam*,

ubi vulgatæ: *Monere opertet me.* Sed ut Cl. Hario multa admonendi facultatem dederat Faernus; sic Celeb. Bentlejo multæ adnotationes natæ sunt ex iis, quæ Harius in Terentium contulit, a quo sæpissime divortium facit. Ejus emendationes huic videntur herbæ solstitiales, quæ paulisper fuere: interdum & paulo acerbius æmulum suum perstringit. Cujus rei exempla nihil attinet proferre. Neque multis enarrabimus, quomodo tum pag. 167, tum alibi curas a Cl. Hario in Plautum promissas traducat. Id tamen memoratu dignum est, quod Cl. Bentlejus non ita solis se mancipaverit emendationibus, ut non, ubi res postulat, etiam interpretatione autorem adjuvet. Immo non deterioris interpretis, quam Critici officio satisfeciſſe, patet luculenter ex pag. 163, nota ad v. 7, aliisque locis compluribus. Denique, ne

quid

quid omittamus, Terentio ſuo *Oratiunculam* præmiſit, habitam *cum ſeptem in Theologia Doctores crearet* Bentlejus: quo conſilio, noſtrum non eſt divinare.

In repurgando PHÆDRO nullis plane ſcriptis codicibus, ſed ſolo ingenio & doctorum virorum notis adjutus eſt. Et ut negare minime poſſumus, Virum doctiſſimum ſæpe aliorum interpretum emendationes adoptaſſe; ita & illud affirmare tuto poſſumus, permulta eſſe, quæ ſoli Bentleio debeantur. De omnibus, quæ magnum ingenium tentavit, ut judicium noſtrum interponamus, nemo jure exigere poteſt: enumerabimus tamen quædam, ut exſpectationi ſatisfaciamus. Lib. I Fab. I v. 13 emendat:

Atque ita correptum mactat *injuſta nece*,

quoniam etiam Scheſſerus viderat, vulgatum *lacerat injuſte nece*, eſſe minus Latinum. Bentlejo *Mactat* placuit, grave verbum in tali re æque ac *Immolat*; qua de cauſa verſum ex Lib. IV Fab. V adſcripſit, ne porro Vir doctus cauſam ignoret. Fab. II v. 16 correcta lectio eſt: *Immerſæ limo cum laterent diutius*,

nempe *ranæ*; antiqua fuit: *Hoc merſum l. cum jaceret diutius*, de tigno miſſo intelligens. Fab. V v. 7 in mendo cubat, ſed nemo feliciter perſanavit. Egregie Cl. Bentleius:

Ego primam tollo nomine hoc, *quia* ſum *Leo*,

niſi quod paulo longius ab literarum veſtigiis recedat. Vulgo:

Ego primam tollo, nominor quia *Leo*,

ubi alii *nominor quoniam*, alii *quia rex Leo* reponunt, ut verſui conſulant. Fab. XIV princip. ita legit:

Malus cum ſutor inopia proterritus
Medicinam ignoto facere cœpiſſet loco,

quia vulgata vix Latina Viro doctiſſimo videbatur, quæ eſt: *inopia deperditus*. Fab. XXVI init. ita conſtituit:

Nulli nocendum: ſi quis vero læſerit
Mactandum *ſimili* vice *fabella* hæc *admonet*,

pro quo receptum erat:

Multandum *ſimili* jure *fabella admonet*.

Proſtat Epiſtola Critica, de qua mox dicemus, quæ omnes omnino emendationes Celeb. Bentleji & adnotationes in Phædrum examinat. Minatur etiam P. Burmannus V. C. novam Phædri edi-

tionem, qua, nihil correctionibus Bentlejanis opus esse, se demonstraturum, amicis promisit. Quare mittamus hunc Libertum Augusti, & quæ restant in hoc Volumine evolvamus.

In PUBLII SYRI aliorumque *Sententiis* emaculandis usus est Vir eruditissimus quinque MSS. codicibus: quorum quatuor ex bibliothecis Cottoniana & Collegiis Trinitatis, Caji & Sidneji depromtos ipse consuluit; quinti, nempe Leidensis, excerpta transmiserunt Batavi. Sed cum in ceteris editionibus sententiæ plusquam octingentæ, in aliquot propemodum mille legantur; Bentlejus tantummodo 265 exhibet, quas nempe solas Publiani coloris esse existimavit. Has paucas tamen multis locis aliter, ac olim, prodire jussit. Sic v. 90 legit:

Despicere oportet, quidquid possis perdere,

propter numeros; & v. 113:

Feras facilia, ut difficilia perferas,

ubi simul codd. suorum scripturas repræsentavit. Quam operam forte lectores in aliis mimis desiderabunt. Certe de v. 110, quem cum Scaligero ita concipit:

Factum tacendo, crimen facias acrius,

nihil prorsus monet, cum in MS. Frisingensi ita sonet:

Idtum tacendo, cet.

Salmasium autem ad Lamprid. Commod. cap. VII ex vetustis schedis restituere novimus:

Jactum crimen tacendo facias acrius,

præ quo longe magis placet Scaligeri & Bentleji aliorumque lectio.

EPISTOLA CRITICA AD ERUDITISSIMUM Virum H. B. S. E. I. in qua omnes doctissimi BENTLEJI in PHAEDRUM Notæ atque Emendationes expenduntur.

Londini, ex officina J. Tonson & Jo. Watts, 1726, 4. Plag. 19.

ERuditus hujus Epistolæ Autor, qui multum semper Phædro tribuit, ante aliquot annos in pueri usum Phædri versiculos

los in dipodias, accentibus supra positis, distinxerat, & de ejusmodi editione, qualem fere Cl. Bentlejus dedit, cœperat cogitare, cum subito eum nuncius de Bentlejana editione sufflaminavit. Exspectatum autem hoc Celeb. Viri opus cum in manus sumsisset pro thesauro, quod ajunt, carbones accepisse dicitat, & longissime infra exspectationem omnia cecidisse. Quæ & alia duriuscula postquam initio Epistolæ commemoravit, ad examen notarum, sed & ipsius Præfationis Bentlejanæ, ita se convertit, ut ne quidem unicam emendationem prætermittat, quam non contemnat, rejiciat, deridear, aut, si probabilis illa videatur, eandem sibi dudum in mentem venisse, eandem olim oræ libri sui appinxisse, & amicis communicasse, præ se ferat. Neque ibi substitit inclementia. Bentlejum Indices & Stephani Thesaurum exscribere, objiciendum erat pag. 43; eundem ineptum esse, licet Doctorem Theologum, tractandis sacris literis, pag. 45, in notis ad Aristophanem, Terentium & alibi insignis plagii reum esse, pag. 50 sqq. eum, licet totam vitam in re metrica cognoscenda consumserit, in minus usitatis carminum legibus nihil videre, pag. 76, in aliis etiam ad hanc rem spectantibus peccare pag. 101. Denique & vita atque alia studia Viri de literis optime meriti, nec non muneri publico satisfaciendi ratio excutienda erat pag. 148 sq. quasi vero sine his talibus Epistola *Critica* de emendationibus Phædri non fieret: & hoc demum esset peritiam in *humaniori-bus* literis approbare, si, quacumque in re possis, contra humanitatem pecces. Nobis certe propemodum oneri est ejusmodi scripta perlegere, eo magis, quod errata etiam quædam Viris magni nominis magnorumque meritorum condonanda esse existimemus. Narramus tamen, Autorem hujus Epistolæ, qu'cumque ille sit, haud inutiles observationes hic illic insperssisse, qualis est illa de confabulatione arborum pag. 10 sq. de confusione *τὸ quum* & *quoniam*, unde Plautum emendat, pag. 19, de loco Horatii pag. 36, & de locis duobus Tertulliani pag. 81 & 110. Ne de iis dicamus, quæ in Phaedro cum cura tentavit.

JOAN-

JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT, Fuldiſcher Lehnhof, *ſive de Clientela Fuldenſi Beneficiaria Nobili & Equeſtri Tractatus Hiſtorico-Juridicus.*

Francof. ad Mœn. apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1726, fol. Alph. 4, pl. 18, fig. æn. plurim. paſſim inſert.

COnſtat inter peritiores, Feudorum Longobardicorum & Germanicorum in plurimis diverſiſſimam eſſe naturam, hæc etiam pro varietate provinciarum mirifica inter ſe differre, conſuetudines Curiarum feudalium exiſtere infinitas, pacta conventionesque in negociis feudalibus initas eſſe innumeras, ut adeo a Juris Feudalis Conſulto Germano, præter peregrina Feudorum Jura, Juris Civilis Corpori annexa, etiam patria jura, noſtrarum Curiarum mores, & imprimis vetuſtæ chartæ & diplomata ſint indaganda & excutienda, quo nobiliſſimæ circa Beneficia Jurisprudentiæ facies lætior paulo & ſucci magis plena quotidie appareat. Debemus eo nomine multum Viris præſtantiſſimis, noſtra laude nihil indigentibus, quorum numero nuperrime magno artis noſtræ beneficio acceſſit Celeberrimus Schannatus, expoſita nobiliſſima Feudorum Germanicorum ſpecie, Fuldenſium puta, quæ penitius noſſe eo magis e re noſtra eſt, quo obſcurior fuit earum natura, & quo certius nunc conſtat, JCtos maximi nominis graviter hic impegiſſe.

Doctiſſimi libri partes ſunt tres: Clientela Fuldenſis Beneficiaria ipſa, Elenchus Clientum ſive Vaſallorum Eccleſiæ Fuldenſis, Codex denique probationum Clientelæ Fuldenſis Beneficiariæ. Clientelæ Fuldenſis Beneficiariæ partes iterum doctiſſimus Autor voluit eſſe duas, quarum prima in tria capita diviſa, primo de Feudorum Fuldenſium antiquitate & præſtantia, ſecundo de Natura, Juribus ac conſuetudine Feudorum Fuldenſium, tertio de variis Feudorum Fuldenſium ſpeciebus tradit. Scilicet
p. 2. ab octavo poſt C. N. ſeculo Vaſallorum Fuldenſium in antiquis tabulis occurrit mentio, ea vero hoc ipſo & ſequentibus ſeculis enata eſt beneficiorum copia, ut nihil ſit, quod in beneficium ab opulentiſſima illa Eccleſia datum non ſit, caſtra, terræ, prædia,

Digitized by Google

dia, villæ, oppida, Advocatiæ, Jurisdictiones, homines censuales, operæ, sola, sylvæ, montes, curiæ dominicales, piscinæ, rivi piscosi, vectigalia, ædes, salinæ, hospitia, tabernæ, molendina, immo caveæ & furni, magna Abbatum in Vasallos indulgentia, magna Vasallorum in Abbates aliquando injuria. Natura Feudorum Fuldensium est, ut sint masculina, *Mann-Leben*, quæ cum pactis p. 4.
& conventionibus ad hæredes masculos devolverentur, feuda mas- 5.
sculina hereditaria, *Erb-Mann-Leben*, appellata sunt, ex quo
nomine, ut & ex notissima clausula: *nach Fuldischer Leben Her-* 7.
kommen, Recht und Gewonheit, qui promiscuam etiam femina-
rum in feudo Fuldensi successionem exculpere velit, ut faciunt
interpretes Fuldensium rerum ignari, vehementer errabit. Ita
exclusa est A. 1450 Elisabetha Hanovia, Joannis ultimi Comitis
Ziegenheimensis ex sorore Elisabetha neptis, lite etiam grav. ssi-
ma mota, & cesserunt feuda Ziegenheimensium Fuldensia ex-
pectativario Ludovico Landgravio Hassiæ; huic autem, ut ha-
bent literæ, *und den nachkommenden Männlichen Leibs-Lehens-*
Erben, addita nihilominus illa decantata clausula, *als Fuldischer*
Leben-Recht und Herkommen ist; quæ ipsa, cum & inserta le-
gatur literis Clientelaribus Civitati Francofurtensi, oppido
Creutzburgensi, tum & Commendatori ordinis S. Joannis Hiero-
solymitani non semel concessis, in quibus feudis natura sua nul-
la est feminarum successio, non illud, quod nonnulli voluere,
sed hoc potissimum vult, ut cognitum sit, Curiæ Fuldensi fuisse
jam olim, esseque etiamnum Jura propria ac singularia eaque ve-
tustissima, quæ cum reliquis finitimarum aliarumque provincia-
rum juribus nolit permisceri confundique. Quod ad Jura attinet, 9.
Vasallus Fuldensis alienat, sed consensu Agnatorum, & Princi-
pis Abbatis, soluto simul laudemio, dimidio Imperiali in singulos
centum Florenos; Princeps Abbas Vasallum alienat libere etiam
invitum, modo novus Dominus non sit inferioris clypei. Vasal- 10.
lus Fuldensis uti alienat, ita oppignorat, utroque tamen casu Do-
mini directi conditionibus aliquando sat duris sibi prospexerunt.
Refutare etiam licet Vasallo Fuldensi feudum vel in Domini vel 11.
in tertii favorem, illo consentiente, nisi huic juri renuntiaverit
Vasallus, *ewiglicher Mann*, quo facto, licet inde consentiente

Domino feudum alienat, quoad perſonam tamen clientelari nexu obſtrictus remanet. Subinfeudare etiam Vaſallorum Fuldenſium eſt, quamvis merito Abbates, ſæpe expreſſis cautionibus interpoſitis, ſuo conſenſu id fieri voluerint. Dotem denique & dotalitium conſtituere permiſſum eſt in Feudo Fuldenſi conſenſu Dominorum Abbatum, quorum inſigni in hac re indulgentia tot feuda feminina enata ſunt, in quibus poſt obitum feminæ liberi ejus promiſcua ſucceſſione uſi ſunt, ut inde credulum vulgus, rerumque Fuldenſium imperiti Feuda Fuldenſia omnia eſſe promiſcuæ ſucceſſionis *Kunkellehen* ſibi perſuaſerint.

p. 12.

Ad ſpecies Feudorum Fuldenſium digredimur cum Autore noſtro, qui ſollicite, quoad Feuda oblata primo loco explicanda, diſtinguit inter oblata Eccleſiæ Carolingicis temporibus bona, ea fere lege, ut ad *preces* offerentis ſub Beneficii modo, forte etiam alia re ſimul præſtita, ad vitæ tempus redderentur, qua pietate majorum inſigniter creverunt opes Eccleſiæ Fuldenſis; & inter Feuda oblata recentiorum temporum, ex tuitionis imprimis fiducia profecta, Eccleſiæ oneri potius futura quam emolumento; quorum hæc nunquam non perexiguo numero fuere in Curia Fuldenſi, ſuperſtitibus tantum duobus ejus naturæ Vaſallis, Duce Saxone, ratione Villarum Bettenhauſen & Seba, Feudi A. 1320 a Bertoldo Comite de Henneberg oblati, & Haſſiæ Landgravio, ratione Caſtri Sturmfeld a Godefrido Comite de Ziegenhayn 1353 oblati; illa vero, priſcæ fidelium oblationes, poſtquam depoſita feudi natura Eccleſiarum & Pauperum uſibus aliquandiu inſerviiſſent, neceſſitatibus ita exigentibus, feudorum iterum naturam, ſed omnino datorum, induerunt.

13.

Inter Feuda data præcipua ſunt Feuda maſculina, ſecundum conſuetudinem Fuldenſem duplicis generis, maſculina ſimpliciter talia: *Mann-Lehen*, in linea deſcendente recta primi acquirentis unice perſiſtentia, & maſculina hereditaria, *Erb-Mann-Lehen*, ad lineam etiam transverſam agnatorum a primo acquirente ortorum gratioſe transeuntia, excluſis omnino feminis, quod etiam in plurimis maſculinorum feudorum ſpeciebus ita fuit obſervatum, niſi quod aliquando feminæ cum maritis de eisdem feudis fuerint inveſtitæ, quo in caſu ſervitia exinde debita cenſeban-

15.

15.

Digitized by Google

sebantur remissa, & post mariti obitum fructuum potiebantur, ad vitam duntaxat. Masculinorum feudorum species sunt Feudum Civitatis, Feudum Castri, Feudum Castrense, quale, *Erb-Burg - Leben* nomine veniens, non ideo promiscuæ successionis censendum est, Feudum Keminatæ seu Ædificii, Feudum *Rite - Leben*, cujus servitia in præstatione equi instructi constitisse existimat doctissimus Schannatus, Feudum *Schützen-Leben*, cujus possessor *balliſta* & pharetra instructus in oppido custodias agere, aut interdum etiam in hostem foras progredi tenebatur, Feudum Ligium, Feudum de Camera & de Moneta, Feudum Advocatiæ, Feudum Gastaldiæ seu Ambachtiæ, Feudum Jurisdictionis, Feudum Patronatus, Feudum Aulicum seu Palatii, Feudum Venatorum, Feudum Solii, *Stul - Lehn*, in quo Vasallorum præcipuum munus adstare solio Principis Abbatis, Feudum Assaturæ *Bradt-Leben*, Feudum denique Stagii, quæ omnia exemplis Fuldensibus firmata explicataque legere perquam jucundum videtur. p. 18. 20. 21. 22. 23.

Supersunt Feuda Feminina sive promiscua Fuldensia, non quod natura istorum feudorum ejusmodi succeſſio contineatur, sed quod Abbatum indulgentia, plerumque dotalitii, dotis vel legitimæ titulo, ad feminas transierint, & hodienum transeant. Quamvis, si Vasallum cupido incesserit eam qualitatem inducere feudo, Domini & Agnatorum consensu opus fuerit, quod adeo non arrisit, ut sæpissime pacto convenerit, feminis tam pro dotalitio quam pro dote aut legitima partem feudi clientelaris non deberi, sed pretium illius ex justo & æquo determinatum exsolvi. Ceterum si feminæ in ejusmodi feudo succeſſio obtingat, more Fuldensi nec inæquale conjugium, nec vota monastica obsunt. 24. 26.

Caduca feuda Abbati aperiri, quis negaverit? quæ aliquando piis usibus restituta, sæpissime aliis iterum Vasallis concessa. Modi autem, quibus Ecclesiæ Fuldensis Feuda amittantur, sunt potissimi: conspiratio in necem Domini, publica proscriptio, fundi feudalis inscio aut invito Domino facta alienatio, neglectus investituræ intra præscriptum tempus, contumacia per contemptum vel alias ob causas coram Domino non comparentis, silentium, & quæcunque ex condicto sub feudi privatione præstan- 28.

ſtanda, inde a Vaſallo negligebantur, quæ omnia exemplis idoneis illuſtrantur.

Quod ad partem Clientelæ Fuldenſis alteram attinet, quatuor illa capitibus abſolvitur, quorum primo Vaſallorum Fuldenſium conditio olim varia, ſecundo vetus ac ſimul hodierna Vaſallos Fuldenſes inveſtiendi methodus, tum & plura circa eandem requiſita & obſervari ſolita, tertio quatuor præcipua ſervitiorum genera, quarto mutua inter Eccleſiam Fuldenſem & Vaſallos ſuos obligatio, graviaque ac frequentia damna & diſſidia
p. 21. exinde nata traduntur & explicantur. Vaſallorum Fuldenſium antiquiſſima mentio fit in veteri illa traditione Hrahonis ad A.
32. 796 facta, unde frequentior fidelium memoria eſt, eosque inter ſtrictiori aliquando vinculo obligati, etiam Miniſteriales Nobilium hominum propriorum ſpecies, ſed & Clerici Fuldenſium
34. feudorum minime incapaces. Inveſtiendi ritus fuit olim talis, ut Vaſallus ad Altare S. Martyris Bonifacii deduceretur, & ibi more clientum in manus Abbatis ſe commendaret, inſiſtens forte orbiculari ſaxo, quod hodienum pavimento eccleſiæ inſertum viſitur, ornatum quatuor manibus ex ære fuſis, in quatuor mundi plagas directis & in jurantis modum efformatis, quæ Vaſallum in medio ſtantem undecunque ſui muneris admonere videbantur. Hodie ibidem Vaſalli Principes in ipſius Principis Abbatis, ſolio magnifice inſidentis, manus debitum homagium præſtant, Comitibus vero & reliquis Equeſtris ordinis Vaſallis coram regimine Aulico comparendum eſt, ubi & erectis digitis fidelitatis & obſequii juramentum præſtant, iisdemque digitis ſummitatem ſceptri feudalis, quod Conſilii Aulici Præ-
35. ſes vel Vice-Præſes manu tenet, leviter tangunt. Quam enixe Vaſalli cujuscunque conditionis præſentiam exegerit clerus Fuldenſis, celeberrimus Autor multis oſtendit, cui nihil obeſt, quod Principum Abbatum indulgentiæ debetur, Principes ut & Comites Imperii Feuda ſua per Legatos paſſim ſuſcipere. Tem-
37. pus autem inveſtituræ impetrandæ eſt more veteri Teutonico
38. annus & dies, renovaturque ea, oblato dinumeramento, & ſi ſit condominium plurium, omnibus in caſibus feudum recognoſcunt

ſcunt omnes, Jure Senioratus, ſive Provaſallum eligendi, non niſi ex Principis Abbatis indulgentia competente.

Servitiorum Vaſalliticorum non fuit una ratio; ita Vaſalli Fuldenſes militaria in campis & expeditionibus debuerunt, cum Imperatori Romano in celebratiſſima Expeditione Romana, tum Principi Abbati ſuo, propriis ſumtibus; quod faſſus eſt Comes de Ziegenhaim Johannes: *Iſt daz wir in unſers Herren Dienſt von Fulde riden, daz ſolle wir tun uf unſir Koſt, Schadin und Frumen*, & firmant exceptiones ſpeciali aliquando conventione literis feudalibus inſertæ, quamvis negari nequeat, immutatam Seculo præſertim XIII rerum faciem, Vaſallosque novis ſtipendiis ad arma provocari, in prædæ ſocietatem admitti, indemnes ſervari, fuiſſe receptum. Diverſi ab his fuere Vaſalli ad ſervitia militaria Caſtrenſia deſtinati, nobiliſſimi quique & fortiſſimi caſtrorum ipſis concreditorum defenſores, intercedente tamen & hic magna pactorum varietate, quorum vi & poteſtate, vel perpetuo vel imminente exercitu, vel ipſi, vel per ſubſtitutum, caſtrum vel unum, vel plura, vel quodcunque elegerit Abbas, deſervire tenebantur. Omnium & ſingulorum Vaſallorum munus eſt, Judicio adeſſe Parium Curiæ rite a Domino evocatos, quod frequentius olim, nunc, Principis Abbatis regimine ſupremo Aulico, cui ex Reverendiſſimis Majoris Eccleſiæ Capitularibus, tituli Præpoſiti Curiæ vulgo *Lehnprobſt* ornatus, præſidere ſolet, cauſas feudales dirimente, rarius omnino, Vaſallis tamen ita volentibus, ſumtuſque ſubminiſtrantibus, non denegandum, præſidente Domino, ſi cauſa inter Vaſallos vertatur, ſin Vaſallum inter & Dominum lis intercedat, Judice feudali conſtituto, paribus aſſidentibus, numero nunc majore nunc minore, nunquam tamen infra duodenarium aut certe ſeptenarium deſcendente. Sed & Curialia officia debuit Vaſallorum illud genus, qui *Hofdiener* appellantur, milites ſane omnes, ſed iidem in Curia ſervientes, pro quo ſervitio præter veſtem Aulicam, *Hofcleide Rock und Kappen*, ipſi & equi eorum Domini impenſis alebantur, juxta conditum: *Futter, Koſt und Huſlage*, ſive: *Futter, Brodt, Nayl und Iſen geben*. Mutuam eſſe fidelitatem Domini & Vaſalli, ſed quæ

p. 41. 44. 45. 49. 51.

antiquis temporibus valde gravis Ecclesiæ exstitit, non est, ut multis dicamus.

Hæc de Clientela Fuldensi Beneficiaria nobili. Hanc excipit, ut diximus, Elenchus Clientum seu Vasallorum Fuldensium duplex, alter Vasallorum primi ordinis, Imperatorum, Ducum & Principum, Ducum Saxoniæ, Comitum Palatinorum, Landgraviorum Thuringiæ, Landgraviorum Hassiæ, Comitum Principum Hennebergicorum, Principum Nassoviorum, Comitum Löwensteinio-Rupifortiorum, Marchionum, Comitum denique Beichlingensium, Benthemensium, Botenloubensium, Castellanorum, Eberstheinensium, Erpacensium, Gleichensteinensium, Hanoviensium, Hardegkiorum, Hohenloicorum, Honsteinensium, Isenburgio-Budingensium, Isenburgio-Grensawiensium, Katzenelnbogensium, Kirchbergensium, Löwensteinio-Virneburgensium, Mansfeldensium, Niddanorum, Orlamundensium, Oettingensium, Reineckiorum, Rothenburgensium, Schömbornensium, Solmensium, Stolbergensium, Trudingensium, Waldeckiorum, Wertheimensium, Wiedensium, Wildaviensium, Ziegenhainensium, junctis nonnullis Civitatibus Imperialibus & oppidis, veluti Francofurto ad Mœnum, Mülhusa, Erfordia, Oppenheimio &c. alter Vasallorum secundi ordinis seu Equestris dignitatis, Alphabetice & Chronologice digestus, quorum Indicum uterque affabre & ad leges Heraldicas insculptis insignibus exornatus, satis demonstrat, quantæ dignitatis & amplitudinis Curia Fuldensis Ecclesiæ Feudalis & fuerit omni tempore & adhuc sit.

Tertio denique loco occurrit Codex Probationum Clientelæ Fuldensis Beneficiariæ Nobilis & Equestris Thesaurus in usum Jurisprudentiæ Clientelaris recusus, & intelligentibus auro contra carus, monumentis DCXXXIII constans, monogrammatibus etiam & sigillis vetustis æri cum cura insculptis dives, quo nomine, uti & nos fatemur Celeberrimo Schannato obstrictos, ita majorem in modum rogamus, ut quod in Clientelæ hujus perlectione notavimus, præter alia, quæ dubio procul molitur, Aulam Fuldensem splendidissimam simili in luce quam proxime collocare non dedigneture.

THE

Digitized by Google

i. e.

VITA THOMÆ MORI, EQU. ET SUPREMI Angliæ Cancellarii ſub Henrico VIII; Autore THOMA MORO, Thomæ abnepote.

Londini, 1726, 8.

Alph. 1 pl. 3.

IN vita Thomæ Mori, Viri & doctrina & fatis admodum illuſtris, deſcribenda plures uno eruditorum occupati fuerunt calami. Primus Guil. Rooper, ipſius gener, per ſedecim annos familiaritate ipſi conjunctiſſimus, ſoceri fata litteris conſignavit memoriamque publico ſcripto commendavit poſteris, quod Ox. 1716 vulgatum, in Actis A. 1718 p. 475 recenſuimus. Poſt hunc D. *Stapletonius* in erudito de tribus Thomis Commentario, Duaci 1588 & Colon. Agrip. 1599 edito, prolixe atque diligenter de ejus vita expoſuit. His duumviris tertius jam pridem acceſſit Mori abnepos, *Thomas Morus*, qui pietatis in atavum editurus argumentum, quantique ejus manes faceret, teſtaturus, fuſiori ſtilo illius vitam ſibi ſumſit enarrandam. Cum vero, ea vix ad umbilicum perducta preloque parata, Autor Romæ, quo ad Urbanum VIII miſſus fuerat, undecimo April. 1625 exſtinctus eſſet, alius fœtus poſthumi in lucem edendi curam ſuſcepit, ſub literis M. C. M. E. latens, Mariæque Reginæ inſcriptum, Londini 1627, 4 publici juris fecit. Prætermittimus *Hoddesdonium*, qui in ſua vita Mori nihil fere aliud præſtitit, quam quod ceteros ſupine exſcripſit. Abſolutiſſimum quidem eſt Noſtri opus, quod incomparabile vocat Ant. Woodius: jam pridem vero id adeo rarum inventuque difficile fuit, ut Fiddeſius, qui etiam Mori vitam molitus aliquando fuerat, operam in illo conſequendo perdiderit omnem. Inſignes itaque Viro erudito debemus grates, qui repetitam hanc editionem adornavit, in eo certe prima illa præſtantiorem, quod collatis invicem *Rooperi* atque *Stapletonii*, quin & ipſius *Hoddesdonii* ſcriptis, in notis ad paginæ calcem poſitis, ubi diverſa a Moro illi tradant, indicaverit; ut adeo, qui hunc librum poſſidet, facile carere poſſit reliquis. Luculen-

tam

tam insuper præfationem præmisit Editor, in qua epitaphium, Autori sumtu Cleri Anglicani Romæ positum, ex Woodio repetit; varia etiam ex Burneto, Strypio, Weaveroque ad Morum spectantia transscribit.

p. 2. Natus est Thomas Morus Londini 1480, nobili genere; patre Joanne Moro equite, & judicum ordinis, qui regius consessus dicitur, membro, viro omnibus a morum integritate commendatissimo. Raræ admodum ingenii dotes in puero emicuerunt statim; qua re permotus parens, ut, quam primum per teneram ætatem liceret, primis imbueretur honestæ disciplinæ rudimentis, curam habuit. Tirocinio ita in ludo publico, qui ab Antonio nomen habet, posito, in ædes Cardinalis Joannis Mortoni, Archiepiscopi Cantuariensis, receptus, adeo viro huic suam industriam, memoriæ facultatem, judicii acumen, festivi etiam ingenii promtitudinem approbavit, ut vel ipse Præsul nullam in
9. illo formando pollendoque operam omitteret. Oxonium post aliquod tempus delatus, in Collegio Ædis Christi Philosophiæ totum se dedit, neque infeliciter. Hic Epigrammata, vix octodecim annos natus, composuit, a festivitate partim, partim a Latini sermonis puritate Beato Rhenano impense dilaudata; insignem etiam ex Luciani scriptis partem Latine reddidit. Primariam vero ejus operam sibi vindicabat legum Britannicarum patriique juris studium, in quo tantos brevi admodum tempore fecit
35. progressus, ut communi Londinensium suffragio, annum agens XXVIII, Syndicus civitatis constitueretur. In ista provincia postquam suam populo fidem aliquandiu probasset, Regi Henrico
39. VIII, commendatione Cardinalis Volsæi, innotuit, majoribus in aula muneribus admovendus. Licet autem renueret modeste Morus, in Galliam tamen atque Flandriam Legati titulo se mitti passus est, quo fere tempore *Utopiam* conscripsit, tanto plausu a tot gentibus exceptam, ut plurimæ in vernaculam sibi linguam
43. transferrent; *Richardi* etiam *III Historiam*, Anglice primum, mox & Latine Lovanii 1566 editam, composuit. Contigit interim, ut Rex Henricus VIII in aulam vocaret Morum, eique nequaquam ambienti, quin renitenti potius, ultro & Equitis aurati
47. dignitatem & Consiliarii ac Thesaurarii munus maxime honori-

Digitized by Google

rificum conferret. Et singulari quidem affectu Rex complectebatur Morum, eundemque continuo lateri suo adhærere cupiebat, quæ res tantam in Cardinale, antea Nostri Patrono, invidiam excitabat, ut nihil omitteret, quo Regem Moro redderet infensum. Enim vero accidit haud multo post, ut gratia principis plane excideret ipse Cardinalis, primariique regni Cancellarii p. 155.
munere privatus, non sine veneni suspicione, interiret, Morus vero ipsius locum occuparet, quem quidem rebus in patriæ commodum præclare gestis promeruisse visus. Talem heic sese gessit, ut fidem, animi integritatem omnesque tanto fastigio
dignas virtutes Regi pariter ac civibus abunde probaret; adeo, 184.
ut, quum duobus annis cum dimidio præterlapsis, ultro sese ista provincia iterum abdicaret, non nisi ægerrime, cum insigni tamen officiorum præstitorum eaque publica commendatione, a Rege fuerit dimissus. Varias quidem hujus abdicationis allegant
causas, & amorem vitæ tranquillioris ac ab omni aulæ strepitu re- 190.
motæ obtendunt nonnulli, at illa certe primaria fuit, quod divortium Henrici a Catharina conjuge factum minime probaret. Interim deperibat Rex Annam Bolenam, eandemque 200.
clanculum, paucissimis consciis, uxorem ducebat, post aliquot menses Reginam per edictum pronunciandam. Morus vero, ad hæc nuptiarum coronationisque solemnia Regis nomine invitatus, accedere recusabat, ne applaudere facto videretur. Prima hæc res infausti, qui postea illum manst, vitæ exitus semina dedit, Regisque in eum iram concitavit. Accessit Annæ indignatio, variæque malevolorum delationes; quibus quum vix se feliciter expediviss et, publico legis mandato omnes subditi juramento obstringi jubentur, se Pontificis Romani nullam in se 219.
autoritatem atque imperium agnoscere, sed Regem supremum, uti in politicis, ita etiam ecclesiasticis negotiis, judicem revereri, & sobolem omnem ex Anna nascituram pro legitimis hæredibus habituros. Utrumque ita comparatum esse Moro vide- 224.
batur, ut illæsa conscientia obsequi Regi haud posset. Constanter itaque jurare renuit, neque in carcerem conjectus, mentem
mutavit; in quo quum ultra anni spatium exegisset, animum- 257.
que obfirmasset suum, judicii tandem supremi sententia mortis

reus est declaratus. Hanc itaque in foro carnificis securi percussus oppetiit, neque in extremo vitæ articulo (ut & aliunde satis constat) ingenii festivitate deposita. Ceterum magno semper ab eruditorum sui ævi principibus in pretio est habitus, Guil. Budæo, Erasmo, Paulo Jovio, Card. Polo, Jo. Rivio, Cochlæo, Guil. Paradino, centumque aliis, quos & doctrina, qua pollebat, sua, & literarum frequenti commercio amicos sibi con-
307. ciliavit. Exstant plura ingenii ejus monumenta, quippe præter ea, quæ supra memoravimus, polemica multa edidit, separatim primum, postea junctim typis excusa.

THE LIFE OF ERASMUS, MORE PARTICULARLY that part of it, which he spent in England.

i. e.

VITA ERASMI, EA PRÆCIPUE IPSIUS pars, quam in Anglia transegit; ubi simul refertur, quibus tum inter eruditos amicis usus est; status itidem, qualis tum fuerit & Religionis & literarum in utraque Academia, Oxonienſi scilicet atque Cantabrigienſi, edocetur, addita Appendice, varia monumenta inedita complexa; Autore SAMUELE KNIGHT, Th. D. & Præbendario Elienſi.

Cantabrigiæ, apud Corn. Crownfield, J. Wyat, & rel. 1726, 8 maj. Alph. 1 pl. 12 Tabb. æn. 18.

QUi nuper, plaudentibus Eruditis, vitam *Joannis Coleti*, Angli doctissimi, de qua dicemus alio tempore, publicæ luci commisit, Clar. Autor, telam, quam exorsus est, laudabili instituto continuaturus, jam & *Erasmi Roterodami* vitam promit pari diligentia elaboratam. Scilicet quum animus ipsi sit, memorabilem illam temporis periodum, qua duumviri isti inter eruditos effulserunt, nondum satis ab Historiæ patriæ conditoribus excultam, illustrare, memoriamque doctorum, quos Anglia tum habuit plures, ab oblivione vindicare, neminem certe habuit industria

ſtria ſua magis dignum Eraſmo, cujus quippe zelo, & in repurgandæ religionis negotio, & in felici literarum divinarum humanarumque inſtauratione, tantum debet Anglia, quantum vel ulli civium. Equidem non defuerunt, qui in deſcribenda tanti nominis atque meritorum Viri vita, præter ea quæ ipſe Eraſmus conſignavit literis, peculiarem operam inſumerent, *B. Rhenanus*, *P. Scriverius*, *Bateſius* aliique, & imprimis *Jo. Clericus*, cui inſtitutum de Viri fatis & vita ex epiſtolis ipſius concinnanda (quod & *Claudius Joly*, Canonicus Pariſienſis, aliquando habuit, Fabricium, qui de Ciceronе idem fecit, imitaturus, morte vero impeditus exſequi haud potuit) feliciſſime ceſſit; at vero de illo, quod in Anglia transegit Eraſmus, vitæ ſpatio adeo illi non omnia habuerunt explorata, ut haud pauca dicenda adhuc reliquerint Noſtro, qui diſpoſitis non ſine labore in ordinem Chronologicum Eraſmi literis, adhibitisque quibusdam Viri hujus aliorumque coævorum ſchedis nondum publicatis, quarum verbis, vel ad cujusvis paginæ calcem poſitis, vel in appendicem rejectis, fidem a ſe dictis fecit, elegantem tanti Viri hiſtoriam luculento ſtilo concinnavit, Miſſis vero vel leviter ſaltim tactis, quæ extra Angliam ſcripſit feeitve Eraſmus, in hoc unice fere occupatur, ut, quæ in Britannia, quam tribus vicibus adiit, egerit, quos Patronos ibi, præceptores, amicos habuerit, quid incrementi ejus conſillo atque opera ceperint duæ Academiæ, quæ literarum, ſenſim tunc iterum ipſo auſpice efflorescentium, conditio, quæ religionis e Pontificio jugo eluctantis facies fuerit, deſcriberet, atque ſimul memoriam tot doctrina atque virtute inſignium Virorum, quorum vel nomina jam ipſis indigenis Anglis incognita eſſe cœperunt, inſtauraret. Non leve etiam decus operi conciliant figuræ æneæ ſeptendecim, nitidiſſime effictæ, atque ipſius Eraſmi, Henrici VIII, Catharinæ Reginæ aliorumque Virorum illuſtrium imagines, una cum aliorum monumentorum typis exhibentes, in quibus eminet p. 310 familiæ Thomæ Mori delineatio, ab Holbeinio facta & Eraſmo dono miſſa, de qua hic magnopere ſibi gratulatur in Epiſtola Latina ad Mori filiam Margaritam Roperam, quam Britanniæ ſuæ decus vocat. Appendix denique præter nonnullas Eraſmi epiſtolas integras

jam editas, præſtantiſſimorum quorundam ἀντογράφων nondum publicatorum farragine complectitur. Ex his ne nihil e libro tam fœcundo afferamus, lubet hic deſcribere extremum ejus Teſtamentum, quod ita ſe habet: Deſiderius Eraſmus Roterodamus, *fretus diplomatibus Cæſarii, ſummi Pontificis ac magnifici Magiſtratus inclytæ civitatis Baſileenſis, hoc meo chirographo renovo ſupremam voluntatem meam, quam quocunque titulo firmam ac ratam haberi volo: irritum vero, ſi quid aliud teſtatus ſum. Principio certus, me nullum habere legitimum hæredem, præſtantiſſimum Virum* D. Bonifacium Amerbachium *omnium facultatum mearum hæredem inſtituo: Executores vero* Hieronymum Frobenium & Nicolaum Epiſcopium. *Bibliothecam meam jam quidem vendidi* D. Joanni a Laſco, *Polono, juxta ſyngraphum ſuper hoc contractu inter nos confectum: non tradentur tamen libri, niſi hæredi numeraverit ducentos florenos. Quodſi ille pactum remiſerit, aut me prior e vita exceſſerit, liberum eſto hæredi, de libris ſtatuere, quod velit.* D. Ludovico Bero *lego horologium aureum.* Beato Rhenano *cochleare aureum cum furcinula aurea.* M. Petro Vetereo *centum quinquaginta coronatos aureos: tantundem* Philippo Montano Lamberto, *Famulo, ſi mihi morienti adfuerit, ducentos florenos aureos, niſi ego vivus hanc ſummam ei numeravero.* D. Johanni Briſchio *lagenam argenteam.* D. Paulo Volſio *florenos aureos centum.* Sigismundo Telenio *ducatos centum & quinquaginta.* Joanni Eraſmio Frobenio *duos annulos, quorum alter non habet gemmam, alter habet gemmam ſubviridem, Gallis dictam* Turquoys. Hieronymo Frobenio *lego omnes veſtes meas, omnemque ſupellectilem meam, laneam, lineam, & ligneam: præterea poculum, quod habet inſignia Cardinalis Moguntini. Uxori ejus annulum, qui habet imaginem mulieris, in tergum reſpicientis.* Nicolao Epiſcopio *poculum cum operculo, quod in pede habet verſiculos inſculptos.* Juſtinæ, *uxori ejus, duos annulos, quorum alter habet adamantem, alter* Turquoys *minorem.* M. Everardo Goclenio *poculum argenteum, quod in ſummo habet imaginem* Fortunæ. *Si quis legatariorum interciderit, quod legatum erat, in hæredis arbitrio eſto. Hæres, præter ea, quæ per Syngraphum deſignavi, ſibi accipiet, quicquid ſuper-*

superfuerit poculorum, aut annulorum, aut rerum similium; ad hæc numismata, insignia, & Lusitanos cruciatos, Regis Poloniæ & Severini Boneri faciem exprimentia, aliaque his similia. Præterea ducatos omnes duplices & quadruplices. Pecuniam apud Everardum Goclenium *depositam, illi in Brabantia dispensandam relinquet, quemadmodum ei mandavi. Siquid apud Erasmum Schetium erit reliquum, ab eo repetet, eamque pecuniam ac reliquam omnem, quæ superfuerit, suo arbitrio & ex consilio Executorum distribuet in usus pauperum ætate ac valetudine infirmorum, item in puellas nupturas, in adolescentes bonæ spei: breviter, quoscunque subsidio dignos judicaverit. Hanc extremam voluntatem meam, quo plenior sit fides, propria manu descripsi, ac peculiare annuli mei sigillum, Terminum, adfixi Basileæ in ædibus* Hieronymi Frobenii, *duodecima die Februarii, anno a Natali Domini MDXXXVI.*

OBSERVATIO PARELII SINGULARIS facta die 28 Augusti 1722 Germendorffii prope Berolinum a GEORG. WILH. WEGNERO, Pastore ejus loci.



Lecta

LEcta nuper in Actis Eruditorum Cel. Verdriesii duorum parheliorum observatio in mentem mihi revocavit phænomenon singulare, quod parelium etiam dixeris, quamvis a pareliis hactenus observatis plurimum differat.

Dies 28 Augusti A. 1722 erat pro ratione temporis calidus, cœlum serenum & nubeculis quibusdam albidis interspersum. Ventus flabat Borapeliotes. Hora circiter quinta vespertina atra quædam nubes (quæ in figura lit. A signata est) ab occidente oriebatur, quæ se tamen magis septentrionem quam austrum versus extendebat, & austrum versus in longam sed tenuem lineam B definebat, quæ etiam atri erat coloris. Hæc atra nubes tandem Solem jam inclinantem obtegebat. In via eram, & ab oriente versus occidentem domum properabam. Circa horam sextam tertia fere post quintam quadrante prope tenuem lineam atræ nubis B conspiciebatur alia nubes coloris albi C, quæ movebatur a Borea versus Africum, dum atra nubes stare & quiescere videbatur. In hac alba nube C imaginem Solis conspiciebam, ipso Sole ab atra nube tecto. Motus autem albæ nubis erat celerrimus, & antequam imago Solis in ea evanescebat, jam ultra atram lineam processerat, & quidem ita, ut cursus ejus esset supra atram lineam; quod exinde facile colligebam, quia imago Solis in nube ab inferiori atra nube sensim tegebatur, & sensim iterum apparebat. Imago Solis D erat rotunda, sed ipsum Solem magnitudine præter propter superabat dimidia. Colorata erat instar iridis.

Circumferentia exterior rubrum colorem ostendebat, quem flavus excipiebat, ceteri colores interiores haud facile dignoscebantur, quamvis a flavo distincti erant. Nubes alba C, cujus figura equidem irregularis antea erat, sicut in schemate descripta est, sensim se dilatabat versus Boream & Africum & tenuior evadebat, donec formam lineæ cujusdam aliquam latitudinem habentis indueret, vid. lit. E. Pro mutatione nubeculæ imago etiam Solis mutabatur. Figura rotunda mutabatur in Ellipticam, cujus axis brevior semper magis magisque decrescebat, longior autem augebatur, donec etiam in lineam desinebat, quæ tamen ab ipsa nube per aliquales colores adhuc

Digitized by Google

huc distingui poterat. Nubecula alba *in alias multas* minores dispersa, imago etiam Solis disparuit, postquam phænomenon per horæ circiter quadrantem observaveram. Atra nubes A, quæ pluviam minari videbatur, circa vesperam demum etiam dispersa est. Elevatio ejus maxima supra horizontem hora sexta erat 20 grad. Circuli Horizontalis. Coronarum & arcuum, quæ alias conspiciuntur, nulla mihi apparuere vestigia, quamvis anxie quæsita: sed & apparere non potuisse, deinceps facile colligebam, quia conditio aeris & circumstantiarum id non ferebat.

ISTORIA DELL' ORRENDO TREMUOTO &c.

i. e.

HISTORIA HORRENDI TERRÆ MOTUS, qui accidit Panormi, d. 1 Sept. 1726, conscripta a P. SALVATORE RUFFO, Panormitano, e Tertio Ordine S. Francisci.

Panormi, ex officina Angeli Felicellæ & Ignatii Magri, 1726, 4. Plag. 3½.

ACcepimus nuper ab ipso præstantissimo Autore hoc schediasma historicum, idemque, ut satisfieret voluntati optimi viri, atque iis, qui Italici sermonis ignari legere succinctam descriptionem tristissimi casus desiderant, in Latinam vernaculamque linguam conversum edi a J. G. Gleditschio curavimus. Bis illud in Italia impressum literatis viris æque ac nobilibus magnopere probatum est, non modo quia minutim omnia, quæ acciderunt, descripsit Autor, verum etiam quia candorem ejus in patefacienda veritate cuncti agnoverunt. Neque enim quicquam posuit, nisi quod vel vidit atque annotavit ipse, qui primis mox diebus totam urbem, non sine improbo labore, perlustravit, vel homines probæ notæque fidei testati sunt. Sed audiamus ipsum:

"Panormus, inquit, Siciliæ metropolis, cum multa alia ab" hominum atque naturæ liberalitate nacta insignia beneficia est," tum illud etiam ad hoc usque tempus habuit præclarum privile-" gium, uti in tot terræ tremoribus, quos afflixisse Siciliam me-"

moriæ

"moriæ proditum est, nullas fit perpessa ædificiorum ruinas, nullas "civium clades: nam fabulam *Guevaræ* Augustinus *Inveges*, & "alii, satis confutarunt. Hanc placuit Divino Numini, cujus oc- "culta & justa sunt judicia, die prima Sept. hujus anni, gravissimo "ac pernicioſissimo terræ motu conquassare: quo adeo lacerata ac "deformata est pulcherrimæ urbis facies, ut non solum ingenia "clementiora, sed ipsam crudelitatem, movere ad misericordiam "possit. Quanquam illa quidem, una civium suorum voce, confi- "tetur, potentissimam Dei manum multo pœnæ absynthio plus ta- "men olei misericordiæ admiscuisse.

"Dies erat nubilus, caliginosus, & respirationi incommodus, "quem principium noctis sequebatur, serenum illud quidem & "stellatum, ceterum ob crebras & validas circa horizontem ful- "gurationes, multis terribile. Observatum est a navicula Gallica, "quæ tum quidem millia passuum fere XXX ab hac urbe aberat, "nec non ab aliis, in camporum planitie & statione navium, acces- "sisse a septentrionibus, absque vento aut pluvia (quæ res jam "diu desiderabantur) meteorum quoddam, sive atram nubeculam, "ardentia & frequentissima fulgura, nec fulmina tamen, ejacu- "lantem, eamque paullo post in formam longæ trabis ignæ ex- "tensam appropinquare ad horizontem montis *Galli*, qui monti "*Peregrino* vicinus est. Fremere tunc atque intumescere mare, "mons ipse strepitare, & puncto temporis amœnissimum illum "tractum circumdans meteorum, cum horrendo fulgure dissplodi "atque in auras abire, prope arcem maritimam, ad portam *S. Geor-* "*gii*, quæ nunc *S. Rosaliæ* vocatur; stupescentibus & incredibili- "ter perterritis iis, qui rem e campo atque statione navium spec- "bant, incendiumque totius urbis verebantur. Sed & arcis sive "Castelli Præfectum Regium, *Kinterrott*, timor incessit, ne con- "ditorio pulveris bellici adhæsisset ignis hujus meteori, quod de- "inceps in aquas marinas, prope molem parvam, immergi, non "totum fortasse, sed ex parte visum est.

"Atque hoc ipso tempore, paulo ante quartam noctis ho- "ram, juxta horologium Italicum, totam concussit urbem & am- "plissimum ejus agrum terræ motus, qui oriri cum regulari qua- "dam agitatione, sed & cum inusitato strepitu observatus est. Se-

cuti

cuti ſunt quatuor multo urgentiores ac plane horribiliſſimi pul-
ſus, de eo genere, quod *Inclinationis* vocabulo deſignant phyſici,
nutante ſolo & modo ad dextram modo ad ſiniſtram jactato. Fi-
nem denique fecit terribilis fremitus, & tremor quidam irregu-
laris, cum repentino vento, qui a mari irruebat. Et motum qui-
dem ejus generis fuiſſe, de quo diximus, multo certius deinceps
ipſo oculorum ſenſu licuit dignoſcere. Nam cunctorum ædifi-
ciorum, tum everſorum tum laceratorum, integra erant funda-
menta, omnisque ruina a tectis, fornicibus, coronis, atque ſum-
mis faſtigiis orta cernebatur.

Dici non poteſt, quanto pavore perculſi ſint cives, quorum
multi tantum non nudi e lectis ruentes, per gradus, per feneſtras,
partim ſaltu, partim per ſcalas tumultuaria opera applicatas, ſe
præcipitabant. Alii extra urbem apertos quærebant campos: Ple-
rique cum nobiliores tum plebeji, ea ipſa nocte, tentoria vel caſu-
las igneas ſibi præpropere extruebant, in XII urbis propugnacu-
lis, atque paſſim in areis Regii palatii, templi cathedralis, Papyriti,
Caſtelli ad mare, aliiſque locis. Ab omnibus, cum gemitu atque
ululatu, implorata divina clementia, atque invocatæ *D. Mariæ* &
Roſaliæ, quæ ſunt duo aſyla amoresque pietatis Panormitanæ.

Senſerunt hunc terræ motum etiam urbes *Mazaræ* & *Marſa-
læ*, ut literis ſignificatum eſt: ſenſit *Drepanum*, quo loco duo ſal-
tim globi lapidei ex turri *D. Annuntiatæ PP. Carmelitanorum* de-
jecti, pereunte milite Germano in arce *Columbariæ*, ſine alio da-
mno. Senſit oppidum vicinum Archiepiſcopale, quod *Montis re-
galis* nomen habet: ſenſerunt alia multa loca & caſtella, ad LX
millia paſſuum a Panormo remota. Placuit Divino Numini o-
mnem peſtem in hanc unam metropolim effundere. E monte
Gallo ingens decidit ſaxum, ad mare usque, quod totum fremere
atque intumeſcere viſum, piſcibus tanta copia aſcendentibus, ut
navicularius quidam, ope exigui retis, paullo ante projecti, 750
libras ceperit, qui magno labore periculum ſubmerſionis, propter
validos concuſſus, evitavit. In iſthmo famoſæ molis, Geographis
tantopere celebratæ, vorago aperta, cum aliis fiſſuris longis:
idemque factum in propugnaculo urbis, quod vocatur *della Lan-
terna*. Diſrupta paſſim taberna ſub nobili ponte, quo amnis *Ore-*

"*tbus*, five *Admirati*, transmittitur. In regione, quæ dicitur *de* "*Ciaculli*, ubi olivetis & vineis distinctus ager, omnis aqua magnæ "piscinæ, in horto Principis *della Roccella*, foras ejecta. In *turri* "*longa* miles excubias agens interemtus. Arx suburbana regia "*Assisii* (*Zisam* vulgo dicunt) altissimum ædificium Saracenicum, "multis locis, in partibus cameris que superioribus hiavit: & com- "plures ædes in agro Panormitano fissuras reparabiles passæ.

"Ego, *inquit Autor*, qui tum in cellula sedebam cum duobus "religiosis, existimavi in illa perturbatione, terræ motum, a princi- "pio ad finem, tanto temporis spatio durasse, quanto opus est ad "recitationem dimidii Psalmi LI. Sed & alii, iique multi & graves "viri, qui paulo tranquillius rem observarunt, definiendum illud "tempus recitatione Symboli Apostolici arbitrati sunt. Ceterum "sine mora per gradus devolantes, cum LXXX aliis religiosis hu- "jus cœnobii *D. Mariæ a misericordia*, quod etiam *D. Annæ* vocatur, "in aulam hortumque nos effudimus, ubi aliquandiu supplices at- "que attoniti commorati sumus, timentes, ne XXIV columnæ, cum "IV pilis, quæ omnes e marmore cinereo conflatæ ædificium su- "stentant, novis concussibus subverterentur. Sed ad clamores & "lachrymas confluentis populi apertum templum. Apertæ etiam "omnes aliæ ædes sacræ, præter duas, ad accipiendas sacras con- "fessiones.

Hæc Autor clarissimus; qui deinceps singularem curam atque providentiam Prætoris, Senatus, ceterarumque principum perso- narum, ad conservandum ordinem in afflictissima civitate, expo- nit, fidelemque operam militum Germanorum deprædicat. De- scendit postea ad minutiorem damnorum enarrationem, quæ in singulis IV partibus amplissimæ urbis contigerunt: unde nobis qui- dem pauca delibanda.

In prima parte situm est palatium Regium. Hic, in camera *della Rachetta*, pars muri collapsa: conclave marmoreum frequen- tibus dissectum rimis. In atrio turris S. Nymphæ, ubi *Parlamentum* Regium congregari solet, medium disruptum & loco motum lon- gum crassumque ferrum, quod 3500 librarum æstimatur. Etiam hoc loco, itemque in scalis & earum fornicibus, in solario at- que in superioribus cameris, complures fissuræ. Omne damnum

Digitized by Google

hujus arcis farciri poteſt impenſis trium millium numorum, quos *Scudi* vocant. Jam in Cœnobiis *D. Eliſabethæ & D. Claræ*, in Xenodochio magno, atque in ædibus quibusdam vicinis, in templo Carmelitanorum majore, in Eccleſia Parochiali *D. Nicolai ab Albergaria*, non mediocres rimæ & ruinæ conſpiciuntur. In platea *de formaggi*, in longa via Germanorum, atque in foro, quod Sarracenice *Segebullarath*, hodie per ſyncopem *Ballarò* vocatur, pleræque domus trabibus ſuffultæ; quarundam gravius periclitatium pars ſuperior ultro deſtructa. Supra aream quæ dicitur *de Bologni*, dejecta e faſtigio palatii optimi Præſulis, jam diu defuncti, *D. Vincentii Hugonis*, ſtatua juſtitiæ: id quod variis ſermonibus variisque ingeniorum ſpeculationibus anſam dedit.

Pars altera urbis, juxta diviſionem Autoris noſtri magnificum templum cathedrale complectitur. Hoc ipſum & complura alia templa, cœnobia, collegia, atque ædificia privata, mire quaſſata & afflicta, partim etiam, cum multorum civium interitu, penitus everſa. Circa Papyritum duo viculi ſatis longi ruinis toti devaſtati. Relatum eſt ab iis, qui mortem effugerunt, clamore miſerorum, e domibus ſe proripientium, miſericordiamque & confeſſionem flagitantium, commotum pium ſacerdotem *Joſeph. Galeonium*, celeriter ad feneſtram ſe contuliſſe, ſed vix data abſolutione, præcipitem factum, una cum devota illa multitudine ruinis ſepultum eſſe. Ingenti numinis divini miſericordiæ attribuitur, quod publicarum meretricularum multæ & continuæ ædes, huic loco vicinæ, conſervatæ ſunt: nam meretrices illæ publicæ publicam egerunt pœnitentiam. In via *Pannaria, delle Api*, proximisque plateis atque viculis, totæ inſulæ domorum collapſæ, & magna hominum vis oppreſſa. Hic bonus quidam ſacerdos teſtatus eſt, inveniſſe ſe mulierem, cujus ſolum caput cum manu dextra e ruinis extiterit, quæ faciem pugno percutiens, altaque voce & multis lachrymis proteſtata, ſe non modo hanc mortem, ſed infernum meruiſſe, laudaverit Deum, a quo ita tractaretur, & mox confeſſa atque abſoluta exſpiraverit. Nec prætereundus eſt alius caſus, qui accidit in *Pannaria*. Erat in lecto cum ſuo amaſio pellex, quæ jam per XIX annos ejus ſe tradiderat libidinibus. Concutiuntur & labaſcunt ædes: mox ingens ſaxum caput infelicis hominis comminuit: tremere hinc mu-

Digitized by Google

lier, & periculum æternæ damnationis agnoſcens pœnitentiam agere, ſanctumque *Nicolaum Tolentinatem* invocare; nec fruſtra, Noſtro judice; nam explicuit ſe ex ruinis, templumque *S. Auguſtini* ingreſſa, multis lachrymis miraculum enarravit, atque reciſo capillo & in ædicula hujus ſancti ſuſpenſo, mores ſuos correxit.

In tertia urbis parte, ubi Senatorium aſſurgit palatium, & plures & multo magis deplorandæ contigerunt ruinæ. Ipſa ædes *Mariæ a miſericordia*, PP. tertii ordinis *S. Franciſci*, e quorum numero eſt Autor noſter, multis affecta damnis. Collapſæ ſunt domus contiguæ, quarum bona pars ad Conventum illum pertinet. Auxit terrorem repentinum incendium, in tectis, lignis & trabibus ædificiorum ſubverſorum, a facibus hominum, in removendis lapidibus extrahendisque corporibus occupatorum, exortum; quod tamen providentia duorum Senatorum in tempore reſtinxit. Maxima ſtrages edita in regione *de Lattarini*, ubi in tribus plateis pleræque ædes ſubverſæ, multique mortales vivi ſepulti. Accidit in aliqua domo hujus regionis, ut uxor *Antonini Palermi*, Joanna, pia mulier & puriſſimo conceptui divæ Virginis devota, ad primum terræ concuſſum in genua provoluta, miſericordiamque a Deo precata, præſentem opem immaculatæ Virginis, cui ſeſe commendaverat, experiretur. Collabente enim domo, e ruinis formatum circa ipſam tuguriolum, ubi incolumis ſpectavit filii familiæque necem, iisdemque multis lachrymis parentavit.

Reſtat quarta urbis pars, qua templum auguſtum *S. Dominici* & Caſtellum Regium ad mare comprehenditur. Hic non multo minor devaſtatio & clades; imprimis circa forum magnum, quod vocatur *della Bocceria*, in plateis *de Mezzani*, itemque in iis, quæ a pileorum, pannorum, rerum argentearum, gladiorum, & ciſtarum artificibus denominari ſolent. In area *S. S. baſtiani* ex ædibus Principis *di Roccapalomba* factus lapidum acervus, ſub quo ſepulta Princeps mater, Domina *Damiana Galletti & Corvino*, cum duobus nepotibus; ſervato Principe filio. Ruinæ domus *Michaelis Mureti*, qui ipſe interitum effugit, bonum ſacerdotem oppreſſerunt, *Ignatium Staſſi*. Hic, cum primum terræ motus ſentiretur, relicto *Murtto*, avunculo ſuo ægroto, in aliud conclave ſe receperat, ubi flexis genibus, nudatum tergum flagro proſcindens, ante æſtumatiſſimam

mam imaginem immaculatæ Virginis preces effudit; repertus postea cum *breviario*, in quo Psalmi pœnitentiæ evoluti. Ceterum illæsa in hac urbis parte subsiterunt magnifica templa S. Dominici, S. Zitæ, S. Ignatii, & complures aliæ ædes cum sacræ tum profanæ.

Quod ad numerum eorum attinet, qui passim in tota urbe partim occisi, partim graviter vulnerati, eum ad homines circiter CCCC pertingere satis constat; quem mediocrem dixerisin civitate, quæ plusquam centena & vicena millia animarum complectitur. E tribus millibus clericorum, qui *seculares* vocantur, IV sacerdotes perierunt; e CLXXXII illustribus principibusque personis una *Rocapalombæ* Princeps; e tot centenis Monialibus, in XXII Monasteriis & XIV conservatoriis, similiterque e LII conventibus Monachorum, plane nemo. Damnum ædificiorum non nisi ter decies centenis millibus nummorum sarciri posse judicatur.

Atque hæc fere sunt, quæ ex schediasmate doctissimi *Ruffi* huc transferenda judicavimus. Qui plura scire desiderat, imprimis de solennibus iteratisque civium Panormitanorum Processionibus, is ad ipsum Cl. Autoris scriptum ablegandus est.

SAMUELIS PUFENDORFFII DE OFFICIO hominis & civis Libri duo. Supplementis & Observationibus auxit & illustravit GERSCHOMUS CARMICHAEL, Philosophiæ in Academia Glasguensi Professor.

Edimburgi, impensis Joannis Paton, 1724, 12.

Alph. 1 plag. 14.

Richardus Steele, Eques Anglus, in epistola nuncupatoria ad Papam Clementem XI, *Notitiæ status Religionis Romano-Catholicæ* præmissa, in Scotorum Academiis ab omni penitiori veritatis indagatione religiosissime abstineri tradit. Esse enim formulas comparatas, intra quas omne verum consistat, & quarum terminos qui migrare velit, sacrilegii reus sit. Quod quidem de doctrina morum non satis explorate dici, hæc Pufendorffii editio fidem facit, qua Cl. Editor partim Supplementis, partim Observationibus suis perfectius præstantissimæ disciplinæ Systema molitus est. Quod institutum, ut & subacti judicii & probitatis commendatione, qua ubivis viri boni speciem Editor tuetur, laudabile est; sic operæ pre-

tium fuerit primum de Supplementis, tum de Obſervationibus dicere ſingulatim.

Monuerat *Leibnitius*,*a*) vix eſſe, ut Pufendorffii libellus vice abſolutæ epitomes doctrinæ morum fungi poſſit, idque pluribus argumentis iverat evictum. Ab ejus ſententia ad populum provocaverat *Jo. Barbeyrac* V. Cl. *b*) cœperatque velle animadverſiones ejus omnes refellere. Non tulit id *Balthaſ. Branchu*,*c*) qui annis aliquot poſt arbitrium juvenis inter ſenes interponens, ingenti ſtudiorum fiducia illud in omnibus dedit ſecundum Leibnitium. Dum ita in diverſiſſima abeunt ferventia utriusque ſtudia, mediam viam Cl. Editor init, & quæ jure reprehendi videbantur, Supplementis emendare, reliqua verecundius excuſare inſtituit.

Quaternarius eſt numerus horum Supplementorum. *Primo* ſumma capita doctrinæ morum ex reverentia ſummi Numinis repetit. Obſervat enim, hanc quidem non ſcriptam, ſed natam nobiscum legem eſſe, ut unusquisque velit, ſibi bene eſſe, male non eſſe. Huic vero naturæ deſiderio perfectius ſatisfieri, ſummamque adeo beatitudinem, imprimis computatis rationibus vitæ futuræ, cujus ſpem indubiam juſtitia & providentia divina faciant, inveniri non poſſe, niſi homo voluntati Dei, cum in lege *poſitiva*, tum per rationem in lege *naturali* expoſitæ, amanter & reverenter obtemperet, Deoque

Compoſitum jus fasque animi ſanctosque receſſus
Mentis & incoctum generoſo pectus honeſto

offerat. Hoc igitur Supplemento Cl. Editor ex ſententia Leibnitii hominum mores ad Dei nutum fingere ſatagit; aliter ac Pufendorffius, qui depreſſius intra forum humanum ſubſiſtens felicitatem omnem hujus vitæ ambitu æſtimaverat. Supplemento II Pufendorffii ſtudio ſocialitatis duo alia præcepta præmittit, quorum alterum ad cultum Dei, alterum ad uniuscujusque utilitatem aliis innoxiam pertinet. E quibus fontibus dein nova methodo *totius diſci-*

a) In epiſtola a Juſto Chriſtoph. Böhmero, Profeſſ. Helmſtadienſi, A. 1709 in Programmate Academico primum edita, dein editionibus officiorum, Groninganæ Pagenſtecheri, & aliis adjecta.
b) In appendice verſionis Gallicæ Officiorum Pufendorffii.
c) In Leibnitio vindicato, qui cum obſervatt. ejus ad Jus Romanum T. I prodiit Lugd. Batav. 1721.

Digitized by Google

disciplinæ moralis synopsin derivat in *appendice*. Qua in re proinde rursus Leibnitii sententiæ obsecundat, qua is pleraque Pufendorfii ex principio ejus non deduci dixerat. Supplementum III inscribitur *de officio hominis erga suam mentem*, eoque Cl. Editor ex Pufendorfii majori opere repetit officia ad culturam animi pertinentia. Quæ eo redeunt, dandam esse operam, ut mens sanis circa officia sententiis imbuatur, ut recte æstimare discat, quæ hominum appetitum stimulare solent, ut animi affectibus, amori, odio, invidiæ, metui, iræ, lætitiæ, spei, pro ratione imperet, denique ut honestam artem, pro sua quivis vitæ conditione, addiscat. Supplemento IV, quasi contractus ex æquitate & *præsumto* consensu repetuntur. Transimus ad Observationes. Iis & *Ethicæ & Juris Naturæ stricte sic dicti* præcepta Pufendorfiana; (utramque enim disciplinam officiis suis complexus est Pufendorfius, utramque rectissime jungi censet Cl. Editor) locupletantur, quod, ut in rem præsentem eamus, e sequentibus apparebit L. I c. II §. 12 n. 1. generales virtutis & vitii ideas sistens, illam definit, *habitum inclinantem ad obtemperandum legi Divinæ*; hanc *habitum inclinantem ad transgrediendum legem Divinum*. Observatque, justitiæ, quæ personæ tribuitur, definitionem, qua constans & perpetua voluntas dicitur, jus suum cuique tribuendi, si latius accipiatur, integram quidem virtutem complecti; nec prorsus tamen rejiciendam esse Cardinalium virtutum enumerationem. Quamvis enim reliquæ tres justitiæ hujus ambitu contineantur; singulas tamen esse quodammodo virtutes generales, & ad omnia officiorum genera usum suum extendere. Prudentia enim sedulo indagari ac mature dijudicari, quid ubivis Deo, nobismet & aliis debeamus: temperantia vero & fortitudine duo præcipua bene agendi impedimenta tolli, nimiam scilicet affectationem bonorum, & nimium terrorem malorum, ita ut illa doceat ἀπέχεσθαι, hæc ἀνέχεσθαι, quibus Philosophiæ morum summam contineri haud insipide docuerit Epictetus. Quam in rem præclare Cicero Offic. L. I c. 12: *Nemo justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet, aut, qui ea quæ his sunt contraria æquitati anteponit.*

Ex Observationibus, quibus Pufendorfii Officia, quantum ad Jus Naturæ stricte sic dictum pertinet, auxit & illustravit eas repetimus, quibus Officia conjugum e Naturæ præceptis fere ad decus disciplinæ Christianæ ordinare tentat. Observat igitur L. II c. 2, non tantum, quod Pufendorfius ostendit, omnem vetitam libidinem, in diversum eundemve sexum ruentem, quasvis fœdas pollutiones, omnemve commixtionem extra matrimonium lege Naturæ damnari; sed & ab homine insuper lege socialitatis exigi, ut & naturalem conjunctionem ad humanæ societatis commoda attemperet: quod cum non tantum in eo vertatur, ut in immensum crescat hominum numerus; quam ut prolis nascentis cum corpore mens recte efformetur, quo personæ instructiores in scenam prodeant; non aliam esse honestam prolis generandæ rationem, quam quæ ad ejusdem idoneam educationem tendat. Proinde eos demum obstringi absoluta incundi matrimonii

nil obligatione, qui hac facultate reipublicæ commodis inſerviendi gaudeant. Ut vero & mas & femina ſibi ſobolem quærere velle cenſeantur; ſic ut pater paterno affectu ſobolem amplecti poſſit, requiri, ut ſuam prolem eſſe noverit, quare illi ſoli uxor jungi debeat. Ideoque & ſimul ob communem curam educandæ prolis debere, qui corpora mutuo conjungunt, in eandem familiam concedere eosdemque Lares a primo inde congreſſu habere. Non minus vero naturalem æquitatem poſtulare, ut maritus unius non plurium uxorum conſuetudine utatur, præſertim cum propter æqualem circiter virorum ac feminarum numerum *polygamia ſimultanea* præ *monogamia* ad hominum genus multiplicandum nihil conferat; at contra iniquiſſime opprimat non modo *uxores*, quæ exigua conſortii parte jubeantur eſſe contentæ, ſed & *alios viros*, quorum plurimi iſta ratione uxoribus carere cogantur, & præcipue *natos*, quibus tanto numero ſollicite educandis unius, patris cura non ſufficiat; ut ex iſta licentia ἀζοργίᾳ patrum, ἀχαριςίᾳ liberorum, rixæ denique & adulteria uxorum non poſſint non propullulare. Porro arctam illam animorum non minus quam corporum conjunctionem non pati, ut vel ad tempus ineatur matrimonium, vel a conditionibus, quas præſtare ſupra ſortem humanitatis ſit, ſuſpendatur. Si qua procreatio & educatio ſobolis propter provectiorem unius vel utriusque conjugis ætatem ſperari nequeat, quousque id genus conjugiorum tolerari debeat, legum publicam curam eſſe, quo olim pertinuerit unum legis Juliæ & Papiæ caput: poſtulare tamen humanæ naturæ dignitatem & has conjunctiones ſummæ ſanctitate velari. Ceterum conjugia inter adſcendentes & deſcendentes recte a Grotio & Pufendorffio e jure naturæ repeti, quia affectus & conſuetudo conjugalis cum reverentiæ pudore, quem parentibus & liberis cujuscunque gradus intercedere neceſſitudinis hujus ratio exigat, componi non poſſit. Prohibitionem nuptiarum vero, quibus conſanguinitate & affinitate junctis connubia interdicantur, ex lege poſitiva repetendam eſſe.

Solet Cl. Editor in obſervationibus inter veteres imprimis ad Ciceronem in Officiis provocare, exemplo H. Grotii, qui Ciceronis præclare dictis ſua tanquam luminibus diſtinguens ſatis oſtendit, quanti hanc penum Socraticæ ſapientiæ faceret, quam *Deshayes*, ſupremæ Curiæ Pariſienſis Advocatus, vir negotiorum civilium uſu clarus, legis naturæ *Evangelium* dicere veritus non eſt. 1) E recentioribus, *Noſter* præter acutiſſimi *Titii*, noſtratis, animadverſiones, imprimis *Jo. Barbeyrac* annotationibus, *Huberi* libro de jure civitatis & *Lockii* de imperio uſus eſt. Veteres quoque Juriſconſultos ſubinde ſententiam rogavit, autorque fuit Philoſophis, ut & ipſi Civili Prudentiæ operam darent. Quod ſi futurum eſt, parcent forſitan nimiæ diligentiæ, qua officia hominum in ſtatu naturali, ſeu ſi mavis in republica Solis juſto operoſius ordinaverunt, intelligentque, ſubtilia quidem ſatis ea eſſe, ſed ut aranearum texta nemini profutura. Ideo enim excogitata videntur, ne, quod Cicero de Rhetoribus Græcis dixit, ars exilis videretur.

1) Vide *Journal des Scavans T. XIII*, 1665.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno M DCC XXVII.

NICOLAI COMNENI PAPADOPOLI Hiſtoria Gymnaſii Patavini.

Tomi II.

Venetiis, apud Sebaſtianum Coleti, 1726, fol. Alph. 8.

QUi Gymnaſii Patavini, quo & doctorum & alumnorum, ſive numero, ſive fama illuſtrius haud novit univerſa Italia, hiſtoriam condiderunt, *Ant. Riccobonum* atque *Phil. Jac. Tomaſinum*, nondum omni ex parte operi, quod ſuſceperant, ſatisfeciſſe, pridem deprehenderunt eruditi. Ille enim etſi nitido & ſatis Latino ſtilo uſus ſit, levi nimis brachio argumentum, certe haud ſterile, pertractavit, hic vero prolixior quidem, ſed multa aliena immiſcet, conjecturis nimis indulget, plurima etiam non adeo idoneis firmata affert documentis. Accedit inſuper, quod, quum duumviri illi ſatis longo abhinc tempore floruerint, de recentiſſima quidem Athenæi hujus facie, priſca illa longe auguſtiori, nihil dicere potuerint. Bono itaque omine factum, ut, qui ex ſplendidiſſimo Venetæ Reipublicæ Senatu Lycei curam habent, de continuanda Gymnaſii hiſtoria cogitarent ante annos aliquot, eoque *Nicol. Comneno Papadopolo* provinciam hanc deferrent autoritate publica, qui jam tum anno 1688 vergente e Collegio ac Gymnaſio Juſtinopolitano, cui præerat, ad Profeſſionem Juris Canonici Patavium evocatus & 400 flor. ſtipendium nactus eſt, quod paulatim ita auctum eſt, ut, illo ſubinde lautioribus admoto, & tanti, quem in elucubrando hoc opere

Præf. p. 154, 155, 156.

re ſuſcepit, laboris ratione habita, A. 1724 ad mille & quadringentos flor. adſcenderit: ut taceamus, penes eundem ab A. 1708 ad
p. 31. 1710 & ab A. 1720 ad 1724 præſidium fuiſſe Collegii Juris Conſultorum. Enimvero Autor hic doctiſſimus opus hoc multiplex, varium ac elegans, quatuor fere annorum ſpatio, e publicis Tabulis Gymnaſiique actis & privatorum ſcriniis plurimis compoſuit. Qua in re ita verſatus eſt, ut a *Riccobono* atque *Tomaſino* recte, clare atque utiliter poſita, ceu apud ipſos legenda, omiſerit, ſecus vero tradita emendaverit, omiſſa ſuppleverit, confuſa in juſtum ordinem retulerit, & univerſam Gymnaſii hiſtoriam ad annum usque M DCC XXIV apte deduxerit. Dividitur opus Tomis II, quorum primus, tribus Libris conſtans,
TIL. I p. 2. juſtam ipſius Gymnaſii deſcriptionem exhibet. Primordia, quæ antiquiſſimis temporibus, magnifice quidem, ſed non ex vero, ponit Tomaſinus, Noſter declinante Seculo XIII circa annum MCCLX ſtatuit merito; quum ante illud tempus nec Præceptorum nec diſcipulorum ad urbem hanc confluentium veſtigium deprehendatur ullum. Tunc enim Goſaldum quendam Hiſpanum Juri æque ac Medicis artibus curandis præfectum fuiſſe, multaque cum fructu ſanxiſſe legitur: cujus poſt obitum bini ſemper Rectores, JCtorum unus, Artiſtarum alter, conſtituti ſunt. Hi quum eſſent rei, cui præerant, augendæ admodum ſtudioſi, factum eſt, ut parvo admodum tempore inſignia caperet
3. augmenta Gymnaſium, quæ ſub Patavinis poſt hæc Principibus magis indies creverunt; præſertim quum nova ſubinde largi-
4. rentur privilegia Romani Pontifices, novas indulgerent immunitates Carrarienſes. In ipſo ſeculi decimi quinti limine tantum
5. non ad interitum vergebant res Gymnaſii infauſto Patavinorum cum Venetis bello: quo tamen finito, & pace reddita, quum Vene-
6. torum imperio cives ſe permitterent, decus atque jura reddita ſunt Lyceo & confirmata, leges utiliſſimæ præſcriptæ, &, quum diſtarent antehac JCtorum & Artiſtarum ſchoiæ, una ſedes unumque domicilium in foro publico conſtitutum; cui exſtruendo quum plane non ſufficeret fiſcus Gymnaſii, regia Veneti Senatus munificentia, magna opum vi oblata, neceſſitati oc-
9. currit ærarii. Ita inſigniter locupletatum & Profeſſorum ſtipendia

non

non pœnitendis adaucta sunt accessionibus; cujus liberalitatis exempla illustria admodum Cap. VIII enarrantur. Origine sic, incremento & splendore, quo ad hunc diem fulget, expositio, de Collegiis Gymnasii variis eorundemque fatis differit Autor Cl. Catalogum etiam illorum, qui ex Ducibus Venetis Gymnasio præfecti fuerunt, texit; Triumviros item, Rectores, Cancellarios & Syndicos memorat, quorum meritis ac virtute stetit hactenus Gymnasii gloria. Secundo Tomi primi Libro ordo studiorum atque ratio, quotidiana itidem prælectionum pensa describuntur; Syllabus pariter Professorum, tum Juris scientiam, tum liberales artes tradentium, exhibetur, una cum eorundem oneribus, officiis, immunitatibus atque privilegiis. Progreditur post hæc Autor ab anno MDCLIII, ubi scilicet definit *Tomasinus*, ad annum usque MDCCXXIV, & illorum, qui in Lyceo præclaro docentium functi sunt munere, nomina, sollicita temporis habita ratione, enarrat; prolixa omissorum antehac neglectorumque addita mantissa. Liber denique tertius elogia Professorum nitido succinctoque scriptionis genere complectitur; eorundemque vitam, famam atque præclara tum in universam litterarum rem, tum in Patavinum præcipue Gymnasium merita deprædicat, scriptorum etiam, quæ quisque edidit, notitiam suppeditat. Potissima operis pars est hæc tractatio, una cum Tomo secundo, quo Gymnasii alumni, qui sive Jurium doctrinæ, sive liberalibus disciplinis ibidem operam dederunt, exteri pariter indigenæque, quique splendidis, queis postea admoti sunt, muneribus celebre adepti fuerunt nomen, recensentur. Enimvero insignem plane illustrium discipulorum numerum ostentat, in quibus Pontifices, Cardinales, Reges, Electores, belli Duces, Principes. Inter ceteros hic nominatur Gustavus Adolfus, Suecorum Rex, quem jam regali diademate, sed minorennem adhuc, fulgentem, Patavii, Comitis Sudermanniæ nomine adscito, per integrum fere annum versatum esse, ut Italicam linguam addisceret; præterea vero virginem ibidem quandam monialem pulcerrimam deperisse, amplisque affecisse muneribus, in Germaniam eam, si annuisset, abducturum; Galilæi itidem publicis prælectionibus sedulo interfuisse, ex Gymnasii monumentis &

p. 11,

Tom. I Lib. II. p. 118.

120.

134.

149.

Tom. I Lib. III.

Tomus II.

288.

συγχρόνων teſtimoniis Noſter probat. Inter ceteros vero Gymnaſii alumnos, quorum magnum deinde inter eruditos nomen exſtitit, memorat Hermol. Barbarum, Chriſt. Longolium, Ludovicum Areoſtum, Jo. Fr. Picum Comitem Mirandulanum, Petr. Bembum, Reginaldum Polum, Michaelem Hoſpitalium, Andr. Dudithium, Aug. Busbequium, Torquatum Taſſum, M. Ant. de Dominis, Nic. Cl. Peireſcium, Auguſtum Brunſuicenſium Ducem, Principem litteratiſſimum, Beſſarionem Card. Theod. Gazam, Georg. Trapezuntium, Hieronymum Savanarolam, Mich. Marullum, Jo. Laſcarem, Bilib. Birckheimerum, Nic. Copernicum, M. Ant. Flaminium, Paull. Jovium, Jul. Cæſ. Scaligerum, Petr. Martyrem, Onuphr. Panvinium, Paull. Manutium, Hier. Cardanum, Hier. Wolfium, Guil. Poſtellum, Bern. Teleſium, Fr. Patricium, Joach. Camerarium, Jac. Arminium, Ant. Poſſevinum, Erneſt. Sonerum. Andr. Schottum, Laur. Pignorium, Cyrillum Lucarem, Oliverium Cromwellium, Chriſtian. Langium, Thomam & Eraſmum Bartholinos, Wern. Rolfinkium, Alexandrum Maurocordatum, Jo. Nicolai, hodierni Vallachiæ Principis illuſtriſſimi, parentem, Joannem Zamoſcium, Petr. Jo. Reſenium, & plures alios. Singulorum vitas atque merita pari, qua in Profeſſoribus recenſendis verſatus eſt, induſtria ingeniique laude, ſine ulla offenſione, eorum etiam, a quorum ſacris diſſidet, deſcribit Autor doctiſſimus, dignus profecto, cujus præſtantiſſimum exemplum noſtrates ſequentes, Germaniæ Academiarum hiſtorias componant atque effingant, amplum haud dubie operæ ſuæ pretium laturi.

p. 140.

LIBER PONTIFICALIS SEU DE GESTIS Romanorum Pontificum, quem cum Codd. MSS. Vaticanis aliisque ſummo ſtudio & labore collatum emendavit, ſupplevit JOANNES VIGNOLIUS, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus alter &c.

Romæ, typis Rocchi Bernabo, 1724, 4 maj.
Alph. 2 plag. 9 Tabb. æn. 2.

Anaſta-

Digitized by Google

ANaſtaſii, Seculo a Chriſti nativitate nono Abbatis & Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarii, Romanorum Pontificum Vitas, a B. Petro ad Nicolaum I, poſt M. Velſerum & C. A. Fabrottum denuo paucis abhinc annis Romæ cum plurium eruditorum notis vulgare cœpit *Franciſcus Blanchini*, in Sacello Apoſtolico Subdiaconus & Clementi XI ab honore ſacri Cubiculi, de cujus ſplendidiſſimæ editionis Tomo I in Actis A. 1719 p. 425 & de Tomo II (ceteri adhuc deſiderantur) A. 1725 p. 153 accurate egimus. Sed ecce novam nunc & emendatam, quamvis notis longe paucioribus inſtructam, producimus editionem operis Anaſtaſiani, quam ad Codices MSS. Vaticanos aliosque caſtigatam, cum variis lectionibus, animadverſionibus & novo rerum verborumque obſcuriorum Indice, ante biennium Romæ ſub *Libri Pontificalis de Geſtis Romanorum Pontificum* titulo, quo vulgo in Codicibus inſignitur, publicavit *Joannes Vignolius*, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus alter & a Cubiculo Benedicti, Pontificis hujus nominis XIII, hodie regnantis, cui & opus inſcripſit, Honorarius. Nec quisquam omiſſum Anaſtaſii nomen mirabitur: nam cum ægre ferret Blanchinianæ editionis typographus, eundem librum, in eadem urbe, tam facili ſumptu recudi, ere viſum eſt Noſtro, ut nec Autoris in titulo, nec editionis illius in præfatione ullam faceret mentionem. Nimirum Noſter, a ſuo munere haud alienum exiſtimavit, ex quo demandata ipſi fuit Apoſtolicæ Bibliothecæ cura, hunc imprimis laborem ſuſcipere, & ad purgandum ab antiquis erroribus, quibus illa Velſeri & Fabrotti exemplaria ſcatebant, Anaſtaſium accedere. Quod ut eo felicius exequeretur, cum Codicibus MSS. numero XIX, integris, quamvis non omnibus, qui in Bibliotheca Vaticana aſſervantur, quorumque Indicem Operi præmiſit, Pontificum Romanorum vitas ſtudioſe contulit, &, quæ prima ipſi cura fuit, ad eorum fidem & autoritatem textum ipſum caſtigare, a mendis purgare, ſupplere, ubi mutilus erat, &, quoad fieri potuit, priſtinæ integritati eundem reſtituere maluit, quam, ſervato textu corrupto & denuo typis mandato, indigeſtam variantium lectionum molem aut margini adſcribere, aut ad operis calcem rejicere, quod factum fuerat a Fabrotto. Princeps hic fuit &

primarius noſtri Autoris ſcopus, quamvis negari non poſſit, acceſſiſſe & huic Editioni varias ex Vaticanis Codicibus lectiones, quas tamen, quia non tantum apud Autorem valebant, quantum illæ, quarum beneficio textus emendatus apparet, in unaquaque pagina huic ſubjiciendas eſſe exiſtimavit. Inde factum, ut, qui in noviſſima hac Editione legitur, textus multum diverſus ſit ab illo Fabrotti &, qui ad hujus exemplum expreſſus eſt, Cl. Blanchini, cumque præterea Codicum MSS. longe plurium, quam uterque illorum viderat, auxilio adjutus ad emendanda hæc Eccleſiæ Romanæ monumenta acceſſerit Vignolius, multo etiam politiora, quam antea, publicam nunc illa lucem aſpicere, facile largimur. In hoc tamen non omnis verſatur labor, quem Libro Pontificali impendit Vir doctus, verum animadverſiones ſimul adjecit, breves quidem & ſuccinctas, quibus obſcuriora cum obſoletis vocibus explicantur, quæ ſub Romanorum illius ævi Pontificum regimine geſta fuerunt, illuſtrantur, vulgares quoque & receptæ opiniones, quæ non ſatis fundatæ ſunt, interdum refelluntur. Huc faciunt, quæ de Martyrum memoriis in vita Anacleti, de hymno triſagio, ſanctus, ſanctus, ſanctus, in Xyſti vita obſervata fuerunt Autori Cl. Sic, quando geſta Victoris animadverſionibus illuſtrat, non intactam prorſus reliquit controverſiam, quæ de Paſchate celebrando mira animorum acerbitate agitata, graviter per aliquot Seculorum decurſum exercuit orientis & occidentis Eccleſias; nec minus grata ſunt lectu, quæ de levatis Petri & Pauli, Apoſtolorum, e Catacumbis Romæ corporibus in vita Cornelii adverſus Pagium diſputat, cujus quoque rei hiſtoriam æri eleganter inciſam eodem loco repræſentavit pag. 49. ut reliqua taceamus, quæ pari utilitate ſeſe commendant. Interim ſilentio prætereundum non eſt, in ea eſſe opinione Virum Cl. non unius Anaſtaſii, ſed plurium pro tempore ſcriptorum opus eſſe hunc Librum Pontificalem; quam adeo cauſam præfert, quod fidem potius & autoritatem veterum Codicum MSS. quam recentiorum & inſequentium ſcriptorum opinionem ſequutus, nullius plane Autoris nomen operis titulo præfigi voluerit. Ceterum poſt vetuſtam Tabulam marmoream, Romanorum aliquot Pontificum dies natales exhi-

ben-

Digitized by Google

bentem, quæ hic in ære conſpicitur, præmiſſi ſunt huic Editioni Catalogi IV, quorum primo Romanorum Pontificum a B. Petro usque ad Paſchalem II, ſecundo a Lando usque ad Gregorium VII, tertio a Petro usque ad Hadrianum IV, quarto ab Hadriano II ad Clementem usque III, nomina ex quibusdam Vaticanis Codicibus ordine ſuo leguntur. Acceſſere Index rerum & Gloſſarium verborum, quæ obſcuriora & minus uſitata occurrunt, ſubinde breviter illuſtrans.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTINENS RARIORA MELIORUM INTERPRETUM OPUSCULA: CUM PRÆFATIONE EVERARDI OTTONIS, JCti & Anteceſſoris.

Tomus II.

Lugduni Batavorum, apud Joannem van der Linden, jun. 1726, fol. chart. maj.

Alphab. 8 plag. 19.

SEdecim hoc faſce nobis porriguntur Opuſcula, quamvis nec raritate, nec dignitate inter ſe prorſus æqualia, pleraque tamen melioris notæ, & in lucem revocari digna. Suum cuique pretium ſtatuit doctiſſimus Otto in præfatione, qua & notitiam ſingulorum Autorum dedit, qualem invenire licuit, & quædam ad *Fornerianos*, *Nerianos* & *Heraldinos* libellos erudite notavit. Primo loco comparent *tres Selectionum libri Guil. Fornerii*, Anteceſſoris illius Aurelii, alias notis ſuis ad Caſſiodorum Senatorem & commentariis ad *tit. D. de verbor. ſignif.* clari. Ut ſemper Aureliis Anteceſſoribus vehementes fuerunt ſimultates cum Cujacio, ita nec Fornerius ab his intactus manſit, cumque ſubinde occulto nomine impugnaſſet Cujaciana, tandem rupta illius patientia integrum *caput 37 lib. IX Obſervationum* his Selectionum libris oppoſitum atque in eo acerbum ingenii Cujaciani luſum ferre coactus eſt. *Id ſane non probabat*, inquit Cujacius, *qui, hæc dum ei recitaretur interpretatio, doctiſſimus vir, excandeſcens dicebat: Hoc, id eſt, Aſinus & molendinum: neque alter, qui: Hoc,*

Hoc, inclamabat, id est FORNACARIUS, qui obdormivit ad fornacem: quod respicit ad *l.* 27 § 9 *D. ad L. Aquil.* ubi Fornacarius quidam servus negligens obdormivisse ad fornacem proponitur, alludendo ad nomen *Fournierii*. Quoniam vero Cujacius quædam Selectionum capita, maxime priora, prætermisit; nata hinc Ottoni nostro in illa commentandi occasio. Libro I cap. I Pomponium secum in speciem pugnantem *l.uo* §. 1 *D. de verb. obl.* & *l.* 33 *D. de aur.* & *arg. leg.* Fornerius recte explicat per differentiam inter stipulationes & legata. Satis autem obscure definit, in stipulatione usum, in legatis mentem testatoris attendi debere. Potius in stipulatione respiciendum est ad proprietatem vocis & mentem stipulantis, verbis: *vestem, quæcunque muliebris esset*, satis declaratam, in quam promissor consensisse videbatur. In legato ad singularem testatoris mentem, ex ejus consuetudine æstimandam, attendemus. Nam si vestem muliebrem legavit, qui ipse solitus erat uti veste muliebri, quasi virili, non videtur de ea sensisse, qua ipse utebatur. Ad cap. 2, *quid sit ædificiorum* ætates *examinare* in *l.* 58 *D. de leg.* 1, Fornerius ætates eorum vetustatem interpretatur, quod alias quidem cum veterum loquendi more, non tamen cum sententia illius *l.* convenit. Quid ergo? viri boni arbitrio contineri videtur, ut ex genere tigni æstimet, quam ætatem nova ædificia ab herede exstructa ferre possint, sumtusque bene an male sint facti. Vid. Vitruvius *lib. II c.* 8 & 31, Plinius *H. N. XXXV c.* 14. Ad cap. 3, quod ad Jurisprudentiam symbolicam spectat; lux accenditur *l.* 52 §. 10 *D. de Obl.* & *Act.* docta observatione de nutu, annutu, renutu. Capite 4 Fornerius, manumissiones in Ecclesiis e templis & comitiis gentilium ad Christianos esse traductas, existimat, ideoque laudatur non solum Jac. Gothofredo, sed & aliis eruditis, præsertim Ill. Spanhemio. Verum longe diversam fuisse gentilium Romanorum & Græcorum in templis manumittendi rationem atque Christianorum veterum, docet Everardus Otto, manumissionis ecclesiasticæ originem repetens a dominis, qui vel suos liberaliter servientes propter baptismum ordinemve sacrum suscipiendum, vel *pro remedio animæ suæ*, ut habet solemnis formula, vel *religiosa mente*, *l.* 2 *C. de manum.*

in

in Eccleſ. eodem tempore palam vinculis ſervitutis liberarunt, quo illi a manu diaboli per lavacrum regenerationis dimittebantur. Certe feſtis diebus, maxime tempore Paſchatis, baptismus & manumiſſio ſunt celebrata, *l. 5 C. Th. de ſpectac. l. 8 C. de feriis.* Iidem quoque ritus manumiſſionis & baptiſmi: Merillius *Obſ. III cap. 3.* Altera manumiſſionis in Eccleſiis cauſa peti poteſt ex ſpecie jurisdictionis, quam ante Conſtantinum ſibi arrogarunt Epiſcopi, ut manumiſſiones coram ſe in Eccleſia factas etiam quaſi confirmarent. Sed revera qui ita manumiſſi, non erant meliores, quam quibus inter amicos libertas data, i. e. Latini Juniani, donec Conſtantinus illos, qui coram Epiſcopis a laicis manu eſſent miſſi, veram juſtamque libertatem & Romanam civitatem conſequi voluit, ut magis Epiſcoporum, quam templorum honori id dediſſe videatur. Neque, priusquam amplior & ad ſuperſtitionem auguſtus templis cultus adhiberetur, manumiſſiones templis alligatæ: ſed manumiſſiones coram Epiſcopo factæ, jam in Eccleſia fieri dictæ. *Epiſcopus in Eccleſia eſt, & Eccleſia in Epiſcopo:* Cyprian. *ep. 66.* Falſus item eſt Fornerius, quando cap. 11 matresfam. tempore Jurisconſultorum *Dominas* dictas contendit, quod in ſui heredis locum venirent, ex Romuli inſtituto, ad Theodorici usque tempora ſervato. Sed Gellius & Boethius de coemtione, velut de re obſoleta loquuntur. Dominæ appellatio corruptis moribus & blanditiis adſcribenda. Cap. 12 docet ex *l. 239 §. 5 de V. S.* Decuriones dictos, quod initio, cum coloniæ ducerentur, decima pars conſilii publici cauſa conſcribi ſolita ſit. Ergo Romulus cum 2050 Fidenas mittebat, decuriones 250 ibi conſtituit, qui Romæ Patres & Senatores legit centum? Quis hoc credat? conf. Cic. *Agrar. II c. 35*, Tacit. *Hiſt. V, c. 14.* Probabile eſt maxime, decuriones a decuriis, in quas diſtributi erant, nomen tuliſſe. Caput Selectionum 13 reſellit Cujacius *l. c.* improbans lectionem *t. D. ad municipalem*, ſc. legem, qua de in eo titulo tractetur. *Qua enim*, inquit, *de lege Municipali? certa quadam, an de omnibus legibus municipiorum propriis & earum condendarum poteſtate? Neutrum occurret.* Verum hic merito patrocinium præſtatur Fornerio. Multa ſit legis municipalis mentio in JCtorum fragmen-

Digitized by Google

tis, & simpliciter *lex* dicitur *l. 3 D. quod cujusque univ. nom.* Videntur intelligendæ esse cujusvis municipii leges antiquæ & jus proprium singularum civitatum, quod Romani victores municipiis claris, exemplo civitatum liberarum, relinquere & adjectis vel detractis quibusdam confirmare solebant. Sed in *tit. D. ad municip.* de ea lege agitur municipali, quæ Duumviris, Decurionibus, Ædilibus, muneribus, ceterisque rebus, ad administrationem civitatis pertinentibus, erat præscripta aut confirmata. Exempla apud *Cic. II in Verr. c. 49 & lib. VI famil. ep. 18, l. un. C. ad L. Visell. l. ult. C. de serv. reip. manum.* Et municipia quoque & coloniæ, ut res postularet, ad salutem ordinis & reip. nonnulla sive lege, sive decreto constituerunt, de quo tabulæ superstites testantur. Ecquid videtur de legis municipalis exemplo apud Ovidium *lib. IV Fastor. v. 700?*

— — — *Nam vivere captam*
Nunc quoque lex *vulpem* Carseolana *vetat.*

Hæc doctissimus Otto ad librum I Selectionum Guil. Fornerii observavit, in quibus subsistimus luculentis elegantioris ejus industriæ speciminibus recensendis defuncti. Jam indicabimus qui & quo ordine sequantur in hoc choro meliorum interpretum libelli. Patrem excipit *Radulphus Fornerius*, laudum paternarum & muneris heres, nec eruditione, ingenio, copia rerum, judicio demum critico quicquam ei concedens. *Sex* ejus *libri rerum quotidianarum*, quorum quatuor priores tantum antea in paucorum bibliothecis, rarissime omnes reperiebantur, hic integri comparent. Tertium locum *Josephi Nerii*, in patrio Gymnasio Perusino Antecessoris, *libri duo Analectorum* occupant, antea a Gaudent. Roberto in *Miscellanea erudita Italiæ Tom. IV* relati, in quibus præter ea, quæ ad jus pertinent, ceteros melioris ævi scriptores & Tacitum inprimis emendare & illustrare aggressus est. Succedunt 4 *Ferandi Adduensis*, JC. Mediolanensis, *Explicationum Libri duo*, & 5 *Ludov. Vitalis*, juris in Taurinensi Gymnasio Professoris, *Variarum Lectionum Juris Civilis Libri duo.* 6, *Francisci de Roye*, Galli, ad tres leges difficiliores *l. 51 D. de acq. rer. domin. l. un. C. de Athletis, & l. 4, D. de usur. & fructib.* dissertationes minoris abollæ sunt, & negligi potuisse merito

merito videntur, præfertim cum majorum gentium viri, Cujacius, P. Faber, Grotius jamjam leges illas in luce collocaverint. Sequuntur 7 *Christoph. Riccii*, JCti Dantiscani, *Vindiciarum Juris Præmessa, adversus Novatorum affanias & corruptelas*, & 9 *Francisci Marsii Gordonii*, Cadurcensis JCti, *Prætermissorum Juris civilis liber:* uterque legum receptas lectiones adversus correctiones defendunt, ille non sine jactantia & cum effusiore scribendi studio, quam ad rem pertineret; hic vero id agit, ut suppleat, quæ Roberto, Cujacii adversario defuissent. 10 *Valentini Guil. Færsteri*, Antecessoris Vitebergensis, *Observationum succisivarum Libri duo*, & 11 *ejusdem Interpres, sive de interpretatione Juris Libri duo.* Porro 12 *Desiderii Heraldi libri duo de rerum judicatarum autoritate*, & *observationum ac emendationum liber unus.* 13 *Hieron. Eleni*, Prof. Lovanienſis, *Diatribarum, sive Exercitationum ad Jus civile Libri tres:* primus continet de ratione studii Juris orationes tres; alter varias Juris quæstiones & antinomias tractat; tertius *titulum D. de reg. jur.* metro complectitur. Juveniles sunt istæ lucubrationes, pariterque qui sequuntur, 14 *Gilberti Regii*, Nosereni, *Ἐναντιοφανῶν juris civilis libri duo*, quibus leges maxime, quæ notabilem inter se repugnantiam habere Guil. Budæo visæ fuerant, satis feliciter conciliavit & rariora aliquot Judaica dicendi genera in jure ostendit. 15 Mediocris est *Nic. Sudorius*, cujus *Disputationum civilium liber* sequitur, in tractandis quæstionibus Juris civilis, inter quas tamen eminet disputatio ejus ad locum difficilem de peremtione instantiæ ad *l. 13 C. de Judiciis.* Agmen claudunt 16 *Joan. Mercerii*, in patria Biturigum Academia Antecessoris, *Opinionum Libri duo*, neque materia, neque elaboratione adeo præstantes & *conciliatore* ejus, ad Jacobum fil. scripto, multo inferiores.

DE VERA ÆTATE CAJI JURISCONSULTI, quem vulgo Titum Cajum nuncupant, & de scriptis ejus præcipuis ad justa tempora revocandis observationes

FRANCISCI CAROLI CONRADI, D.

Dlu satis ignorata fuit Cajum, Institutionum Autorem, ab aliis in jure Romano Caji prænomine, aut cognomine claris discernendi ratio. Ante renatas artis nostræ meliores literas erant homines adeo cœci, ut Cn. Flavium illum Appii Claudii Cœci scribam, alii C. Livium Drusum, quem nominat Cicero *lib. V Tuscul.* & Celsus in *l. 38 D. de act. emt.* cum ipso confunderent: idque memorant Bern. Rutilius *in vit. JCtor. c. 39* & Aleander *præfat. ad Caji Institutiones.* Quid? quod ipse Anton. Augustinus *Emendat. & observat. lib. 1 cap. 5* non dissimulat, sibi aliquando probatum fuisse, C. Cassium semper in jure nostro Caji nomine intelligi, a quo Cassianorum familia descendit, propterea, quod Javolenus in *l. 28 §. 1 D. de statu lib.* Caji Cassii libros, & in *l. 54 D. de condit. & demonstr.* commentaria Caji, ac in *l. 78 D. de solutionib.* Caji libros citaret; quæ singula loca sunt e libris quindecim Javoleni ex Cassio scriptis. Postea vero cum intellexisset vir summus, a Cajo alibi Cassium ipsum & Sabinum referri, illis quidem capitibus animadvertit Cassium significari, ceteris vero locis non item. At nihilominus turpiter se dedit Guid. Pancirolus, *de claris legum interpret. lib. 1 cap. 29*, dum non solum Cajo illi Cassio Longino appellationem *Nostri* a Pomponio & Justiniano usurpatam applicuit, negligenter a se inspectum Anton. Augustinum in rem suam citans, sed & Cajum nostrum eundem credidit cum alio Cajo Longino, de quo Pomponius in *l. 2 de O. J. §. 47: Nervæ successit Proculus. Fuit eodem tempore & Nervæ filius. Fuit & alius Longinus, ex Equestri quidem ordine, qui postea ad Præturam usque pervenit.* Huic enim adscripsit Pancirolus libros in Pandectis superstites & Institutiones præsertim, ætatem etiam Caji nostri attribuit. Imo & Longinum hunc Prætorem confudit cum C. Cassio, illum scribens esse, qui citatur ab Ulpiano in *l. 4 D. de in jus voc.* Sed habuit Pancirolus similis culpæ socios complures viros doctos: idque excitavit Ægid. Menagium, ut Cajum Cassium, sectæ autorem, & Cajum, scriptorem Institutionum, ab invicem dignoscendi rationem docte atque luculenter commonstraret in *amœnit. jur. civ. cap. 43*, ubi tamen mirari convenit, posterioris Caji prænomen Titi, cujus nullum uspiam est vestigium, & quod Bertrandus excogitasse videtur, ab elegantissimo Viro retentum esse. Cum itaque, quis fuerit Cajus noster, adeo obscurum olim esset, fieri non potuit aliter, quam, ut ætatem ejus definire conati, alii ipsum justo antiquiorem, alii longe nimium recentiorem facerent. Illi erant, qui unum ex Servii auditoribus existimabant, decepti falsa lectione *l. 2 §. 44 de O. J.* a quo errore non omnino liber est B. Rutilius *l. c.* utique Cajum

inter

inter Servii auditores connumeratum asserens. Idem committebant, qui Cajum Cassium minus recte noverant. Juniorem, quam par erat, finxere, qui Justiniano coætaneum & familiarem eaque causa *fuum* ab Imperatore appellatum crediderunt, quo in numero sunt Anton. Vacca *ad proœm. Digest. §. 1*, & Hotomannus *ad §. 6 proœm. Inst.* qui prorsus ad Justiniani tempora Cajum referre eumque inter socios compilationis Juris pro certo ponere licere judicant, nisi libri rerum quotidianarum eidem attribuerentur. Donellus *ad l. 1 §. 4 D. de Verb. oblig. n. 11* neminem dubitare posse, existimat, quin Institutionum Cajanarum Autor fuerit Christianus, qualem tamen veterem Cajum non fuisse, compertum habeamus. Theodorus Marcilius vero in *dict. §. 6 proœm. Inst.* Diocletiani ævo Cajum alligat. Alii Theodosio, aut Arcadio imperante eum vixisse tradiderunt, seducti ab Epitome Institutionum, in qua barbara manus Aniani multa de suo & de recentiore etiam jure adjecit, quod nec sensit Hotomannus *Obs. libr. VIII cap. 4*, ubi Caji Institutiones Græce scriptas fuisse, opinatur. Illud vero indignum est, postquam Augustinus tam luculentis ostendisset argumentis, Cajum non multo tempore post Julianum fuisse, quo & Sextus Pomponius vixit, qui Cajum *fuum* dixit, nec tamen sagacioribus illis viris errorem animo ejicere datum fuisse. Meliora viderunt, ab Augustino moniti, Cujacius, Jac. Rævardus, Jo. Bertrandus, Guil. Grotius, Hier. Aleander, Jac. Oiselius, Georg. Eberlinus, Ægid. Menagius, omnes ac singuli in eo convenientes, vixisse Cajum sub Hadriano & post ejus fata sub Antonino Pio: nec tamen inter se concordes, quibus temporibus cœperit vivere, quibus floruerit, & quousque vivendo pertigerit. Natum sub Hadriano non immerito crediderunt ipsi Cajo, de se scribenti *l. 7 D. de reb. dub. Et nostra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est cum quinque liberis, quos uno fœtu enixa est.* Veruntamen Bertrandus adhuc dubitat, an intelligendus sit Æl. Hadrianus, ex consobrina Trajani natus, an vero Antoninus Pius, qui sæpe Hadriani nomine in jure nostro significatur, ut in *l. 37 D. de judic. junct. l. 5 ad L. Jul. de vi publ. l. 91, ad L. Falcid. junct. l. 93, eod. t. l. 58, §. 3, ad SC. Trebellian.* quam ejus hæsitationem supervacaneam ducit Grotius: satis enim constare ex collatione aliorum locorum, præsertim *l. 3 D. si pars hered.* Hadrianum illic designari, nisi omnium Imperatorum nomina perperam confundere velimus. Porro, cum Cujacius in *posteriorib. not. ad Inst. Just.* affirmat, Cajum fuisse Hadriani, sive Antonini Pii temporibus, id quidem non invitus admittit Aleander, dummodo non floruisse eum iis temporibus, nec tanquam Juris-

risconsultum fuisse cognitum, concedatur. Adolescentulum igitur putat, aut etiam puerum imperante Antonino vixisse, sicut & sub Hadriano. Sed hic alia iterum sentiunt Oiselius, qui sub utroque Principe, Hadriano & Pio, Bertrandus & Grotius, qui sub uno Pio maxime eum floruisse, volunt. Sub Marco floruisse Cajum accuratius dicendum videtur Pancirolo & Menagio. Denique ultra Philosophi tempora & usque ad Antoninum Caracallam vivendo eum pervenisse dixit Rævardus *Conjectan. lib. III cap. 19*, quod minime probatur Celeb. Schultingio, ad Ulpian. *Tit. VII.* Et nuper hoc nomine notatus fuit Rævardus doctissimo Everardo Ottoni in observationibus ad Anton. Augustini libr. *de propriis nominib. Pand.* subjectis *præfationi ad Tom. I Thesauri Juris Romani*. Mihi, quamvis & prima specie nihil vero propius esse, quam Cajum ante Caracallæ tempus fato cessisse, & illa, quibus Rævardus utitur, juris nostri loca, excepto uno, male de postremo hoc Antonino accipi, lubens fatear, tamen longiores vitæ metas Jurisconsulto huic fuisse atque pertigisse usque sub ipsum Caracallæ imperium, pace Virorum Celeberrimorum, verisimilius videtur. Quare nec usu, neque amœnitate cariturum existimavi operam, quam in ætate vitaque Caji mei accuratius computanda, in libris etiam ejus, de quibus hoc fieri potest, ad justa, quibus scripti singuli, tempora revocandis collocarem. Ac primo, ne forte grandius excrescat ævum, possem illud Caji de tempore suo testimonium: *Et nostra quidem ætate Scrapia Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est*; facile aliter interpretari, ac vulgo solet, ut scilicet non se jam nato, verum illo seculo, (quo sæpe sensu ætatem dici tralatitium est,) nec tam suo, quam aliorum adhuc superstitum tempore id, quod narrat, contigisse, autor sit: non enim *mea*, sed *nostra* dixit *ætate*. Attamen cum temporum calculis recte subductis Cajus, etiamsi Hadriano Principe in lucem editus, potuerit Caracallam imperii gubernacula tenentem videre, nec ei opus fuerit ad hunc videndum fine vitæ longissimo, qualem ipse describit in *l. 56 D. de usufr.* & in *l. 8 de usu & usufr. leg.* malim superfedere ista interpretatione, neque etiam cum Bertrando confugiam ad Hadriani cum Antonino Pio permutationem. Etsi enim huic haud parum suffragetur, quod Capitolinus *cap. 9* inter prodigia Antonini temporibus oblata refert, *quinque pueros uno mulieris partu editos*, procul dubio Serapiam illam Alexandrinam intelligens: facile tamen potuit anachronismus committi ab Historico memoria lapso, ut Casaubonus ad istum locum suspicatur, tantoque facilius potuit uterque Princeps confundi, si extremis forsitan annis Hadriani prodigium illud

Digitized by Google

illud evenit. Certe, præter Cajum, oculatum habemus Autorem Lælium, qui, *ſe vidiſſe*, ſcribit, *in palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta eſſet, ut Hadriano oſtenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa diceretur, quintum poſt diem quadrageſimum*, ut refert Paulus in *l. 3 D. ſi pars hered. pet.* Quid? quod Salv. Julianus etiam, qui haudquaquam ſub Pio vixiſſe diu poteſt, eandem hiſtoriam adducens, *ſibi in Ægypto affirmatam eſſe* teſtatur, in *l. 36 D. de ſolut.* & vero ipſum ſub Hadriano probabile eſt in Ægypto commoratum, poſtea Romæ conſulatu & Prætura functum, ut ipſe memorat in *l. 5 D. de manum. vind.* & Præfectum Urbi fuiſſe, teſte Spartiano in Juliano Imp. Ponamus itaque pro certo, Cajum ſub Hadriano natum, & quidem haud multo ante exitum hujus Principis, quo ipſo tempore ſi famoſum illud prodigium extitiſſe credimus, ut conjectare finit lapſus Capitolini; potuit certe, hac ſua ætate factum dicere, quod ſe admodum puero & infantiæ proximo obtigerat. Et omnino rectius exiſtimavit Aleander, vixiſſe Cajum adhuc adoleſcentem ſub Pio, quam Bertrandus & Grotius ſub hoc Principe eum floruiſſe, quamvis excedente Antonino, qui per annos duos ac viginti & aliquot menſes imperio præfuit, non potuerit nondum ætatis eſſe paulo adultioris, forte ſeptem & viginti annorum. Ex illis vero, quorum ætas definiri poteſt, ſcriptis ejus nullum eſt, quod Pio adhuc vivo compoſitum vere dici poſſit, ut neſciam, unde ſub imperio Pii jam floruiſſe, aut *provectioris ætatis* fuiſſe viris doctis aſſeratur. Videamus de ſingulis libris, quorum tempora inveſtigare datur, qui ſunt libri Fideicommiſſorum, libri Inſtitutionum, ad LL. Juliam & Papiam Poppæam, de legatis ad Edictum Prætoris, liber ſingularis ad SC. Orphitianum, & libri ad Edictum provinciale. Libros II Fideicommiſſorum poſt obitum Antonini Pii ſcriptos evincunt *l. 90 D. de condit. & demonſtr.* quæ ex libro I deſumta eſt, & *l. 96 D. de leg. 3 l. 63 §. 5 D. ad SC. Trebellian.* quæ ſunt ex libro II, in quibus ſingulis Antoninum appellat Divum, quod nomen Imperatoribus vita functis & inter fictitios Deos, ut impia tulit ſuperſtitio, relatis demum competebat. Libri IV Inſtitutionum pariter mortuo Pio compoſiti fuerunt, ut clare probat *l. 1 §. 2 D. de his, qui ſui vel al. jur.* quæ eſt ex libro I, in qua per Divum Antoninum Aleander male intellexit Marcum, L. Veri fratrem, quoniam Divi Fratres conſtituerint, ne quis ſervum venderet, ut cum beſtiis pugnaret, *l. 42 D. de contr. emt.* Conſtitutio enim illa, quam Cajus in *d. l. 1* citat, diſerte adſcribitur Antonino Pio ab Ulpiano in *l. 2 D. de his qui ſui &c.* atque reperitur etiam in Moſaicarum & Romanarum legum

gum collatione *tit. III de jure & ſævitia dominorum*, ubi inſuper alia eſt, qua major aſperitas dominorum in ſervos coercetur, ejusdem Imperatoris conſtitutio: vid. Schulting. *ad Caji Inſtit. t. de jur. perſ. §. 2 n. b.* Ad leges Jul. & Pap. libris XV itidem poſt fata Pii commentatus eſt Cajus, alias Divum haudquaquam nominaturus in *l. 56 de legat. 2*, quæ eſt e libro XIV, & cujus forte non memor fuit Cl. Heineccius in doctiſſimo *ad L. Jul. & Pap. Popp. commentario, lib. I, cap. I, §. 4*, libros hos Caji ad eos commentarios referens, qui ſub Hadriano & Antonino Pio in iſtas leges prodiere. Libros III de legatis ad Edictum Prætoris imperante Marco editos perſuadet, quæ depromta eſt ex libro III, *l. 73 §. 1 D. de legat. 1*, ubi Cajus: *vicis legata perinde licere capere, atque civitatibus, Reſcripto* Imperatoris noſtri *ſignificatur*. Imperatorem noſtrum dici Antoninum Pium, quo ſuperſtite hæc ſcripta forent, exiſtimant vulgo: verum poſt Aleandrum docuit Schultingius, non alium, quam Marcum ibi deſignari. Manifeſtum hoc fit, ſi conſulas *l. 20 D. de reb. dub.* ubi Paulus tradit, Divi Marci temporibus permiſſum SCto eſſe, ut legaretur collegiis, & cuivis corpori, cui coire licet. At in *d. l. 73 de legat. 1* Cajus perhibet, Imperatoris ſui Reſcripto vicis legata perinde licere capere, atque civitatibus. Nimirum poſtquam SCto, autore Hadriano, tantum civitatibus jus datum erat capiendi legata, qua de re Ulpian. *Fragm. T. 24 §. 28 & in l. 121 D. de leg. 1*, ſub Marco demum id juris conceſſum fuit collegiis, ut apparet ex *d. l. 20 de reb. dub.* novo SCto, quod cum priore illo non debet confundi, ut monuit etiam Merillius *variant. ex Cujac. lib. II cap. 14*. Idem vero Imperator ſuo Reſcripto hoc jus etiam vicis contuliſſe veri admodum ſimiliter dicitur, cum ipſum & alio loco, ſtatim explicando, Cajus *Imperatorem noſtrum* certiſſime nominaverit, nec ſimili modo Pium ab eo *noſtrum* uſpiam appellatum affirmari queat. Conſentientem habeo Schultingium *ad Ulpian. Tit. 24, §. 28*. Enimvero liber ſingularis ad SCtum Orphitianum, ex quo eſt *l. 9 D. ad SCtum Tertyll. & Orphit.* ſacratiſſimum Principem *noſtrum* loquitur, cujus oratione cautum, *ut matris inteſtatæ hereditas ad liberos, tametſi in aliena poteſtate forent, pertineret*. Oiſelius in *præfat. ad Caji Inſtit.* non alium, quam Pium, vult intelligi. Verum cum Ulpianus *Tit. 36 §. 7* Antoninum & Commodum ejusdem SCti Autores citet, ſuffragante etiam Capitolino in Marco *cap. II*, eccui dubium eſſe poſſit, Antoninum Philoſophum, qui loco prior erat, a Cajo indigitari? Reſtant igitur libri ad Edictum provinciale XXXII, quorum ex libro XI eſt *l. 42 D. de donat. int. vir. & ux.* e libro XXX vero eſt *l. 31 D. de jureſ.*

quæ

quæ duo loca, Caracalla demum imperante, a Cajo ſcripta reor. Etenim in *l. 42 D. de donat. int. V. & V.* hæc ſunt ejus verba: *Nuper ex indulgentia* Principis Antonini *recepta eſt alia cauſa donationis, quam dicimus* honoris cauſa: *ut ecce, ſi uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equeſtris ordinis fiat, vel ludorum gratia.* Videtur Schultingio (*ad Ulpian. tit. VII §. 1*) Cajus hic intelligere non Caracallam, ſed Pium; ad illius enim tempora Cajum non perveniſſe, ideinque placere G. Grotio *de vit. Juriſconſ. lib. II cap. 7.* At plura ſuppetunt argumenta pro Caracalla. Moribus receptum erat apud Romanos, inter virum & uxorem donationes ne valerent, *l. 1 D. d. t.* Hos mores confirmatos fuiſſe Oratione Imp. Antonini habita in Senatu ante exceſſum Divi Severi Patris ſui, Fulvio Æmiliano & Nummio Albino Coſſ. teſtatur Ulpianus in *l. 3 & l. 32, pr. D. d. t.* quibus indiciis nemo dubitet referri Caracallam. Eadem vero oratione ex *d. l. 32*, cognoſcimus Auguſtum extitiſſe autorem Senatui cenſendi, *ut aliquid laxaret ex juris rigore.* In his fuit, ut mulieri liceret *in hoc donare viro ſuo, quo is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico, ſimilive honore honoretur*, ut ait Ulpian. *tit. VII, fr. 1*, adjicient, hoc ex *Principalibus Conſtitutionibus* eſſe, per quas innuit Orationem illam Caracallæ, quæ & vocatur *Conſtitutio* generali appellatione placiti Principalis & utrique Principi, Severo & Antonino, adſcribitur in *l. 3 C. de donat. int. vir. & ux.* Et Licin. Rufinus, *lib. VI Regularum*, in *l. 41 D. eod. tit.* ejusdem *indulgentiæ Antonini* meminit, qua conſtitutum, ut ad proceſſus viri uxor ei donare poſſit. Hic vero JCtus ſub Alexandro præcipue floruit, uti conſtat ex *l. 4 D. quib. ad lib.* & probat Grotius *de vit. JCt. lib. II c. 12 §. 3.* Sub Pio fuiſſe non potuit, Antoninum tamen, tanquam adhuc vivum nominat: adeoque loquitur de Caracalla & hujus Oratione, quæ *laxavit juris rigorem.* En *indulgentiam Principis*, de qua Cajus & Rufinus! Inſpicienda nunc & *l. 31 D. de jurejur.* in qua obſervat Cajus, *interdum etiam poſt jusjurandum a judice exactum permitti* Conſtitutionibus Principum, *ex integro cauſam agere, ſi quis nova inſtrumenta ſe inveniſſe dicat, quibus nunc ſolis uſurus ſit: quodſi alias inter ipſos litigantes jurejurando tranſactum ſit negotium, non concedi eandem cauſam retractare.* Jam ſi adeamus *l. 1 C. de reb. cred. & jurej.* Reſcriptum invenimus Caracallæ, in hæc verba: *Cauſa jurejurando ex conſenſu utriusque partis, vel adverſario inferente, delato & præſtito, vel remiſſo deciſa: nec perjurii prætextu retractari poteſt.* Non dubito, Cajum in ſuperioribus illis reſpexiſſe ad Reſcriptum Antonini, niſi id pro ſuo & aliorum more etiam in ſententiam ſuam citavit,

ſed ejus mentionem forſitan amputavit gladius Triboniani, ſupervacuam exiſtimantis. Imo vero per Conſtitutiones Principales Cajum intelligere conjicio Reſcriptum Caracallæ *d. l. 1 C.* quod de utroque jurejurando locutum, verum partem de neceſſario jurejurando reſectam eſſe a Triboniano haud difficilius credam, ac, interpolatam eſſe hanc *l.* in fine ex *l. ult. C. ill. t.* verbis: *niſi ſpecialiter hoc lege receptum eſt*; certum eſt, demonſtrante Gerardo Noodt ad *t. D. de jurejur. pag. 288.* Et ſi Cajus ex oratione Caracallæ, quod oſtendi, ſcripſit lib. XI ad Edictum provinciale, nemo dubitabit, hæc, de quibus hactenus, libro XXX ſcripta eſſe ſub eodem Principe.

Ab exceſſu Hadriani ad imperium a Caracalla ſolo ſuſceptum anni intercedunt LXXII, ut proinde Cajus paulo ante obitum Hadriani natus potuerit nondum octuagenarius Caracallæ, mortuo Severo, rerum ſoli potito ſupereſſe, & ſeptuageſimum ætatis annum agens libros ad Edictum provinciale ſcribere cœpiſſe. Oratio enim Antonini habita eſt Fulvio Æmiliano & Nummio Albino Coſſ. h. e. anno ante exceſſum Severi quinto, imperii ejus decimo tertio. Cumque eam tanquam jus noviſſimum, & nuper conſtitutum alleget: *Nuper*, inquiens, *indulgentia Principis Antonini &c.* quid veritati propius, quam vel eo ipſo anno & mox poſt auditam eandem Orationem Cajum in perſcribendo libro XI ad Edictum provinc. occupatum fuiſſe. Neque mirum, quod ſolius meminit Antonini, quippe & oratio illa Caracallæ adſcribitur ab Ulpiano *l. 32 pr. de donat. int. V. & V.* & ſolum quoque nominat Antoninum Licin. Rufinus *l. 41, D. eod. t.* Denique nec fidem excedit, Reſcriptum Caracallæ in *l. 1 C. de reb. cred.* ab ipſo citari potuiſſe, quod datum altero imperii poſt Severi exitum anno, quo tempore Cajus fere ad finem perduxerit ex noſtra conjectura libros ſuos XXXII ad Edictum provinciale, verſatus jam tum in libro trigeſimo. Habuit profecto ætas illa, neſcio quomodo, aliquid præcipui, ut plerosque homines tulerit ad ſenectutem provectos majorem, etiam illos, quibus curarum, moleſtiarum & laborum gravitas maturius finem vitæ afferre debuiſſe videatur. Novimus Principes ejus ſeculi, exceptis Commodo & Did. Juliano, vel ſexagenarios, vel ſeptuagenariis propinquos regnaſſe, & Antoninum Pium ultra ſeptuageſimum quarto anno vita deceſſiſſe. Novimus decora ejusdem ævi Jureconſultos, Julianum, Pomponium, Marcellum, Papinianum ad extremam fere ſenectam perveniſſe. Et non ſine amœnitate meminerimus conſultoris illius ſenis, qui ad Pomponium hoc ævo ſcripſit: *nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octavum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi, memor*

Digitized by Google

memor ſum ejus ſententiæ, qui dixiſſe fertur: Etſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere: quæ verba recitantur ex Pomponii libro VII epiſtolar. in *l. 20 D. de fideic. libert.* minus recte vulgo adſcripta Pomponio, aut Salv. Juliano, etiam ab ipſo Menagio, *amœnit. c. 24*, cum tamen jam olim Ant. Auguſtinus *Obſerv. & Emendat. lib. I c. 8*, (unde hauſit Grotius *de vitis JCt. lib. II, c. 5,*) luculentam Pomponii de jure reſpondentis & ſenis conſulentis verba a ſententia Juliani, quæ ibi proponitur, diſtinguendi rationem monſtraverit, quam egregie confirmat ſimilis fere contextus *l. ult. D. de minorib.* Quid ergo? Evenit quoque Cajo noſtro ea felicitatis humanæ gloria, ut *manſerit ingenium ſeni, permanſerit etiam ſtudium & induſtria, ſenectutem agendi ſtipatam ſtudiis juventutis, & in qua non requiſierit juventutem. Sic olim L. Æmilii, ſic Tib. Coruncanii, ſic P. Craſſi, a quibus jura civibus præſcribebantur, usque ad extremum ſpiritum provecta eſt ſumma prudentia:* Cicero in Catone Maj. §. 27. 28.

CYCLUS METASYNCRITICUS; OR AN ESSAY on Chronical Diſeaſes.

i. e.

JOHANNIS WYNTERI, M. B. SOC. COLL. CHRIſti Cantabr. Tentamen circa Morbos Chronicos.

Londini, apud W. & J. Innys, & J. Leake, 1725, 8.
Plag. 18 dimidiat.

THeſſalus, Sectæ Methodicæ addictus, in multis morbis totam exiguorum meatuum ſtatum eſſe immutandum, cenſuit, naturalem eorum aperturam vel poſitionem vitiatam eſſe exiſtimans; atque ex hac opinione fluxit metaſyncriſeos nomen, idem plane ſignificans, quod Græcis metaporopiſeos mutatio. Circulum hinc adhibebant Methodici metaſyncriticum chronicos morbos curaturi, & hellebori ope morbidam carnem fundebant & evacuabant, hinc per alterantia medicamenta, aquarum naturalium uſum, congruam diætam, exercitia commoda, & ſalubre clima novam ſanamque corpori reſtituere tentabant, & hanc metaſyncriſin Cœlius Aurelianus Recorporationem vocavit. Huncque Circulum reſumptivum ſeu metaſyncriticum ab orco revocare præſenti Tentamine, ſeptem capitibus circumſcripto, ſuſtinuit Clariſſ. Wynterus. Primum de morbis Cap. I.

Chronicis in genere agit, inque eorum originem inquirens, vel acutos sequi, vel unum ab altero produci, vel hæreditarios, vel connatos, vel endemios esse pronuntiat, inter causas remotas luxuriam & desidiam accusat; eapropter vero diuturnos eos esse judicat, quia longo tempore curantur, quæ longo tempore fuere contracta vitia: natura jam debilitata parum auxilii afferre valet: continuatus remediorum usus & legitimus ordo requiritur, quæ tamen vel ab ægro fastidiuntur vel diutius usurpata tanquam consueta effectu tandem suo destituuntur; & quia ægri a rebus, quas malum fovere vel augere norunt, ægre abstinent. Præstaret igitur ex Autoris consilio Aquas Minerales offerre, bonam diætam præscribere, exercitationes corporis commendare, in salubriora mittere climata, atque fonticulis vel setaceis materiæ peccanti exitum parare; has enim res absque tædio & satietate eo citius admissuros fore ægrotos, quo certius ab assumendorum medicamentorum molestia libero s se videant. Quanquam autem Chymici ex Mineralibus eisque affinibus valida morbisque chronicis appropriata præparare norint medicamenta, majori tamen cum voluptate nec minori cum
Cap. II. successu bibi dicit. Aquis Mineralibus quidem & alia medicamenta vel præmittenda vel adjungenda esse, non negat; putat tamen, illas his præferendas, imo subinde necessario ordinandas esse. Non desunt equidem in Anglia fontes, qui aquas ferri, vel aluminis & vitrioli, vel sulphuris, vel cretæ, lapidis calcarii & & calaminaris particulis ebrias reddunt, Bathenses tamen & Bristolenses tantum sub examen vocat Noster, quales illæ sulphureæ, hæ de creta, lapide calcario & calaminari portiones secum vehere dicuntur, earum differentiam inculcat, quo tempore, quove modo sint bibendæ, determinat, morbosque nominat, in quibus sint adeundæ. Tandem tria addit monita, ab iis observanda, qui Aquas Minerales hauriunt, scilicet 1) earum usum quandoque ad 4, 5 vel 6 dies intermittendum, 2) evacuantia haud interponenda, & 3) earum pocula unum a cubitum ituCap. III. ris esse evacuandum. Quemadmodum autem morborum chronicorum cura non feliciter cedit, nisi commoda simul observetur diæta, ita parum carnium, plus lactis, lacticiniorumque assume-

Digitized by Google

ſumere jubet ægros, cum hæc *in exili* quantitate multum ſuppeditent nutrimenti, nec ventriculi oneri ſint. Provocat ad cancrum, phthiſin, & ulcera rebellia, in quibus morbis ſat gravibus diæta lactea ſingulari ſe commendat utilitate, imprimis ſi animalibus frutices herbæque morbis appropriatæ offerantur. Pro ægri temperamento, morborumque natura diverſa modo aſininum, modo equinum, modo caprinum ſeligi poſſe lac annuit, vaccinum tamen non minus ſalubre eſſe monet, modo paſcuis fruatur dulcibus, ſalubrem hauriat potum, & in collibus quærat alimenta vacca. Quamcunque utilitatem ægri a medicamen- Cap. IV.
tis repetunt, ea ab extra corpori accedit a motu, ubi corporis partes in ſe ipſas agunt, unde majus robur majoremque elaſticitatem recipiunt, modo ad laſſitudinem usque non protrahatur exercitatio; alimenta etiam, aquæ minerales hauſtæ & medicamenta aſſumta melius digeruntur, diſtribuuntur, & excernuntur. Cum autem duæ ſint claſſes exercitationum, quarum altera a ſanis validisque perſonis, ut ab athletis olim, pro augendo robore, altera pro recuperandis deperditis viribus ſuſcipitur; hac ultima diæteticam Medicinæ partem auxit Herodicus, Præceptor Hippocratis. Ad chronicos igitur morbos eradicandos corporis motum maximopere commendat Clariſſ. Wynterus, ad eos etiam, qui a mala partium conformatione ortum ducunt, nec ab alterantibus corrigi valent. Præ reliquis navigationem laudat & balneationem in aqua frigida. Illam, licet nunc in deſuetudinem abierit, profituam pronuntiat, quod ſub ea corpus non tam ſe ipſum moveat, quam moveatur; poſt hanc vero corpus fricare & inungere jubet, ne ſpiritus adeo copioſe per poros diſſipentur. Quanta aeris ſit efficacia in ſanitate con- Cap. V.
ſervanda, morbisque propellendis, unicuique notum eſt. Cum igitur ſani loca ſibi ſeligant pro vita ſuſtentanda, quorum aer ad ſiccitatem magis quam humiditatem vergit, nec frequentibus ſubjectus eſt mutationibus; multo magis valetudinariis mos hic venit tenendus. Anglia quidem de hoc beneficio gloriari haud poteſt, per quinque ſexve menſes hyemales ſubitaneis atmoſphæræ viciſſitudinibus expoſita; hinc ægris ſuadet Noſter, ut circa Septembris finem aliorſum ſe conferant in loca inter latitudines 35-40

graduum ſita, utpote temperie magis æquali gaudentia. Cumque conterranei ſui Neapolin hactenus atque Montem Peſſulanum diverterint, tantum abeſt, ut hunc morem improbet, ut potius dictas civitates quibusvis in Hiſpania & Luſitania ſitis urbibus, ob morum elegantiam, qua Incolæ ſuperbiunt, vivendi converſandique modum ab Anglico haud multum alienum & Medicorum peritiam præferat. Quodſi vero cuidam Inſulam relinquere conceſſum non ſit, illis autor eſt, ut ſingulis diebus in hybernaculo plantis aromaticis conſito tali ſub caloris gradu per unam alteramque horam obambulent, qui motu corporis adjutus inſenſibilem transſpirationem augeat, ſudorem tamen
Cap. VI. non proliciat. Verum nec evacuantium remediorum obliviſcitur Clariſſ. Wynterus, quæ inter vomitoria & purgantia corpus præparant ad admittendas alterantium vires, Fonticuli vero & Setacea in morbis diuturnioribus diutius ſuam vim & efficaciam exerunt, nimiam humorum quantitatem ſive revellendo, ſive intercipiendo imminuunt, quibuscunque ægris, etiam admodum infirmis, conveniunt, & pro periti Medici judicio modo
Cap. VII. continuari, modo ſupprimi poſſunt. Sed arti non omnia deferenda ſunt in curandis morbis chronicis, naturæ etiam aliquod in eos competit jus; criticos enim ſæpe excitat hæc motus, quibus mederi intendit affectibus; ſed imperfecta haud raro iſta exiſtit criſis. Ad quam claſſem Noſter refert podagram, ſub qua poſt æſtum febrilem urina craſſa vel turbida cum ſedimento farinaceo ex corpore ejicitur, & vitalia ac præcipua organa ab aliis periculoſis liberantur inſultibus. Quoniam autem hoc modo non omnis materia peccans evacuatur, reſiduum ad maſſam ſanguineam remeat, novasque ſucceſſu temporis turbas concitat. Quibus in caſibus Autor diætam lacteam, lenem exercitationem, climatis mutationem & aquarum Bathenſium uſum, contra habitualem vero arthritidem Briſtolenſes commendat; & tantum abeſſe judicat, ut tales naturæ motus ſupprimendi, ut potius omnibus viribus æque ac hæmorrhoidales & menſtrui fluxus fovendi ac promovendi ſint. Appendicis loco huic tractatui addita ſunt experimenta, quæ Clariſſ. Wynterus cum aquis divi Vincentii adornavit.

TRIAS

TRIAS DISSERTATIONUM MEDICARUM, ad Diæteticam potiſſimum ſpectantium, in unum faſciculum collecta, Autore CHRISTIANO MICHAELE ADOLPHI, Phil. & Med. D. Facult. Med. Aſſeſſore, S. R. I. Natur. Curioſ. Collega, B. M. V. Collegii Collegiato, & Med. Practico.

Lipſiæ, apud hæredes Groſſianos, 1726, 4. Plag. 22.

EXhibuimus ſuperiore anno menſe Majo pag. 229 Clariſſ. Adolphi Diſputationes ad Chorographiam Medicam ſpectantes, ſequuntur nunc tres aliæ, quæ diæteticam Medicinæ partem potiſſimum concernunt, ſcil. I de ægrotantium Conclavi, II de Frictione, & III de Balneis particularibus; quarum primæ contenta nunc paucis enarrabimus. In conclavi ægri aeris potiſſimum rationem habendam eſſe, monet, hinc tradit, quomodo ille ſit temperandus, calefaciendus, refrigerandus, exſiccandus, humectandus, ſuffimigiis corrigendus; quomodo habitatio commoda tam reſpectu plagarum mundi, quam partium ædium ſeligenda; docet, quomodo conclavia ante introitum ægri mundanda, a ſordibus repurganda, a muſcis liberanda, illuminanda, a lunæ radiis defendenda, aulæis, periſtromatibus, ſpeculis, horologiis exornanda, quomodo lecti inſtruendi, obtegendi, mutandi, & ſpondæ adornandæ; quomodo ægri in lectis cubent, eos ſubinde relinquant, rebus gratis & confabulationibus oblectandi, ab ingratis arcendi ſint; qualium hominum animaliumque conſortio fruantur; qualia murmura, ſuſurros, & concentus muſicos admittant; quomodo adſtantes, miniſtrantes, & inviſentes amici, item & Medici ſe gerant; denique quomodo lectus & utenſilia, ſive ſuperaverit æger morbum, ſive morti in victimam ceſſerit, iterum ſint repurganda. Quæ omnia ita pertractat Noſter, ut rationes non ſolum ubivis luculentas afferat, ſed & tam veterum quam recentiorum teſtimoniis & exemplis roboret. Speciminis loco propria Autoris verba, quæ pag. 78 leguntur, de amicis ægrum inviſentibus adſcri-

Digitized by Google

ſcribere liceat. "Non poſſum non, dicit, nimiam illam, im-
"primis apud nos, ægrum viſitandi conſuetudinem atque aſſi-
"duitatem atro calculo notare, quando turmatim vel amicitiæ,
"officii, vel conſuetudinis ſpecie, vel placendi, vel hypocriſeos,
"vel ſpectandi ſaltem cauſa ſæpius & neſcio ob quas alias ra-
"tiones, fœmellæ maxime, eæque non raro ineptæ ac impru-
"dentes, atque loquaces advolant, & non vocatæ ſe ægris obtru-
"dunt, per horasque non paucas ibi ſubſiſtunt. Ægrumque tum
"corona ſpectata circumdatum & multiplicata cinctum ſerie
"ſpectabis. Blaterantium ibi, murmurantium, divagantium, &
"non raro ludentium univerſum conclave reboat ſtrepitu, ut
"intuentibus circa grabatos circumſidentium cohortem jam non
"ægrum ac moribundum, ſed ludos ſcenicos ſpectantis concic-
"nis, ac non ægrorum cubiculi ſed fori aleatorii præbeant ſpe-
"ciem. Tantum certe abeſt ab officio hoc, ut officio nihil magis
"poſſit eſſe contrarium, immodico ita officio nocere, aut ad mi-
"nimum moleſtare. Nemini enim officium ſuum debet eſſe da-
"mnoſum. Multæ profecto eæque graviores rationes phyſicæ
"æque ac morales, atque adeo theologicæ ſubſunt, quæ malum
"hunc morem abrogandum ſuadent. Æger tunc cogitur alio-
"rum jure vivere, quæ neceſſaria eſſent & morbo & naturæ, re-
"media præſcripta debito modo & tempore adhibere, alvum &
"veſicam excernere, & negligere, vana, aliena, ingrata, tædioſa,
"odioſa, moleſta, nocua, & pernitioſa vel invitus vel coactus, audi-
"re, videre & loqui, quo vires ſuas perdit æger, inquietior reddi-
"tur, morbus reſuſcitatur, exacerbatur, (imprimis cum in quam-
"plurimis morbis, ut imprimis v. gr. in angina, ſputo cruento, &c.
"loquela plane eſſet interdicenda, & ſæpius vel reſpiratio paulo
"fortior noceat) in requie neceſſaria impeditur, animo perturba-
"tur, agitatur vel indignatur, aut ſuſpicax, meticuloſus, imo quan-
"doque deſperandus, variisque aliis modis inquietus redditur, a
"piis meditationibus diſtrahitur, avocatur, & quæ ſunt ejusmodi
"alia. Taceo, non ſolum conclave hominum frequentia calefieri
"halitibus, ſed & mutari & inquinari aerem, eumque craſſum red-
"di, a tam variis ex hac turba hominum adſtantium, adſidentium-
"que & incommodis ſæpe effluviis exhalantibus.

PHI-

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRINCIPIA Mathematica, Autore ISAACO NEWTONO, Eq. Aur. Editio tertia aucta & emendata.

Londini, apud Guil. & Joh. Innys, 1726, 4, chart. aug. Alph. 3 plag. 2.

DE nova hac editione operis fine pari, quam curavit *Henricus Pemberton* M. D. Vir, ipso *Newtono* judice, harum rerum peritissimus, ita præfatur Illustris Autor: *Nonnulla*, inquit, *in Libro secundo de resistentia mediorum paulo fusius explicantur quam antea, & adduntur experimenta nova de resistentia gravium, quæ cadunt in aere. In Libro tertio argumentum, quo lunam in orbe suo per gravitatem retineri probatur, paulo fusius exponitur, & novæ adduntur observationes de proportione diametrorum Jovis ad invicem a* D. Poundio *factæ. Adduntur etiam observationes aliquot Cometæ illius, qui anno 1680 apparuit, a* D. Kirchio *mense Novembri in Germania habitæ, quæ nuper ad manus nostras venerunt & quarum ope constat, quam prope orbes parabolici motibus Cometarum respondent. Et orbita Cometæ illius, computante* Hallejo, *paulo accuratius determinatur quam antea, idque in ellipsi. Et ostenditur, Cometam in hac orbita elliptica per novem cælorum signa non minus accurate cursum peregisse, quam solent planetæ in orbitis ellipticis per astronomiam definitis moveri. Orbis etiam Cometæ, qui anno 1723 apparuit, a* D. Bradlejo *Astronomiæ apud* Oxonienses *Professore computatus, adjicitur.* Quoniam singula, quæ a *Newtono* veniunt, attentionem eruditorum primi ordinis merentur; nostrarum partium esse existimavimus tertiæ quoque editionis memoriam conservare in his Actis, utut de prima satis dictum sit in Actis A. 1688 p. 304 seqq. & de secunda in Actis A. 1714 p. 131 & seqq. quæ in Batavia recusa fuit una cum Viri summi Analysi per quantitatum series, fluxiones ac differentias, quam a *Guilielmo Jonesio* in lucem publicam protractam commendavimus in Actis A. 1712 p. 74 & seqq. Monet Vir perspicacissimus, resistentiam corporum sphæricorum in fluidis oriri partim ex tenacitate, partim ex frictione, partim ex densitate medii: illam, quæ oritur ex medii densitate, esse

in duplicata ratione celeritatis, alteram, quæ oritur ex tenacitate fluidi, esse ut momentum temporis. Quamobrem cum ipse tantummodo prioris resistentiæ ex medii densitate ortæ rationem habuerit, aliis, quibus ulterius progredi libuerit ad motum corporum, quibus resistitur partim vi uniformi seu in ratione momentorum temporis, & partim in ratione duplicata velocitatis, immo ad motum quoque corporum, quibus resistitur partim uniformiter, partim in ratione velocitatis, & partim in ratione duplicata velocitatis, propositiones indicat, per quas aditum ad hanc speculationem patefecit, & quomodo iisdem sit utendum ad istum scopum, innuit. Experimenta nova de resistentia gravium, quæ cadunt in aere, A. 1719 mense Julio Cel. *Desaguliers* cepit, formando vesicas porcorum in orbem sphæricum ope sphæræ ligneæ concavæ ambientis, quam madefactæ implere cogebantur inflando aerem, & arefactas demittendo ab altiore loco in templi S. Pauli turri rotunda fornicata, nempe ab altitudine pedum 272, globo plumbeo duarum circiter librarum Romanarum una demisso & aliis in suprema parte templi tempora tota cadendi, aliis in terra differentiam temporum inter casum globi plumbei & casum vesicæ penduloram ad dimidia minuta secunda oscillantium ope notantibus. Globus plumbeus cadebat tempore minutorum secundorum quatuor cum quadrante. Tempora, quibus vesicæ quinque post casum globi plumbei prima vice ceciderunt, erant $14\frac{3}{4}$, $12\frac{3}{4}$, $14\frac{5}{8}$, $17\frac{3}{4}$, $16\frac{7}{8}$ ser. sec. & secunda vice $14\frac{1}{2}$, $14\frac{1}{2}$, 14, 19 & $16\frac{3}{4}$. Tempora autem in summitate templi notata erant prima vice $19\frac{5}{8}$, $17\frac{1}{4}$, $18\frac{3}{4}$, $22\frac{1}{8}$ & $21\frac{5}{8}$ & secunda vice 19, $18\frac{5}{8}$, $18\frac{3}{8}$, 24 & $21\frac{3}{4}$ ser. sec. Vesicæ non semper recta cadebant, sed nonnunquam volitabant & hinc inde oscillabantur inter cadendum. Cadebant autem rectius vesica secunda & quarta prima vice & prima ac tertia secunda vice. Vesica quinta rugosa erat & per rugas suas nonnihil retardabatur. Demonstrat autem Vir summus egregium horum experimentorum cum theoria sua consensum. Scholion istud, quod *Leibnitium* tangit & cujus in Actis anni 1714 p. 133 mentio fit, nunc omittitur & ejus loco aliud comparet, in quo Autor exhibet excerptum ex epistola d. 10 Dec.

1672

1672 ad *Collinium* data, quo eidem significavit, se habere methodum generalem, quæ se citra molestum ullum calculum extendat non modo ad ducendum tangentes ad quasvis curvas sive geometricas, sive mechanicas, vel quomodocunque rectas lineas aliasve curvas respicientes, verum etiam ad resolvendum alia abstrusiora problemata de curvitatibus, areis, longitudinibus, centris gravitatis curvarum &c. neque ad solas restringatur æquationes illas, quæ quantitatibus surdis sunt immunes, & se hanc methodum intertexuisse alteri isti, quæ æquationum exegesin instituit, reducendo eas ad series infinitas. Regulis sic dictis philosophandi quartam adjicit, qua præcipitur, in philosophia experimentali propositiones ex phænomenis per inductionem collectas, non obstantibus contrariis hypothesibus, pro veris aut accurate, aut quam proxime haberi debere, donec alia occurrerint phænomena, per quæ aut accuratiores reddantur, aut exceptionibus obnoxiæ, addita ratione, ne argumentum inductionis tollatur per hypotheses. Elongationes satellitum Jovis & diametrum ejus Cl. *Pound* per micrometra ita determinavit. Elongatio maxima heliocentrica satellitis quarti in mediocri Jovis a terra distantia est $8'\ 16''$ circiter; tertii $4'\ 42''$; secundi $2'\ 56\ 47''$; primi $1'\ 51'\ 6'''$. Diameter Jovis micrometro in telescopio 123 pedes longo sæpius capta semper minor prodiit quam $40''$, nunquam minor quam $38''$, sæpius $39''$. Eadem diameter per transitum primi Satellitis per corpus Jovis in ejus mediocri a terra distantia $37\frac{1}{8}''$, per transitum tertii $37\frac{3}{8}''$ sec. ex tempore, quo umbra primi per illud transiit, $37''$ circiter. Elongatio maxima Satellitis quarti Saturnini in telescopio *Hugeniano* 123 pedum prodiit semidiametrorum $8\frac{7}{10}$; Saturni diameter erat ad diametrum annuli ut 3 ad 7 & diameter annuli d. 28 & 29 Maji 1719 erat $43''$, adeoque in mediocri Saturni a terra distantia diameter annuli $42''$, diameter Saturni $18''$. Monet, luce omni erratica rejecta, diametrum Saturni manere haud majorem quam $16''$. Pondera corporum in diversos planetas ex recentissimis observationibus aliter definit, quam in editione secunda, eadem nempe in superficiebus Solis, Jovis, Saturni ac terræ esse asserit ut 10000, 943, 529, 435: atque hinc aliæ quo-

que prodeunt denſitates planetarum, quam in editione altera. Oſtendit, ſi aſcendatur ad altitudinem milliarium ducentorum ſupra terram, aerem ibi rariorem fore quam ad ſuperficiem terræ in ratione 7500000000000 ad 1 circiter, atque hinc concludit, Jovem in medio ejusdem denſitatis tempore annorum 1000000 ex reſiſtentia medii non amittere motus ſui partem decimam centeſimam milleſimam. Ceterum non mirum, quod in ſequentibus quoque propoſitionibus mutationem ſubierint numeri, cum ex antecedentibus deducantur ſequentia. Motum vertiginis Lunæ ſtatuit dierum 27 hor. 7 43′, ac inde deducit librationem in longitudinem, librationem in latitudinem a latitudine Lunæ & inclinatione axis ejus ad planum eclipticæ. Monet, *Mercatorem* in Aſtronomia ſua initio anni 1676 edita hanc librationis lunaris theoriam expoſuiſſe ex literis, quas ad ipſum dederit Noſter. Rationes adducit, ob quas Satellites extimi Saturni atque Jovis ſimili motu circa axem ſuum revolvi videantur. Altitudinem terræ ad æquatorem nunc definit 19658600 pedum circiter & ad polos 19573000 pedum. *Poundus* teleſcopio 123 pedum & micrometro A. 1719 diametros Jovis ad invicem deprehendit d. 28 Jan. h. 6 ut 12 ad 11, d. 6 Mart. h. 7 ut $13\frac{3}{4}$ ad $12\frac{3}{4}$, d. 9 Mart. h. 7 ut $12\frac{2}{3}$ ad $11\frac{2}{3}$, d. 9 April. h. 9 ut $14\frac{1}{2}$ ad $13\frac{1}{2}$. Pondera quoque corporum in terræ regionibus diverſis una cum quantitate gradus unius in Meridiano nunc paulo aliter determinat. Motum nodorum *J. Machin* Aſtron. Prof. Gresham. & *Henr. Pemberton* M. D. ſeorſim invenere alia ratione, quam *Newtonus*. Chartas prioris Principiis ſuis inſeruit, concordes cum chartis alterius. Numeri in theoria Lunæ ſubinde quoque ſubierunt aliquam mutationem. Motus Cometæ annorum 1680 & 1681 a *Flamſtedio* obſervatus, ex obſervationibus *Flamſtedianis* correctus, ab *Halleio* ſiſtitur. Mittimus ea, quæ jam ſupra ipſis *Newtoni* verbis commemoravimus. Ceterum hæc editio anterioribus palmam præripit, non modo ob nitorem typorum & figurarum, verum etiam quod præter novas acceſſiones cum contextus, tum figuræ paſſim expertæ fuerint limam. Præfigitur quoque eidem effigies elegans Senis venerandi & tam eminentibus in Remp. literariam meritis illuſtris. *J.*

JO. GOTTLOB HORNII, PULSNICENSIS, Princeps Domus Saxonicæ HENRICUS cognomento ILLUSTRIS ex ſanctioribus tabulis curate deſcriptus.

Francof. & Lipſiæ, ſumtibus Georg. Marci Knochii, 1726, 4. Alph. 2 pl. 6 Tab. æn. 1.

Mirifice iſto opere hiſtoriam Saxoniæ noſtræ ſimulque rem literariam & eccleſiaſticam illuſtrari, id quidem eſt quod primo loco Lectoribus noſtris ſignificandum putamus. Sed ne fruſtra hanc laudem illi tribuiſſe videamur, per ſumma rerum capita eundo ſigillatim annotabimus, quæ in eo contineantur. In Prolegomenis itaque ipſe Autor Clariſſ. inſtituti ſui rationem exponit, & primo quidem cauſam allegat, cur in hiſtoria medii ævi, etiam quoad vitas Principum, cum primis Saxonicorum, ea adhuc ſuperſit difficultas, quam vix ſuperare eruditis hactenus licuerit. Illi ſane qui operam ſuam hac in re præſtiterunt, quorumque indicem deinde tradit Autor, compendiarium quidem ſed utilem, nondum ipſi ſqualorem ſeculorum illorum rudium deterſiſſe videntur. Quin imo ſupereſſe cenſet Principum noſtrorum plures adhuc, qui pro rebus ſuis vitisque illuſtrandis vel ſecundas vel plane novas flagitent eruditorum curas. Aliis igitur, præſertim populariibus ſuis, commendans Conradum Magnum, Ottonem Divitem, Theodoricos, Afflictum & Sapientem, Albertum Degenerem, Fridericos, Balbum, Gravem & Strenuum, Balthaſarem, Wilhelmos, Cœlitem, Divitem & Fortem, Fridericum Placidum, Jo. Georgium II & III, ipſe Henricum Illuſtrem præ ceteris celebrandum ſibi ſumſit. In quo argumento ita verſatur, ut quæ alii cum cura attigerunt breviter repetat, quæ perperam tradiderunt, emendet, nimis conciſa uberius exponat, nec rebus ſimpliciter enarrandis, ſed cauſas etiam arcanas & conſequentia inde Sereniſſ. Domus Saxonicæ jura cognoſcendis ſit intentus. De ſtilo nil attinet monere, niſi quod puriorem minusve impeditum hiſtoria amet, quamvis ſtricte non requirat; quæ excuſatio Autoris facile eſt admittenda. Ceterum integra tractatio in octo diſpeſcitur capita, quorum primo

p. 2.

3.

12.

14.

Henrici prosapia & nascendi conditio exponitur, & ab initio
p. 17. statim inveterata illa exploditur opinio, quæ stemma Principum Saxoniæ a Wittekindo M. deducit. Autor contra derivandum illud esse potius a *Buzici* cujusdam, Comitis seculo IX clari, tribu, una cum Celeberrimo Eccardo aliisque viris doctis tradit, speciatim vero Henrici nostri genus refert ad Theodoricum Buzicium, pro Comite Wettinensi vulgo habitum, a quo septima generatione descenderit iste, natus scilicet anno decimo
20. octavo seculi XIII. De parentibus ejus, Theodorico Afflicto, Comite de Vizenfels, & Juditha Thuringica, deque causis politicis matrimonii inter eosdem contracti quæ hic disquiruntur,
25. lectu maxime digna sunt. Tum vero Cap. II de Henrici adolescentia agitur, in qua ex patris defuncti voluntate avunculi Ludovici Sancti Thuringiæ Landgravii tutelam subiit, matre quo-
33. que vidua ab hoc in societatem tutelarem adscita. Præcipue hic attendi meretur, qua ratione mox inter sanctum fratrem &
37. sororem, dum hæc inconsulto isto ad secunda vota transiret, capitale dissidium, atque ex eo bellum intestinum enatum, vehementer afflixerit terras Henrici impuberis. In rebus deinde ab hoc Principe gestis recensendis prolixus est Autor Cap. III, quo nimirum bellicas Henrici expeditiones, præcipue Thuringicam, describit. Nos exinde id præsertim annotamus, principia juris cujusdam, Saxoniæ in ditiones Austriacas competentis, ita hic
64. enucleari, ut nondum penitus hoc exspirasse videri possit, quamvis certi quid de eo affirmare non audeat Autor. Paulo apertius vero deinde justitiam causæ, qua Thuringiam extincto Hermanno Landgravio sibi vindicabat Marchio noster, defendit con-
69. tra Siffridum Misnensem & scriptores quosdam chronicorum apud Leibnitium & Schannatum, Virum quoque aliquem magni
80. nominis ex recentioribus. Id etiam satis luculenter demonstrat, avunculi titulo principes olim non semper propinquæ cognationis ergo sed quandoque saltem honoris causa se invicem compellasse. Dum porro Thuringiæ & Hassiæ antea connexarum disjunctionem non nisi in benefica Henrici cessione Sophiæ Brabantinæ facta fundatam esse asserit, solicite confœderationem a confraternitate discernendo, verum fœderis fraterni
92. inter

inter Misnensem & Hassiacam domum initi primordium designat. Caput deinde IV memorabilia Henrici merita in ecclesiam pandit, qualia scilicet pro conditione illorum temporum esse poterant, imo debebant. Unde generatim de iis indicasse sufficiat, Henricum Marchionem tot largitionibus immensis in Episcopos & universum ditionis suæ Clerum impense religiosum se probasse. Quæ vero speciatim ecclesiæ vel monasteria munificentiam ejus sint experta, longa serie hic enarratur. Verum p. 95 seq.
profusa ista liberalitate nihil aliud effecit, quam ut Clericorum fastum provocaret & potentiam augeret, ipsi deinceps in exercitio juris principalis circa sacra tanto magis obstaculo futuram. Autor quidem ad reliquias aliquas hujus juris refert, quod 122.
Henricus ingenuitatem Episcopatus Misnensis restituit in integrum; sed non magis hoc ex jure quodam circa sacra relicto coll. 141.
procedere videtur, quam ulla alia actio in gratiam potissimum & commodum ordinis ecclesiastici suscepta. Id forte rectius hanc in rem allegaret, quod Imago S. Mariæ, Freibergæ celebris & miraculis famosa, propter improbitates & horrenda flagitia peregrinantium ad eandem patrata, Henrici jussu summota fuit: nisi & hoc princeps non tam suo motu suaque autoritate quam Cleri ipsius petitione fecisset. Atque ita etiam Caput V, quod de Henrici gestis in Politia inscribitur, rebus imprimis memorabilibus refertum est. In hoc nos dubia illa, quæ Autor de privilegio quodam, civitati Dresdensi concesso, nec nisi germanice extante, eruditis proponit, sic satis expediri judicamus, si quis di- 149.
cat, primo non sequi, quod, quia reliqua, quæcunque diplomata hujus Marchionis hactenus in lucem prolata accepimus, idiomate Latino primitus consignata apparent, ergo ne unicum quidem germanice confignari potuerit. Deinde si potuit vel unicum aliquando germanico stilo conscribi, mirum non est, hunccc aliquanto cultiorem videri, quam versiones reliquorum germanicas ad latinum expressas. Tertio denique cum Autor de Osterlandiæ nomine dubia moveat, idemque infra Capite octavo §. X accuratius expendat, nihil obstat, quo minus nomen istud etiam in documento originali germanico de Lusatia tanquam Marchia orientali potuerit usurpari: præsertim, quod probe no-

tan-

tandum, cum versiones quoque vetustissimæ diplomatum, eodem tempore, imo prius editorum, Marchiam hancce germanice reddant *Osterlandt*. Ceterum inter Henrici in republica gesta præcipue volupe est legere, qua ratione Judæos, quibus tunc abundabant istius provinciæ, certis legibus adstrinxerit & constitutionibus, quibus hodie alii quoque Principes cum fructu uti possent. Sequuntur Capite VI Henrici negotia domestica, & Capite VII mors cum sepultura; quæ licet tanta describantur industria, ut in rebus haud exigui momenti multum inde lucis affundatur historiæ Saxonicæ, nobis tamen iis immorari per brevitatis studium non licet. Capite VIII Henrici elogia & reliquiæ explicantur, atque ad illa quidem refert Noster cognomen Illustris, titulosque a provinciis sumtos, ad has autem sigilla, denarios bracteatos, & numismata alia, imprimis vero epistolas, edicta varia ac diplomata. Et horum quidem, post vitam Henrici expositam, codex peculiaris, alteram quasi totius libri partem constituens, illustrationis gratia subjungitur. Sunt in hoc codice diplomata LXVI, junctis plerisque versionibus antiquis germanicis; ad quæ colligenda, uti & ad totum opus perficiendum, subsidiariam operam contulisse Virum Illustrem, *Michaelem Henricum Gribnerum*, Consiliarium Aulicum & Archivarium, nuper nobis feliciter redditum, tum summe Rev. *Valent. Ern. Læscherum* & alios, in præfatione codici diplomatico præmissa gratus deprædicat Autor. Excipiunt tandem hunc codicem nonnulla ad historiam vitæ Henrici Illustris analecta; quæ non solum supplementorum sed & emendationum vicem præstant, iterata forte operis editione commodius suis locis inserenda. Forte etiam hujusmodi analecta porro colligere licebit Clariss. Autori, præsertim ex programmate recentissime scripto editoque ab Illustri, cujus modo mentionem fecimus, *Gribnero*. Is enim quemadmodum in eo retractationem aliquam & ulteriorem disquisitionem instituit de titulo Landgravii Thuringiæ & Comitis Palatini Saxoniæ in literis Henrici Illustris; ita totum hocce opus historicum, imprimis codicem diplomaticum, insigniter illustrat & amplificat. Qua occasione simul Lectores nostri monendi sunt, programma istud in Academia nostra nuper

p. 158. 173. 225. 242. 277. 279. 359.

præ-

præmissum fuisse orationi in solennissima panegyri habitæ, qua Ill. Autor Professionem Juris primariam cum Ordinarii munere clementissime sibi demandatam auspicabatur. In his scilicet reliquisque muneribus amplissimis gravissimisque magno Academiæ emolumento successor datus est dignissimus meritissimo Vitrico B. *Ludero Menckenio*, cujus vitam & elogium superioris anni mense Octobri exposuimus.

ORIGINES HEBRÆÆ: THE ANTIQVITIES OF the Hebrew Republick.

i. e.

ANTIQUITATES REIPUBLICÆ HEBRAICÆ, Autore THOMA LEWIS, M. A.

Volumina IV.

Londini, apud Sam. Hudge & Joh. Hooke, 1724, 8. maj. Alph. 4 pl. 5.

NOvum hic habes compendium Antiquitatum Hebraicarum lingua Anglicana descriptum. Tale olim eadem lingua dederat *Thomas Godwinus* in *Mose & Aarone*, qui libellus in Anglia iterum iterumque prelum exercuit, & *Latine* a Reizio, *Belgice* autem ab alio conversus in Germania & Belgio cum Editorum notis & observationibus sæpius lucem adspexit. Vide, si placet, S.R. *Jo. Christoph. Wolfii* Biblioth. Hebræam Parte II p. 1085 sq. Cave tamen, existimes, *Lewisium* nostrum *Godwini* vestigiis ita insistisse, ut non ulterius progrederetur. Inscriptio operis ipsa ampliorem campum, quam quidem Godwinus calcavit, aperit, & enarratio totius tractationis manifestum faciet, Lewisium eundem feliciter esse emersum. Volumina I & II, continuis foliis comprehensa, quatuor Libris absolvuntur. Liber I capitibus IX constans ad Statum Reipublicæ Judaicæ externum pertinet, ubi cap. I origo, incrementa & inclinatio illius; cap. II conditio Terræ Sanctæ usque ad subjectionem Romano Imperio factam; cap. III diversi Terræ Sanctæ incolæ, *Cananæi*, *Hebræi*, *Samaritani*, *Hellenistæ*, *Proselyti* & *Judæi*; cap. IV diversæ regimi-

giminis formæ, *Patriarchalis* scilicet, *Judicialis*, *Monarchica* & *Sacerdotalis*; cap. V speciatim Monarchica Imperii forma atque adeo Regum Hebræorum rationes; cap. VI civilia Hebræorum constitutio & imprimis *Synedrium Magnum*; cap. VII Judiciorum civilium diversi modi; cap. VIII & IX supplicia tum *capitalia* tum *non capitalia*, Judæis olim recepta, exponuntur. Hæc libri I capita Cl. Autor persequitur usque ad pag. 87.

Liber II capitibus XXVI commentatur de Regimine *Ecclesiastico*, i. e. de *Sacerdotibus* tum *summis* tum inferioris ordinis, eorum unctione, inauguratione, officiis, classibus, juribus & reditibus, ex primitiis v. c. & decimis subnatis, præterea de Levitis, Nethinæis, Prophetis veris & falsis, divinatoribus & Necromantis, nec minus de Nazaræis & Rechabitis, usque ad cap. XIX p. 224. His usque ad caput XXVI p. 270 tractatio de Sectis Judæorum, Pharisæis, Scribis diversisque eorum titulis, Sadducæis, Karæis, Essenis, Herodianis, Publicanis & Galilæis subjicitur.

Liber III locos cultui divino publico destinatos considerat capitibus X usque ad p. 349, puta Tabernaculum Mosaicum cum partibus ejus omnibus, columnam nubis & ignis, Prosevchas & Templum Salomonis.

Posthæc & capitibus & paginis una serie continuatis Vol. II & Lib. IV incipit, isque cap. XI p. 349 repræsentat eam Templi partem, quæ Sanctum Sanctorum appellatur, quemadmodum cap. XIII usque ad XX seu p. 422 Templum II delineatur. Nec omittuntur *Synagogæ*, earumque præfecti & ministri, quæve alia huc pertinent, v. c. preces publicæ, lectio Scripturæ Sacræ, ratio concionandi &c. cap. XXI & XXII usque ad p. 625.

Volumen III comprehenditur Libris IV. Horum I, qui respectu superiorum quatuor librorum hic inscribitur V, *idololatriam* inter Judæos quondam grassatam describit, quo pertinet cultus *Angelis*, *Soli*, *stellis* & *dæmonibus* præstitus, consecratio lucorum & imaginum, adoratio æneiserpentis, vituli aurei &c. usque ad p. 50, seu caput X. Hac occasione Schisma *Samaritanorum* cum ipsorum dogmatibus, Confessione fidei & Epistola a Samaritanis *Sichemitis* ad fidei socios per Huntingtonum quon-

Digitized by Google

quondam in Angliam curata edifferitur usque ad p. 65 Deinde cap. XV p. 69 ſqq. in ſcenam producuntur idola Cananæorum, *Baal peor & Chemoſch*; cap. XVI Ammonitarum, *Milcom*, *Cium* &c. tandemque cap. XXII p. 97 Judæi vindicantur a calumnia, qua *aſinum*, *æelos* & *Bacchum* adoraſſe a nonnullis feruntur.

Cum ex his ſatis pateat, Cl. Autorem non facile prætermittere momentum aliquod, quod quidem ad argumentum tractandum pertineat, ſuffecerit, ſi reliquorum librorum ſummam deſignemus.

Liber itaque VI totius operis poſt deſcriptionem urbis Hieroſolymitanæ ex Joſepho, Rabbinorumque & Præſidum populi in captivitate, leges Judæorum tum *forenſes* tum *cerimoniales* enarrat cap. LXIII usque ad p. 430. Atque hic agitur de legibus ad homicidas, fures, viduas, orphanos, pauperesque pertinentibus, nec minus de inſtitutis ritualibus ad animalia munda & immunda, mactationem, cibum potumque, conjugium item, concubinatum & divortium, educationem liberorum, ſervorum jura, diſciplinam militarem, ſepulturam, luctum, pondera & menſuras ac denique agriculturam relatis.

Volumen IV ſiſtit Libros VII & VIII. In VII Libro capitibus XXXIII usque ad p. 185 artes & ſcientiæ ab Hebræis excultæ deſcribuntur. Inter has *Aſtronomia* primum locum occupat; eam excipit *Arithmetica*, *Geometria*, *Gnomonica*, *Medicina*, *Chirurgia*, *Botanica*, *Pictura*, *Architectura* &c. Mentio etiam fit *mercaturæ* & commerciorum c. XV p. 76, navigationis Noachicæ cap. XVII & Ophiriticæ Salomonis cap. XVIII, hinc Poeſeos cap. XIX, & Muſices cap. XX, inſtrumentorum Muſicorum cap. XXI, artis ſcribendi cap. XXII, ſpeciatim illius, quæ ad Codicem Biblicum rite exarandum ſpectat. Porro cap. XXIV ſqq. de lingua Hebræorum, literisque & vocalibus, Maſora, Keri & Kethib, Cabbala, Academiis Judaicis & corpore Talmudico, ac tredecim articulis fidei Judaicæ diſſeritur.

Liber denique VIII capitibus LVII usque ad finem ſeu pag. 338 Canonem Biblicum ejusque hiſtoriam generatim exhibet, interque cetera Judæos a crimine corrupti textus Hebraici liberat cap. V, deinde vero ſigillatim libros Canonicos & Apocryphos enarrat.

Laudanda sane est Cl. Autoris industria & dexteritas, quam in hoc argumento ita probavit, ut & instruat lectorem, & idonea suavique dicendi ratione delectet. Videtur tamen non tam ex fontibus, si *Scripturam sacram, Talmud, Josephum* & *Maimonidem*, ad quos interdum provocat, quam ex Christianorum Scriptorum commentationibus antiquariis sua hausisse. Isti vero sunt, quos & ipse in præfatione laudat, ex Anglis *Ainsworthus, Broughtonus, Godwinus, Kidderus, Lightfootus, Medus Outramus, Patrickius* in Commentariis Biblicis, *Prideaux* in Harmonia Historiæ Sacræ & profanæ, *Seldenus, Weemsius* & *Thorndikius*: ex ceteris *Bertramus, Braunius, Buxtorfius, Cunæus, Hospinianus, Leusdenius, Relandus* & *Schickardus*. Atque illi quidem ad perficiendum Autoris institutum sufficere poterant, utpote qui non tam id egisse videtur, ut argumentum hoc a multis tractatum denuo sub accuratum examen revocaretur, quam ut illis, qui sine intermistis longioribus & plerumque tædiosis disquisitionibus rem ipsam tenere cupiunt, consuleretur.

R. P. BERNARDI PEZII, BENEDICTINI & Bibliothecarii Mellicensis, Bibliotheca ascetica antiquo-nova.

Tomus IX.

Ratisbonæ, sumtibus J. C. Peezii, 1726, 8.
Alph. 1 pl. 21.

EN novum Pezianæ *Bibliothecæ asceticæ* Tomum, quem haud dubie multi dolebunt esse ultimum, cum Clarissimus Autor in Præfatione fateatur, pluribus Tomis sufficientes sibi superesse hujus argumenti libros. Sed nimirum alii docti labores eum avocant, iique gravioris momenti: quanquam nos non vetat sperare, successuros aliquando ipsius plus otii nacti opera Tomos plures. Hic quidem exhibet *Rufini* cujusdam libros *de bono pacis* duos; *Engelberti*, Abbatis Admontensis, librum *de statu defunctorum*; *Francisci* cujusdam librum *de monacho ad exemplum Christi crucifixo*; ejusdemque *Quæstiones regulares de vita sanctimonialium virginum*; *Gregorii de Sclavonia* librum *de tuenda virginis Deo consecrata sanctimonia*; *Nicolai de Argentina* librum

Digitized by Google

brum *de discretione*; Anonymi Cartusiani *Dialogum de institutione & exercitiis cellæ*; *Matthiæ Mittneri* librum *de individibili & unice uno punctо instituti Cartusiani*; denique *Mabillonii breve scriptum de monasticorum studiorum ratione ad juvenes studiosos Congregationis suæ*. Hunc postremum libellum, inter *Opera posthuma* Mabillonii Parisiis A. 1724 editum, ideo se recudi curasse scribit Rev. Editor, quod ista Opera rarius in Germaniæ monasteriis reperiantur. Idem in Præfatione de ceteris quoque hujus Tomi scriptoribus, iis quidem, de quibus nondum dixerat in superiorum Tomorum Præfationibus, disserit. Quanquam de *Rufino* nihil investigare potuit, nisi quod sæculo undecimo vixerit & Episcopus fuerit. De *Francisco* quoque suo illud unum docere potuit, quod ineunte sæculo decimo quinto fuerit monachus in Germania. Eodem temporis tractu docet etiam vixisse *Gregorium de Sclavonia*, & Ecclesiæ Turonensis fuisse Canonicum. De *Engelberto* commemorat, nuper Ratisbonæ prodiisse ejusdem 1) *de regimine Principum* libros septem, 2) librum *de summo bono hominis in hac vita*, 3) *Dialogum Concupiscentiæ & Rationis de iis, quæ veram homini felicitatem conferant & beatitudinem*, 4) libellum *de quæstione, utrum sapienti competat ducere uxorem*. Denique *Mittneri* mentionem faciens, refert, se propediem editurum esse *Mittneriana*, a doctissimo Cartusiano, Leopoldo Wydemanno, contexta studiosissime.

Ut ex hisce operibus non nihil depromamus, docet *Rufinus lib. I cap. 1*, in voce *Pax* latere mysterium Trinitatis. *Pax*, inquit, *declinatur quidem, sed in pluralitatem non deflectitur. Ita in Trinitate est & discretio personarum, & unius ejusdemque naturæ simplicitas. Sicut alia litera est P, alia A, alia X, quæ sunt una dictio, non resoluta in pluralem numerum, (non enim dicimus Paces,) sic & Deitas in tribus personis consistit, ut sit alia persona Patris, alia Filius, & alia Spiritus sanctus: qui tres non plures essentiæ sed una essentia unusque Deus sunt.* Capite secundo exhibet species pacis octo, pacem Dei ad se, pacem Dei ad homines, pacem angelorum ad se, pacem angelorum ad homines, pacem Diaboli ad se, pacem Diaboli ad homines, pacem hominum ad se, pacem

hominum ad homines. Septem priores ſpecies libro perſequitur priore, ultimam libro poſteriore. *Libri ſecundi capite primo* pacem hominis ad hominem facit duplicem, pacem Ægypti, pacem Babyloniæ, pacem Jeruſalem. Primam vocat *malorum in unam pravitatem conſpirationem*, alteram *tam malorum, quam bonorum, ab externo bello privataque rixa tutam converſationem*; tertiam *Chriſtianæ Societatis fraternitatem*. Ad *Engelberti* librum quod attinet, excutiuntur ibi variæ Scholaſticorum quæſtiones de ſtatu defunctorum, e. g. an in damnatis remaneat affectus erga ſuos in mundo relictos? qualiter diſtincta ſint quatuor loca pœnarum, infernus, limbus infantum, purgatorium, & limbus Patrum? an purgatio in purgatorio fiat per ignem materialem? an evolari poſſit e purgatorio ante extremum judicium? an pœna purgatorii ſit maxima pœnarum temporalium? an in pœna purgatorii ſit minor certitudo de gloria, quam in hac vita? quorum miniſterio pœna purgatorii infligatur? ubi ſit locus purgatorii? pro quo poſſint & debeant fieri indulgentiæ? Veniamus ad *Franciſcum*, qui vitam monachorum comparat cum cruce illa, cui Salvator fuit affixus, & mirabilibus utitur alluſionibus. E. g. *crux clauſtralium* (ita differit cap. 3) *ex tribus lignis eſt, paupertate ſcilicet, caſtitate, & obedientia. Uti Chriſtus tribus clavis fuit perfoſſus, ſic & clauſtralis habet tres clavos, voluntarie aſſumtos. Primus eſt amor divinæ gloriæ, ſecundus eſt amor beneplaciti ejus, tertius eſt amor placendi ei.* Ad finem properantes e *Mabillonii* libello, undecim tantum paginas implente, hoc unum monitum libet excerpere, quo *p. 658* monachum juvenem jubet eas fugere *artes, quæ totum animum rapiunt, nec eum ad res ſpirituales aptum efficiunt, quales ſunt mathematicæ, quarum elementa quidem ſtudioſi profunt, ſed, ſi ſemel bis immerſus fuerit animus, vix unquam ad ſpiritualia aſſurgere valebit.*

HUGO GROTIUS DE VERITATE RELIgionis Chriſtianæ. Editio noviſſima, quam ad fidem antiquiſſimorum codicum recenſuit, mendis ſollicite purgavit,

Digitized by Google

gavit, veterum teſtimoniiis accuratius pleniusque allegatis inſtruxit JO. CHRISTOPH. KOECHERUS.

Jenæ, apud E. C. Bailliar, 1726, 8.
Alph. 1 pl. 5.

HUGO GROTIUS DE VERITATE RELIgionis Chriſtianæ, Conringii, Henichii, Cypriani, Limborchii, Clerici, Stollii, Heumanni, Notis ac Animadverſionibus illuſtratus, opera ac ſtudio JO. CHRISTOPH. KOECHERI, qui & ipſe cogitationes ſuas hinc inde adſperſit.

Jenæ, apud E. C. Bailliar, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 11½.

DUo hæc Volumina merito ſimul exhibemus. Ac prius quidem repræſentat clariſſimum illud & cum argumenti ſui gravitate ſanctitateque, tum elaborationis præſtantia, tum denique ipſius autoris ſui magnitudine in primis conſpicuum opus Grotianum *de religionis noſtræ veritate*. Cujus cum permultæ exſtent editiones, in confeſſo tamen fuit, nondum prodiiſſe editionem omnibus perfectam numeris, hoc eſt, quæ primo emendatiſſime deſcripta eſſet, deinde adjectos haberet veteribus autoribus ibi laudatis ſuos libros librorumque ſectiones, tum illuſtria Grotii argumenta ſubinde majori in luce collocaret, denique, quo carent omnes editiones, indicem haberet rerum memorabilium. Nævis his aureum hoc opus liberaturus Cl. Editor, incredibilem exhauſit laborem, tamque bene de Grotiano libro meritus eſt, ut nemo melius. Ad textum enim quod attinet, cum primas hujus libri editiones nactus eſſet, prætereaque emendationes ipſius Grotii manu editioni ſecundæ anni 1629 adſcriptas, (quod exemplar tenet bibliotheca illuſtris Uffenbachiana,) permulta ſuſtulit menda, ſimulque ea loca notavit, quæ nondum recte ſe habere exiſtimat. Hinc ſingula loca aliorum autorum a Grotio laudata ſingulari inquiſivit induſtria, per-

Digitized by Google

perpaucis ejus effugientibus diligentiam. Ipse quoque suas annotationes a Grotianis rite distinctas subjecit, in quibus partim observat, ubi Grotius memoria sua fretus falsos vel autores vel libros nominavit, partim loca quædam expendit, quamque parum valeant ad sententiam confirmandam, docet. Hujus laboris socium adscivit Cl. Facultatis Philos. in Acad. Jenensi Adjunctum, Dan. Gottfr. Wernerum, qui idem præstitit in evolvendis examinandisque Rabbinicis & Talmudicis testimoniis a Grotio prolatis.

Altero volumine Cl. Editor exhibet doctissimorum Virorum in Grotianum opus annotationes, tum jam editas, tum primum nunc in lucem prodeuntes. Scilicet excerpsit potiora ex Jo. Henichii, Ern. Sal. Cypriani, Jo. Clerici, & Christ. Aug. Heumanni ad hunc librum annotationibus, seperatim jam diversis emissis temporibus. Tum e Phil. Limborchii Commentario in *Acta Apostolorum* A. 1711 edito repetit confutationem libri *Judæ Lumbrosi*, quo liber quintus Grotii oppugnatur, accuratissimam. Hinc Conringii nunquam editas in primum secundumque libros commentationes, e latebris suis singulari felicitate erutas, exhibuit integras. Denique novas ad Grotii opus annotationes, partim a Cl. Stollio, Prof. Jenensi, partim a semet ipso confectas, adjecit. Non libet nobis ex tam nobili thesauro, omnibus Theologorum bibliothecis inserendo, proferre specimina. Unum sufficiat, prima videlicet ad sextum librum annotatio, qua docetur, in eo libro politicum quoddam artificium Grotii latere. Grotius scilicet, cum ederet hunc librum, versabatur Lutetiæ, adeoque ei non licebat aperte infectari Papæas religionis Christianæ corruptelas. Fecit id igitur tecte, dumque Muhammedanos petere videtur, Papæos gravissimis ferit ictibus. Docet enim §. 1 clare, religionem Christianam medio ævo summopere corruptam fuisse, & plerosque nævos Catholicæ religionis recenset. §. 2 sub titulo Muhammedanorum graviter notat Papæos, Scripturæ S. lectione plebem interdicentes. §. 7 sub eodem titulo refutat Papæos religionem armis propagantes & felicitatem externam constituentes notam veræ religionis. §. 8 exagitat Pontificiorum leges Judaicas de discrimine ciborum.

VAL.

Digitized by Google

VAL. ERN. LOESCHERI LITERATOR CELTA, seu de excolenda literatura Europæa, occidentali & septentrionali, consilium & conatus, curante JO. AUGUSTINO EGENOLF.

Lipsiæ, apud Jo. Christ. Martini, 1726, 8. Plag. 8.

CUm jamdudum magnum sit Summe Rev. Lœscheri nomen non solum inter Theologiæ, sed etiam Philologiæ consultos, jure speramus, & hoc opusculum cupide exceptum iri, quod multis jam abhinc annis confectum in lucem nunc editur a Cl. Egenolfo. Præmisso scilicet sermone de utilitate & præstantia veteris literaturæ septentrionalis, nominatimque laudatis, qui jam feliciter elaborarunt in hoc studio, *Cap. V* exhibet figuras literarum Gothicarum, Runicarum, Anglo-Saxonicarum, &c. *Cap. VI* monumenta commemorat reliquias literaturæ Septentrionalis exhibentia & adhuc exstantia, inde ab Ulphilæ Evangeliis usque ad seculum XIV. *Cap. VII & VIII* cum Glossaria hujus literaturæ laudat, tum doctissimorum hominum huc pertinentes animadversiones. *Cap. IX* tres facit antiqui Septentrionis periodos, *antiquissimam*, a primo scilicet Celtarum ortu usque ad seculum Christianorum primum; *antiquam*, a seculi primi fine usque ad Carolina tempora; *mediam* denique, a Carolino seculo usque ad Auream Bullam. *Cap. X & XI* proposita sua de Europæarum gentium originibus sententia, itemque distinctione inter linguam Gallicam & Franco-Gallicam; *Cap. XII* & sequentibus exhibet Indices alphabeticos reliquiarum veteris linguæ Gallicæ, Cambro-Britannicæ, Germanicæ meridionalis, Illyricæ, Celtibericæ, Suevicæ, Burgundicæ, Vandalicæ, Herulicæ, Langobardicæ. *Cap. XXVI* & sequentibus disserit de lingua Francica, Saxonica, Gothica, Scandicis, Helvetica, Suevica recentiore, Saxonica & superiore & inferiore, Frisica, Belgica, Danica, Svedica, Islandica sive Runica. *Cap. XXXV* exhibet per duas primas alphabeti literas Glossarium generale linguarum septentrionalium, præsertim Theotiscæ, Gothicæ, Saxonicæ, & Scandicæ. Ex ceteris alphabeti literis supplementi

inſtar aliquot priſca vocabula *Capite ultimo* repræſentat Cl. Egenolfus, adjecta *p. 104* inedita quadam *Eraſmi* Epiſtola ad *Julium Pflugium*, ex qua apparet, Lutherum omnino eſſe verum Autorem libelli *de nominibus Germanorum propriis*. Hoc unum lectores fortaſſe dolebunt, S. R. Autori per graviora & ſacratiora negotia non licuiſſe & fuſius & exactius tractare argumentum tam amœnum, ſed primas duntaxat duxiſſe lineas.

NUMMI BRITANNICI HISTORIA: OR AN Account of Engliſh Money &c.

i. e.

DISSERTATIO HISTORICA DE MONETA Anglicana inde a tempore Wilhelmi Conqueſtoris usque ad unionem Angliæ & Scotiæ ſub Jacobo I atque porro ad hæc usque tempora.

Londini, apud W. Meadows, 1726, 8.
Plag. II Tabb. æn. 4.

CUm nemo adhuc juſtum opus de monetæ Angliæ per tot ſecula ratione & valore condere auſus fuerit, difficulter admodum ſe permoveri paſſus eſt Autor anonymus, ut, quæ propriis tantum uſibus deſtinaverat, in publicum ederet, ſperans interim, Collegium Antiquariorum Londinenſe nonnihil majoris ponderis hac in re proditurum. Miſſis vero vetuſtiſſimis nummis Britannicis & paucis obiter tantum de etymologia vocis *Sterling* annotatis, a Wilhelmo Conqueſtore, qui in
2–5. 6. plerisque, quæ ad monetam ſpectant, anteceſſores ſuos, Reges, Saxones ſecutus eſt, opus orditur, cujus nomen diverſo modo:
8. *Wilem*, *Willem*, *Willemu*, *Willemus*, item *Pillem*, *Pilemu*, *Pillemus*, exprimi notat. Henricum III primum ait obolos (*Half-*
15. *Pence*) & quadrantes (*Farthings*) cudiſſe, cum ante ipſum moris fuerit, nummos in duas vel quatuor partes ad publicos uſus diſſecare. Imprimis vero de exactiori moneta cudenda ſol-
16. licitus fuit Eduardus I, qui Maſſiliis & Florentia accerſivit artis peri-

peritos, & *tonſuram novæ monetæ ſub periculo vitæ & membrorum & amiſſione omnium terrarum & tenementorum fieri* prohibuit. Idem Rex primus titulum *Dominus Hyberniæ* in nummos recepit, quem & Eduardus II & in groſſis (*Groats*) Eduardus III admiſit, poſtea rurſus in argenteis omiſſum usque ad tempora Henrici VIII. Cum porro Eduardi I & II nummi ſibi ſint ſimillimi, hanc unam affert differentiæ notam, quod illi *Edw.* hi *Edwa*, *Edwar &c.* inſcripti ſint. Eduardus III primus omnium nummos ex auro, *Florentinos & Roſas nobiles* dictos, cudi curavit. In moneta ab Henrico V poſt victoriam ad Agincurtium partam in Gallia cuſa obſervatur titulus *Rex Angliæ & Hæres Franciæ.* Henricus VII primus poſt Henricum III numerum nomini in nummis adjecit, primusque inſignia Franciæ & Angliæ in illis repræſentavit; Henricus VIII vero, qui ut in reliquis, ita in nummorum quoque forma varius fuit, primus argenteos Coronatos (*Crown - Pieces*) quod alii falſo Eduardo VI tribuunt, dedit, ac Regis Hiberniæ nomen adſcivit. Obſervat quoque Noſter, in nummis quibusdam Regis hujus, tum Londini tum Eboraci cuſis, literas T. W. cum pileo cardinalitio ſpectari, quæ res inter capita accuſationis Wolſæi poſtea relata. Eduardus VI varias inſcriptiones, præter conſuetas, nummis intulit, ut: *Timor Domini eſt fons vitæ; Inimicos ejus induam confuſione; Scutum fidei protegit eum &c.* In Mariæ nummis legimus: *Philip. & Maria D. G. Ang. Fr. Neap. Pr. Hiſp.* mox poſt abdicatum Carolum V: *Philip. & Maria D. G. Rex & Regina*, & in magno Sigillo: *Rex & Regina Angl. Hiſpaniar. Franc. utriusque Siciliæ, Hieruſalem & Hib. Fidei Defenſor &c.* Draconem in nummis quibusdam Eliſabethæ additum fuiſſe ferunt in memoriam Franciſci Drake, qui primus orbem circumnavigavit. Jacobi I nummi, in quibus nomen M. Britanniæ primum comparet, varia inſcriptione decorantur, ut: *Quæ Deus conjungit, nemo ſeparet; Tueatur unita Deus; Henricus Roſas, Regna Jacobus; Faciam eos in gentem unam &c.* In Caroli I nummis præter illud vulgatum: *Chriſto auſpice regno*, alia etiam leguntur, ut: *Juſtitia thronum firmat; Cultores ſui Deus protegit; Florent concordia Regna; Salus Reip. ſuprema lex.*

p. 17. 18, 20. 22. 33. 45. 46. 49. 57, 58. 64. 68. 81 ſq. 91 ſq.

Virtuti fortuna comes ; Relig. pro leg. Ang. liber. pa. His præsum ut prosim; Nemo me impune lacessit, cum carduo &c. Aureos sub hoc Rege cusos rariores hodie esse, Autor observat, etsi
p. 99. eorum summa ad 1500000 libras adscenderit ; quod inde factum putat, quod Angli in illa rerum perversitate rebus suis consulentes eos cum argento damno septem pro Cent. permutarent, & vel extra Angliam mitterent, vel terræ conderent, in
106. qua adhuc latere plurimos minime dubitat. Inter nummos Cromwelli elegans & rarus est Coronatus, ipsius caput laureatum cum epigraphe: *Olivar. D.G. Rp. Ang. Sco. Hib. &c. Pro.* in aversa insignia Regnorum, cum paterno illo, leone gradiente, & inscr. *Pax quæritur bello 1658*, circumscriptis verbis : *Has nisi perieturus mihi adimat nemo*, repræsentans. A. 1652 in Nova An-
107. glia quoque monetam cusam fuisse, cui inter alia inscriptum: *Crescite & multiplicamini* ; at qui exinde ibidem in lucem
117. prodiere, privata autoritate factos esse ; præterea A. 1653 indultum fuisse civitatibus & privatis nonnullis, ut nummulos (*Half-Pence & Farthings*) symbolo ac literis pro suo cujusque genio ornatos procuderent, anno demum 1672 revocatos, Autor observat. Ceterum Carolum II primum Guineenses integros & dimidios cudi curasse, aliunde quoque constat. Et
122. paucos latere arbitramur, quantam nummorum e tormentis bellicis obsoletis aliisque sequioris metalli utensilibus conflatorum vim Jacobus II, A. 1689 in Hiberniam delatus, pro argen-
128. teis obtruserit Hibernis, quos bis cusos esse, dimidii Coronati valore in valorem integri A. 1690 evecto, Autor ex utroque
131. anno in eodem nummo conspicuo evincit. Denique notamus cum Autore, ad præcipuas Wilhelmi III laudes pertinere,
136. quod difficillimis temporibus, exigui quidem populi onere, monetam (quæ ita tonsuris depravata erat, ut dimidius Coronatus vix Denarii (*Shilling*) valorem retineret) refundi & ad veram substantiam, institutis Londini & in aliis urbibus machinis monetariis, redigi jusserit ; notatque Noster, ab A. 1691 ad 1697 delatas ad monetarios fuisse octo myriades (*Millions*) cum quater centum millibus libr. Sterl. monetæ rasæ ac parum probæ.

HISTO-

HISTORIA REGNI BABYLONICI PER Cyrum everſi ex Geneſ. XI, 1—9, detecta vulgi fabula de confuſione linguarum in turri Babylonica. Demonſtravit HERMANNUS VON DER HARDT, Acad. Jul. Senior & Præpoſitus Mariæbergenſis.

Helmſtadii, typis P. D. Schnorrii, 1726, 8.

Plag. 9½.

NOvum hic orbi exhibet ingenii ſui luſum Autor celeberrimus, & paradoxis ſuis ſacri codicis interpretationibus adjicit inauditam adhuc opinionem, docens hoc libello, *Geneſeos* capitis undecimi initio, quo turris Babylonicæ conditorum confuſio linguarum traditur; nihil deſcribi aliud, quam regni Babylonici a Cyro everſi hiſtoriam. At, inquies, magno intervallo poſt Moſem vixit vicitque Cyrus. Facilis vero eſt Cl. Autori reſponſio. Scilicet non eſt Moſes librorum ſub ejus nomine exſtantium conditor, ſed alius quidam vir bonus. Antea vero, quam id pluribus exponit, libelli hujus initio differit de ſententia ſua, qua ſtatuit, origines linguæ Hebraicæ e Græcia eſſe arceſſendas: quam ſententiam, hodie paradoxam & falſiſſimam viſam, confidit probatum iri tamen eruditæ poſteritati, cui propterea hoc opuſculum pie dedicatum voluit. Tam veram enim certamque eam eſſe ſententiam, ſibi perſuadet, ut p. 11. eruditos jubeat a ſe poſcere, quamcunque velint, Hebraicam vocem e Græco derivandam, ſeque id ſine mora facturum ſpondeat. Reſpondet etiam ad ſcrupulos huic ſententiæ nuper injectos a Philologis quibusdam Bataviæ. Ut producamus aliquot ſagacitatis hujus ſpecimina, *felicitas* eſſe ait ex Græco ἐλβ(ϑ)ς, *felix* ex ὄλβ(ϑ)ς, & hanc *manifeſtam* judicat eſſe *originem*; *facile* & Hebraicum קַל ex ἐυκολον, *lingua* & לָשׁוֹן ex γλῶσσα, *cavillari* ex ἐρεσχελεῖν. Pari modo primam ſacri codicis vocem בְּרֵאשִׁית ait eſſe Græcum ἐπίπροσθεν, *prius*, *primum*. Sic סָפַר *ſcripſit* eſſe ait ex συγγράφω, כָּתַב *ſcripſit* ex κατάγραφω. Imo etiam ſe ſatisfacere jam poſſe credit doctis quibusdam viris, qui nu-

per disputarunt de עָצוּר וְעָזוּב & מְשֻׁחָת בְּקִיר. Prius enim ait
p.23. esse Græcum ἀδιανόητα ἐπὶ λέξεως, *agrum in lecto*; posterius esse Græcum ἀῤῥωστον καὶ σφαλερὸν, *imbecillem & vacillantem.*

Sed mittimus, quæ plura disserit de Græca linguæ Hebraicæ origine, prætermissa quoque Cl. Autoris dissertatione, quam interserit, chronologica. Scilicet *Genes. XI* describi historiam
80. Babylonis a Cyro captæ, *manifestum* esse judicat e mentione *laterum & bituminis*, quibus in exstructione murorum urbis usos esse Nebucadnezarem & Balsazarem, testes sunt historici vete-
81. res. Hinc *elucere* ait, autorem hujus narrationis non esse Mosen, sed eum vixisse ac scripsisse tempore captivitatis Babyloni-
86. cæ, & quidem sub illius finem, idque dicit esse *sole clarius*. Imo nominare nobis audet hujus narrationis scriptorem, nempe Josuam, Cyri tempore Pontificem Judæorum maximum. Quo vero fato hæc narratio inserta fuerit Genesi Mosaicæ, si quæris, respondet, Edram, qui tanquam sacer aliquis Tribonianus ex reliquiis scriptorum Ecclesiæ Judaicæ integrum corpus Biblicum congesserit, id non solum hic, sed & alibi locorum fecisse. Scilicet Geneseos *Cap. 5, 6, 7, 8 & 9* exhiberi putat Chilkiæ Pontificis libellum, describentis sub imagine *diluvii* fata regni Judaici sub imperio Josiæ, cum Scythæ per Palæstinam grassarentur; & *Cap. 10* ejusdem Chilkiæ libellum genealogicum & historicum de gentibus per totum ferme orientem.

Jam videamus, quomodo Cl. Hardtius illum locum interpretetur, ut evadat historia captæ a Cyro Babylonis. En, Lector, interpretationem ejus, quam, si placet, cum ipso textu
91. vel aliqua ejus versione comparabis. Versus primus: *Potentissimum & diuturnum erat Assyriacum illud a Nini regis tempore imperium, idem semper os regum illorum, itidem sermones per tam longa secula, imperium diu immatum & inconcussum, iisdem viribus, armis, & imperandi legibus.* V. 2: *Tandem Assyriaci imperii sedes, urbe Nino delet a, transferebatur Babylonem.* V. 3: *Ac Nebucadnezar eam urbem validissime muniebat, idque opus absolvit rex Balsazar.* V. 4: *Hi duo reges ideo urbem munierunt, & turribus celsissimis instruxerunt, & magnificentissime exornarunt, ne a Cyro occuparetur hac urbs atque imperium*

perium auferretur familiæ Nebucadnezaris. V. 5: *Constituerat autem Deus imperium Babylonicum dissolvere, & Cyro id tradere.* V. 6: *Videns igitur, duos illos reges Babylonicos in id incumbere, ut urbem munimentis redderent inexpugnabilem,* v. 7: *Confundam, inquit secum, & irritum reddam duorum istorum regum consilium, & exteri regis ditioni Babylonem subjiciam.* V. 8: *Atque ita dissipavit Deus Babylonicum imperium, Babyloniis a Cyro subjugatis.* V. 9: *Propter illam regni Babylonici everſionem a Cyro factam jure ea urbs nominatur Babylon, nomen scilicet Ομεν habens.* Hæc eſt Hardtiana interpretatio, quæ utrum inter fructus ſingularis ſapientiæ, poſteris admirationi futuros maximæ, an inter somnia doctorum hominum referenda ſit, aliis judicandum relinquimus.

ΗΦΑΙΣΤΙΩΝΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ΕΝΧΕΙΡΙΔΙΟΝ περὶ μέτρων καὶ ποιήματος.

hoc eſt,

HEPHÆSTIONIS ALEXANDRINI Enchiridion de metris & poemate, cum ſcholiis antiquis, & animadverſionibus JOANNIS CORNELII DE PAUW.

Trajecti ad Rhenum, apud M. L. Charlois, 1726, 4.

Alph. 1 pl. 2.

HUnc librum ſumma raritate notabilem quin cupide excepturi ſint Græcarum literarum cultores, non dubitamus. Diſſerit de eo Celeb. Fabricius *Bibl. Græca lib. V. c. 7 §. 10*, ejusque cum MSSta, tum typis excuſa exemplaria commemorat, prætereaque *§. 12* Indicem exhibet ſcriptorum in hoc Enchiridio laudatorum. Idem, ſcholiorum partem aliquam e Longini inedito περὶ μέτρων libro petitam eſſe, duce Hudſono obſervat *Bibl. Gr. l. IV c. 31 §. 12 n. 27 p. 445 & 448.* Noſter Editor, cui non videre licuit Aldinam editionem, recudi curavit Turnebianam. Non autem duxit operæ pretium, adjicere verſionem Latinam, doctis quippe non neceſſariam, indoctis futuram inutilem. Conſtat hoc *Enchiridion* viginti Capitibus, 1 de ſyllaba brevi, 2 de ſyllaba longa, 3 de ſyllaba communi, 4 de ſynecphoneſi, 5 de pedibus, 6 de metris, 7 de genere Jambico, 8 de genere Trochaico, 9 de Dactylico, 10 de Æolico, 11 de Anapæſtico, 12 de

12 de Choriambico, 13 de Antiſpaſtico, 14 & 15 de Jonico majore & minore, 16 de Pæonico, 17 de mixtura verſuum antipathetica, 18 de verſibus ἀσυναρτήτοις, 19 de genere Elegiaco, 20 de verſibus πολυσχηματίστοις. Accedunt libelli ejusdem Hephæſtionis duo *de poemate*, & unus de *ſignis poetarum criticis, paragrapho* ſcilicet, *coronide*, & *aſteriſco*. Poſt *Scholia* ſequuntur doctiſſimæ Editoris animadverſiones *p. 99—188*, quibus is non ſolum obſcura loca dilucidat, verum etiam in erratis librariorum corrigendis ſtrenue exercet ingenium, ſeque adeo verſatiſſimum eſſe in Græcorum arte poetica, ſatis teſtatum facit. Nec raro docet, Bentlejum & Barneſium, magna illa Critici orbis decora, infelices fuiſſe in Græcorum emendatione Poetarum.

JUSTI LIPSII ORATIONES OCTO, JENÆ POTISSIMUM habitæ. Recenſuit & annotationibus inſtruxit JO. HENR. KROMAYERUS, Mag. ordinique Philoſ. Jen. Acad. adſcriptus.

Jenæ, apud H. C. Crœkerum, 1726, 8.
Pl. 11.

NOn immerito Orationes haſce recudendas curavit Cl. Editor, ſcriptas quippe non Lipſiano ſtylo, ſed Ciceroniano, adeoque, quæ legantur ab eloquentiæ ſtudioſis, digniſſimas. Primum quidem editæ fuerunt A. 1607, ſed tam raro occurrerunt, ut nec ii quidem, qui vitam & catalogum librorum Lipſii dedita opera exhibuerunt, *Miræus*, *Adamus*, *Zummerus*, earum mentionem faciant. Cum vero minus emendate quondam ſint emiſſæ, ſecutus Cl. Editor exemplar a Cl. Heumanno pluribus locis correctum, etiam annotationes ſubjecit doctiſſimas, ſtyli potiſſimum puritati ac nitori inſervientes. Oratio *prima* eſt de obitu Joannis Guilielmi, Ducis Saxoniæ; *altera* A. 1572 præmiſſa publicæ interpretationi Taciti, *tertia* de ratione interpretandi Ciceronis, *quarta* de concordia, *quinta* pro defendendo Cicerone in criminibus ei objectis, *ſexta*, utrum a ſolo Cicerone petenda ſit eloquentia; *ſeptima*, an revera ſint Salluſtii & Ciceronis duæ illæ orationes adverſariæ; (quam Orationem nec a Cl. Fabricio quidem in Bibl. Lat. commemorari, docet in Præf. Cl. Editor:) *octava*, utrum Jurisprudentia, an Medicina plus boni hominibus attulerit.

Subnexæ ſunt quinque Lipſii Epiſtolæ, e quibus non ſolum diſcimus, qua occaſione Academiæ Jenenſis Profeſſor factus ſit Lipſius; quam multos inter Collegas ſuos habuerit invidos; quam honeſte, non, quod vulgo traditur, clam omnibus Jena exceſſerit; ſed etiam aliquot Statii poetæ locorum emendationes cognoſcimus. Nec ingratum fuerit, in ultima pagina indicem conſpicere librorum adhuc a Cl. Editore publicatorum.

)o( )o( )o(

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCC XXVII.

REMARKS ON SEVERAL PARTS OF EUROPE, relating chiefly to the Hiſtory, Antiquities and Geography of thoſe Countries, through which the Author has traveld.

h. e.

JOANNIS BREVAL, EQU. ET NUPER SOCII Collegii Trinit. Cantabr. Obſervationes de variis Europæ partibus, Hiſtoriam maxime, Antiquitates & Geographiam regionum, per quas iter fecit, ſpectantes.

Volumina II.

Londini, apud Bernardum Lintot, 1726, fol. Alph. 6 pl. 15 Tabb. æn. maj. 45.

QUo diutiús exſpectari nequicquam hoc opus a curioſis paſſus eſt Autor in primis doctus, eo magis edito nunc fœtu elegantiſſimo ſe probavit eruditis omnibus, tarditatem gravitate abunde compenſans. Etſi vero re vera inter hodoeporicos referendus ſit hic liber, cui iter, quod Autor cum illuſtri Viro Georgio Vice-Comite Malpaſiæ, cui illum conſecravit, in Belgium, Galliam, Lotharingiam, Alſatiam, Germaniam, Sabaudiam, Tyrolium, Helvetiam, Italiam & Hiſpaniam inſtituit, materiam fertiliſſimam præbuit, noluit tamen Diarii ordinem ſequi, verum ſingulas provincias & præcipuas earum urbes ſigillatim conſiderat, antiquam pariter & recentiorem hiſtoriam & quæ paſſim memoratu digna, accurato judicio luſtrat, inſcriptio-

Digitized by Google

nes magno eruditionis apparatu explicat, ſtylo omnia luculento & jucundo connectit & notis ex optimis ſcriptoribus, vetuſtis imprimis, apte petitis illuſtrat: quibus cum & chartæ, typorum & figurarum præſtantia accedat, nihil ultra ad libri decus deſiderandum videtur. Jam ut aliqua hinc deguſtemus, nihil fere de Belgio Fœderato, de quo primo loco agit, vel ideo dicendum putamus, quod Autor hic ſecutus videtur librum alium, a ſe ſcriptum editumque (*Hiſtorical Account of Holland*)
Vol. I. ad quem ſæpe provocat, ſubinde Templium corrigens; illud
p. 14. tantum cum Autore obſervamus, in ea regione naturæ multum utique ab arte acceſſiſſe, adeo ut totum Belgium hortus dici queat; eoque hoc vitii contraxiſſe optimos quosque Pictores Belgas, Paulum Brill, Brughel, alios, ut naturam non æque libere ſequantur in picturis ſuis, ac Dominichine, Salvator Roſa, Pouiſſini aliique, rudi & inconditæ Romanæ regioni, aut vallibus Apenninis ac Alpinis adſueti. Inde in Lotharingiam delatus
151. Noſter Metis in templi Cathedralis choro picturam Henrici II R. G. cum ſubſcriptione: HENRICUS SECUNDUS FRANCORUM REX GERMANICI ET SACRI IMPERII PROTECTOR, & in Abbatiæ S. Arnulphi Bibliotheca celebrem illum Codicem Annalium Metenſium, mille
155. fere, ut fertur, annorum, obſervavit, ac Romani aquæductus, milliari uno a Metis diſtantis, multo accuratiorem, quam Montfauconius, iconem dedit. Affert quoque aræ veteris ſub anno-
162. ſa quercu A. 1721 prope villam *Nouroi* in Lotharingia erutæ inſcriptionem, in qua ſingulare Herculis epitheton *Saxani* miratur. Eſt vero hæc:

I. O. M. ET HER-
CVLI SAXA
SACRVM
P. TALPIDIVS
CLEMENS
LEG. VIII AVG.
CVM MIL. LEG. EIVS
V. S. L. L. M.

Ita

Ita Alſatiæ quoque & Burgundiæ antiquitates diligenter excutit Autor, Lugdunenſium imprimis, ubi Taurobolium, anno demum 1704 erutum, erudite explicat. Hinc per Delphinatum & Allobroges delatus Genevam, Sponium refutat, qui ex veteri inſcriptione, quæ nunc in curia hujus urbis viſitur, Genevenſibus perſuaſerat, jus ipſis in Lacum Genevenſem ab ipſis Romanis conceſſum fuiſſe, probans quippe, vocem *Lacus*, a qua præcipuum in lapide argumentum petitur, ſæpe apud Latinos non niſi ciſternam capaciorem, in quam aqua ex aquæductibus effunditur, denotare; ut taceamus, quæ de voce VIANIS, in eadem Inſcriptione, quæ crucem fixerat tot Antiquariis, literis VI in numerum VI mutatis, repoſitaque adeo voce SEXTANIS, deque diſco argenteo 34½. unciarum in flumine Arve prope Genevam A. 1721 reperto, de quo Montfauconius quoque in Supplem. Antiqu. egit, ingenioſe diſſerit. Multas quoque Genevæ æque ac in Belgio ante reformationem ſtatuas exſtitiſſe, a tumultuante & innocuas Romanorum reliquias ab Idolis Pontificiorum diſtinguere neſcia plebe deſtructas, e tot pedum, quibus ſtatuæ ſuffulciebantur, reliquiis ibi adhuc exſtantibus colligit, docetque, Caroli M. ſtatuam ab ipſo ante cathedrale templum poſitam in tumultu A. 1535 hanc ſortem expertam, ita tamen ut parceretur aquilæ ſubjectæ, forte quod partem faceret inſignium urbis. Neviduni (*Nion*) quæ illi *Colonia Equeſtris*, Jovem marmoreum pro S. Auguſtino habitum, & titulum in veteri lapide *Præfecti arcendis latronibus*, alibi vix obvium, annotavit. Inter Aventici inſcriptiones eminet hæc:

238 - 241. Vol. II. p. 13. 16. 18. 32, 33. 34. 39.

IVLIA APINVLA HIC IACEO
INFELICIS PATRIS INFELIX PRO
LES
DEAE AVENT. SACERDOS
EXORARE PATRIS NECEM NON
POTVI
MALE MORI IN FATIS ILLI ERAT
VIXI ANNOS XXIII.

Obſervat vero Noſter, hanc *Juliam Apinulam* fuiſſe filiam *Julii Apini, in quem, ut concitorem belli Cæſinam animadverſiſſe*, te-

ſtatur Tacitus Hiſt. Lib. I. Duces Zeringenſes, qui Burgundiam
p.65. transjuranam inde ab Henrici Nigri Imp. tempore rexerunt, hoc inter alia titulo uſos memorat: *Dux & Rector Burgundiæ Dei & Imperatorum Gratia.* Ceterum Autor inde per Sueviam, Bava-
97–129. riamque & Tirolium in Italiam pergens, Veronæ imprimis immoratur, miraturque doctiſſimi Comitis Scipionis Maffei induſtriam, qui tot Inſcriptiones vetuſtas in murorum Muſæi ambitu curioſis oculis libere expoſuit, (qua de re diximus in Actis A. 1723 p. 231 ſq.) unde Noſter quoque non paucas Græcas pariter & Romanas hic repræſentavit, e quibus ultimam ceu breviorem deſcribimus:

129.

GENIO
IVCVNDITATIS
MVSIS
FLORÆQ.
S.

132. Brixiam, hodieque ingeniorum mechanicorum præ ceteris omnibus Italiæ urbibus feracem, jam olim quoque manuariis artibus deditam fuiſſe, inde Autor probat, quod plurimi illic exſtent lapides, in quibus *Collegia Centonariorum, Fabrorum &c.*
133. memorantur. Inter MSpta in Ambroſiana Mediolani obvia, quæ ſecus ac Addiſonius longe præſtare picturis, quamvis præſtantiſſimis, in eadem aſſervatis, cenſet, commendat *Joſephum* in
134. phylira, Codici, qui Venetiis in Bibl. S. Marci aſſervatur, comparem, annorum, ut putatur, 1200; *Homeri* Iliada in membrana, 600 annorum, quo in Codice textus, nulla verſuum diſtinctione ſervata, exaratus deprehenditur; *Virgilium*, cum notis MS. Petrarchæ; *Sophoclem* in bombyce, literis aureis; ut & celebris
135. Pictoris *Leonardi Vinci* Lucubrationum Volumina XII MSS. quæ omnia poſſeſſor Galeas Anconatus, repudiatis, quæ pro unico Volumine obtulerat Rex Angliæ Jacobus I, aureis ter mille Hiſpanicis, Bibliothecæ liberaliter intulit. Quanti hunc Vincium
138. fecerit Franciſcus I, ex eo patet, quod moribundum inviſerit & ſub oculis ſuis viderit exſpirantem. Detectum & Mediolani ante
142. paucos annos ſepulcrum Bernardi Regis Italiæ, cujus hæc Inſcriptio: *Bernardus civilitate mirabilis, ceterisque piis virtutibus*

Digitized by Google

bus inclytus, Rex hic requieſcit: regnavit Ann. IV Menſ. V: obiit XV Kal. Maji Indict. X Filius piæ memoriæ Pipini. Luſtrato inde Ticino & expoſita integra fere Longobardorum & Mediolanenſium hiſtoria, ad alias urbes, Parmam inprimis, divertit, ubi nummophylacii inſtructiſſimi mentionem faciens, ſedecim operis Pedruſio-Proveniani, de quo ſuperiori anno diximus, Volumina proditura nuntiat, ſimulque notat, Peſcennii Nigri nummum, quo maxime glorientur Parmenſes, utique eſſe ſuppoſititium. Dum de Bononia agit, Carolum V, ibidem coronatum, obſervat tantum non in ſummum vitæ diſcrimen incidiſſe: vix enim per baſternas ligneas, quæ ab ejus palatio ad templum S. Petronii, ubi coronandus erat, ducebant, incedens, templum attigerat, cum illæ multitudine hominum gravatæ multorum exitio corruerent; qua re doloſum animum prodidiſſe Pontifici, verſimile Noſtro videtur. De Lauretana æde notat, eam eodem fere loco poſitam, quo Tuſci olim Junoni templum magnificum exſtruxerant, & adducto Silii Italici verſu Lib. VIII:

p. 206. 218. 228.

— — *Littoreæ fumant altaria Capræ,*

Lauretum eſſe veterum Picenorum *Capram Montanam*, docet. Tolentinates civi ſuo Franciſco Philelpho, inter inſtauratores literarum haud ignobili, ſtatuam in ipſa Curia poſuiſſe, teſtatur, nec omittit ſtatuæ, C. Cornelio Tacito A. 1514 ab Interamnatibus poſitæ, inſcriptionem. Dum obeliſci eximii, ab Auguſto ex Ægypto adducti, meminit, qui nunc quoque aliquot Romæ ædibus fundamenta miniſtrat; meminit obiter ſimilis fere obeliſci, qui adhuc Londini in platea Arundelliana terra ſepultus latet, & olim inter Comitis Aruudellii monumenta fuit, quæ A. 1641 tempore rebellionis famoſiſſimæ incredibile damnum paſſa ſunt. Notatque præterea, æra, quæ in area Panthei, immenſo Agrippæ ſumtu exſtructi, olim abundabant, non modo altari majori in æde D. Petri, quod alii quoque annotarunt, verum & tormentis bellicis in caſtro S. Angeli materiam præbuiſſe. Præcipue vero dolet, tot ſplendida antiquitatis monumenta, quibus flammæ ſub Nerone, Veſpaſiano & Commodo, quin & Gothi ipſi & Vandali pepercerant, per Nepotiſmum fuiſſe peſſundata, ut Coliſæum ſeu Coloſſeum illud, cujus lapides Paulus

233. 248. 250. 251. 267.

III Nepoti ſuo ad exſtruendum grandius Palatium Farneſium indulſit, ſimul obſervans, id imprimis ipſius Michaelis Angeli, magni ejus ævi artificis, ſed veterum gloriæ invidentis, ſuaſu factum eſſe. Nec tacendum, ſepulcrum Naſonum, veteris ævi
p. 269. picturis illuſtre, juſſu Clementis XI, quod latronibus eſſet præſidio, nec minus Pyramidem Ceſtii, eandem ob cauſam, deſtru-
284. ctam eſſe. De Bibliotheca Vaticana refert, eam jam multis ſeculis a Pontificibus colligi cœptam & in Lateranenſi Pontificum Palatio cuſtoditam, a Clemente V Avenionem, quo ſe ipſum receperat, translatam & poſt 120 demum annos, ſchiſmate deleto, a Martino V Romam iterum in Vaticanum palatium reductam, ut aliunde ita ex Ducis Urbinatis Bibliotheca inſignia incrementa
298. cepiſſe. Narrat etiam, ante triennium demum in ea parte collis Palatinæ, quæ ad Ducem Parmenſem ſpectat, partem thermarum Auguſti detectam fuiſſe ac poſtea ære corinthiaco, porphyrio aliisque pretioſis lapidibus nudatam ac deſtructam fuiſſe. Sed plura non tangimus, cum & Autor de his egerit haud dubie in deſcriptione Italiæ, quam ſubinde citat in opere, & acturus ſit in deſcriptione, quam parat, Romæ. Acceſſit appendicis loco de Luſitania & parte Andaluſiæ tractatio e tribus itinerum, quæ illic fecit, diariis deprompta, quæ maximam partem Antiquitates & Inſcriptiones illic obvias complectitur, hoc magis digna lectu, quo ſollicitius Hiſpani æque ac Luſitani exteros
331. ab his reliquiis arcere conſueverunt. Nec minor hic ubique fulget
334. Cl. Autoris eruditio, legique imprimis merentur, quæ de Hercule Gaditano habet, ubi ſimul fatetur, multas Gadibus ſtatuas veteres ab Anglis, qui Duce Eſſexio A. 1596 urbem hanc exſpoliarunt, deſtructas eſſe, quod theſauros opimos ſe ſub illis inven-
335. turos ſperarent. Unicam addimus inſcriptionem ibidem celebratam:

D. M. S.
SI LVBET LEGITO
HELIODORVS INSANVS CARTHAGINIENSIS AD EXTREMVM ORBIS SARCOFAGO TESTAMENTO ME HOC IVSSI CONDIER VT VIDEREM SI ME QVISQVAM INSANIOR AD ME VISENDVM VSQVE AD HAEC LOCA PENETRARET.

ITINE-

ITINERARIUM CURIOSUM: OR AN ACCOUNT of the Antiquities and remarkable Curiositys in Nature and Art, obſervd in Travels thro' Great Brittan.

h. e.

RELATIO DE ANTIQUITATIBUS ET VAriis Curioſis ad Naturam & Artem ſpectantibus, in Itinere Britannico collectis a WILHELMO STUKELEY, M. D. CML. & SRS. Centuria I.

Londini, impenſis Autoris, 1724, fol. Alph. 2 pl. 9 Tabb. æn. maj. :00.

B*Revalio* non incommode jungimus *Stukelejum*, patriarum imprimis antiquitatum ita gnarum, ut in elogiis poeticis, operi huic præmiſſis, alter Baxterus audiat. Equidem illos non per omnia ſibi ſimiles dixeris: ille enim variæ doctrinæ apparatum prodens, ad idoneos ubique ſcriptores provocat, hic de iis, quæ ipſi viſa & delineata ſunt, propria plerumque cogitata promit, non admodum ſollicitus, quid aliis viſum fuerit; ille figurarum numero, hic typorum, immo & ſermonis Anglicani elegantia cedit. Et primam quidem hanc figurarum Centuriam (quam plures aliæ, ſi eruditorum ope non plane deſtituatur Autor, ſequentur) *VII Itineribus*, quibus Romanorum imprimis in Anglia reliquias ſcrutatus eſt, Noſter illuſtravit. In *primo*, quod vocat *domeſticum*, patriam ſuam, Hollandiam, in Lincolnienſi provincia ſitam, perluſtrat, ſimulque initio prodit, ſe apud Societatem Antiquitatum Britannicarum, quæ ſub Præſidibus, Comitibus Hartfordiæ & Winchilſeæ, ac Vice-Præſidibus, Petro le Neve & Rogerio Gale, Londini floret, ab aliquo tempore Secretarii munere functum; cui adeo hoc opus conſecratum cupiat. Dum generatim obſervat, plagam Angliæ Auſtralem declivem ac fontibus affluentem, Septentrionalem vero altiorem ac rupibus conſitam, id certiſſimum indicium eſſe putat motus globi terraquei, eaque de re philoſophicam tractationem pollicetur. Quod vero ſpeciatim Hollandiam attinet, eam totam ante diluvium fuiſſe ſylveſtrem, ex eo probat, quod ubique fere,

P. 3.

4.

14.

ſere, tribus vel quatuor ſub terra pedibus, infinita arborum, quercuum imprimis, inſignis roboris ac firmitatis, copia deprehendatur. In *Itinere II*, quod vocat *Oxonienſe*, dum Eſſonii,
p. 35. qui locus ad Comitem Pomfreti ſpectat, meminit, longum catalogum exhibet ſtatuarum aliarumque reliquiarum antiquitatis, quæ in horto hujus Comitis adhuc libero aeri expoſitæ ſpectantur, olim ad Arundellianam Collectionem ſpectantes. Miratur hic imprimis Ciceronem integrum cum ſudorio in dextra
73. & ſchedula in ſiniſtra, Archimedem cum Sphæra, Scipionem Africanum & Aſiaticum, Fabium Max. cunctatorem, Germanicum & uxorem Agrippinam, Hermapollinem, Jovem, Palladem Coloſſiformem. Quibus accedunt in ipſis Comitis ædibus paſſim diſpoſiti, Hercules, Cajus Marius, M. Antonius, Pindarus, Olympias, ſeu potius, ut Noſtro viſum, Lucretia, Paris inſignis antiquitatis, caput Apollinis ad Coloſſi formam, cujus truncum ajunt adhuc Londini ſub ædibus Arundellianis ſepultum. Quod ad ipſum Oxonium, ejus quidem Collegia nimis fugitivo oculo *luſtrare* videtur Autor, in deſcribendo quidem Marlborughii pala-
44. tio, quod Woodſtockii eſt, paulo prolixior. Succedit *III Iter*
49. *Cimbricum*, ubi Granthemum primo memorans, Celeb. Iſ. Newtonum in publica illic ſchola ſub Wilh. Walkero prima literarum rudimenta poſuiſſe, teſtatur. Buxtonæ thermas imprimis
53. commendat, a Medico quodam hac inſcriptione ornatas:

Corpore debilior Grani ſe proluit undis;
Quærit aquas Aponi, quem febris atra necat;
Ut penitus renem purget cur Pſaulia tanti?
Vel quæ Lucinæ gaudia, Calderiæ?
Sola mihi Buxtona placet, Buxtona Britannis
Undæ Grani, Aponus, Pſaulia, Calderiæ.

54. Franciſcum Leyceſtrium memorat in prædio ſuo *Nether Tabley*, quod in via Romana Mancunium inter & Devam interjacet, Bibliothecam inſtructiſſimam librorum, qui ad hiſtoriam Angliæ
55. ſpectant, cuſtodire. Pariter & Mancunii Bibliothecam commendat, cui augendæ deſtinata ſunt 116 annua librarum. Quer-
57. cum illam celebratam, in qua Carolus II Rex exul cum familiari ſuo Carloſio felici ſucceſſu ſe abſconderat, hodie cin-

ctam

ctam refert muro, ejusque portæ adscriptam in marmore inscriptionem: *Felicissimam arborem, quam in asylum potentissimi Regis Caroli II Deus O. M. per quem Reges regnant, hic crescere voluit, tam in perpetuam rei tantæ memoriam, quam specimen firmæ in Reges fidei, muro cinctam posteris commendant Basilius & Jana Fitzherbert. Quercus amica Jovi.* In *Itinere Sabrinio*, seu *IV*, Vigorniæ, quæ veteribus *Branovium* dicta, observat, sepulchro Arthuri, filii Henrici VII, capellam superstructam fuisse, quæ nunc Bibliothecæ satis instructæ, Manuscriptis imprimis, custodiendæ inservit; ibidemque narrat se vidisse hominem cetera admodum stupidum & insulsum, qui Biblia ita habuerit in numerato, ut quodcunque ex iis dictum proferenti illico librum, caput & versum, quo illud exstet, indicaret. *Iter V* merito vocat *Romanum*, quippe in eo Antonini iter quintum, per 500 milliaria Anglica excurrens, secutus, non vias modo veteres Romanas, militarem imprimis, hodie *Hermenstreet* (quæ vox a Germanico *Heer*, exercitus, derivatur) a *Cato Deciano* Procuratore factam, deprehendit, sed & in oppidis fere omnibus Romanorum vestigia detexit. Thorpiæ, quæ sedes est Francisci St. John, prope Petriburgum, partem reperit marmorum Arundellianorum, Liviam conjugem Augusti, forma Colossi, Dianam, Amphiona, Herculem Hydram necantem, miræ artis opus, busta Bassiani, Caracallæ &c. Colsterworthum, Lincolnienſis provinciæ oppidum, obiter notat de nativitate summi Viri Is. Newtoni merito gloriari. Singularis vero est Nostri observatio, quam de operibus affert in circulum fere, elevata terra, in aperto campo ductis & in multis illius provinciæ locis hodienum conspicuis, quæ vulgo *Julian's Bowes*, hoc est, ut ipse interpretatur, *Iuli Castra*, seu *munimenta* quæcunque, quæ ejecta terra tolluntur quibusdam etiam *Trojam* vocari, constet. Nimirum hæc loca judicris certaminibus pedestribus & equestribus tum veterum Britonum, tum Romanorum temporibus fuisse destinata, certissime sibi persuadet, miraturque, utramque gentem eorum originem ex eodem fonte hausisse. Neque enim dubitat, Britones, quorum plerique e Thracia & Phrygia oriundi, ea secum attulisse in Britanniam, & Iulum, filium Æneæ, quem

p. 65.

76.

79.

80.

91. sq.

utique cum Juliano confundi existimat, ac Troiam pubem, eadem primum Italiæ intulisse, e Virgilio Æn. V docet, quocum & confert Claudianum de VI consul. Honorii v. 622. Sequioribus temporibus his certaminibus successisse torneamenta, quæ sub Elisabetha demum, singulari religionis zelo, cessaverint. Ceterum dum passim hic erutos nummos veteres commemorat, meminit etiam Britannici antiqui, ex electro facti & A. p. 114. 1720 effossi, cujus concava equum Britannicum satis rudem exhibet, convexa vacua apparet. Pharum quoque in castro Dubriensi, quæ olim Romanis navigantibus facem præbuit, accurate depingit Tab. 46 & 47, totamque ejus structuram, ad Obelisci 122. Ægyptiaci modum compositam, expendit. *Iter VI, Dumnonienſe* dictum, Autor non immerito (ut reliqua aliis) Illustriss. Comiti Pembrociæ inscripsit, quem, ad exemplum magni Arundellii, 128. Italiam in sedem suam Wiltonium transtulisse testatur, quem locum Carvilium olim a Carvilio, Cæsari memorato, cujus tumulum, *Kingbarrow* hodie dictum, haud procul inde distare observat, appellatum fuisse autumat, de ipso quidem Wiltonio 132. dicturus potissimum in Itinere sequenti. Cum vero infinitam fere copiam monumentorum Celticorum in Vitugiana seu Wiltunensi provincia invenerit, de iis singulari opere, eidem Illustriss. 139. Comiti consecrando, se acturum pollicetur. Aquis Solis (*Bath*) observat, in vere, ubi fons præcipuus renovatur, propullulare simul cum aquis nuces minores (*Hazelnut*) singulari indicio providentiæ divinæ, qua factum, ut in magno diluvio ubique spargerentur aut relinquerentur semina regni vegetabilis. In 140. inscriptione Julii Vitalis, a Musgravio edita & a nobis A. 1713 p. 397 recensita, discedit ab Autore, notans, inter voces *Stipendiorum* & *Annor.* non legendum esse *IX* sed *VIX*, h. e. *vixit.* 155—168. Dum ad amphitheatrum vetus pertingit, quod trecentis a Dur-Tab. I Fig. 1. novaria (*Dorchester*) pedibus distat, operose satis & ad artis Architectonicæ regulas omnes ejus partes, *arenam, cuneos, podium, itinera* seu *vias, ascensus, pulpita* seu *tribunalia, cathedras, gradus, præcinctiones, aditus* seu *vomitoria, cuneos* & *porticus* describit, quæ apud ipsum Autorem legisse (neque enim in compendium mitti commode possunt) neminem pœnitebit.

In

Digitized by Google

TAB. I ad A. 1727 M. Mart pag

Fig. 9.

Fig. 11.

Fig. 1.



Fig. 6.



Digitized by Google

In *Itinere VII*, eodemque *Antonini Aug. VII*, inter alia litteras inſeruit Ambsburio d. 10 Maji 1724 ad Edmundum Halejum a ſe datas, quibus ſingularem prodens Aſtronomiæ cognitionem, de magna illius anni Solis Eclipſi diligenter obſervata communicat. Wiltonium inde reverſus, longum Catalogum texit Pembrocianarum antiquitatum, in quibus Buſta 131 & Statuæ 35 numerantur. Et inter buſta quidem, ut ſolos Eruditos memoremus, eminent Homerus, qui CPli advectus inſignis eſt antiquitatis, Heſiodus, Sappho, Pythagoras, Anachacſis artis mirabilis, Socrates ſub Satyri forma, Plato adſpectu venerabilis, Ariſtoteles, Ariſtophanes, Apollonius Tyanæus, Marcus Modius, Medicus, Græcorum opus exquiſitum, Epicurus, Poſidonius, Sophocles, Aſpaſia, Cato Major, Cicero, Seneca, Perſius, T. Livius. Dum Portus Oſtii (*Portsmouth*) meminit, navium Angliæ bellicarum majorum a claſſe prima ad ſextam numerum A. 1724 ad 179 aſcendiſſe obſervat, quibus regendis ac tuendis, deſtinata fuere 55720 hominum; minores vero, igniariæ &c. numeratæ ſunt 53, adeo ut ſumma omnium navium fuerit tum 232; quam veriſimile eſt ab eo tempore auctam potius quam imminutam fuiſſe. Inſerta hic etiam legitur Diſſertatio admodum erudita Rogerii Gale, (qui Noſtri ſubinde in his itineribus comes fuit) qua Romana inſcriptio, A. 1724 domum effoſſa, explicatur & reſtituitur, adjunctis a noſtro quoque Autore obſervationibus curioſis de Claudia Ruſina, quam imprimis e Martial. L. IV Epigr. 13 & L. XI Epigr. 54 illuſtrat. Ceterum Autor miram ubique antiquitatum Britannicarum notitiam prodit, ſubinde & Genealogias familiarum illuſtrium, ut p. 9 Bruniorum ſeu Bourniorum, p. 21 Moultoniorum, & p. 23 ſq. Craoniorum admiſcet, & imprimis diligenter obſervat, quibus in locis effoſſa fuerint vetera Romanorum numiſmata, quorum aliqua etiam producit & illuſtrat. Nimis tamen ſubinde brevis nonnullis videbitur; quod ii deſiderabunt imprimis, qui, quæ de ipſa urbe Regni principe, Londino, protulit, exſpectationi ſuæ non usquequaque reſpondere deprehenderint. Poſtremo notamus, librum hunc, etſi titulus præferat A. 1724, nuper admodum prodiiſſe, quod vel ex eo patet, quod ultimum mi-

p. 172-174. 177-180. 187. 188-192. 193.

nimum Iter plurimis figuris exornatum eodem demum anno fuit ab Autore inſtitutum, unde vix credibile, & deſcriptionem imprimi, & tot tabulas æneas parari eodem tempore potuiſſe.

ITINERARIUM SEPTENTRIONALE: OR A Journey thro' moſt of the Counties of Scotland and thoſe in the North of England.

hoc eſt,

ALEXANDRI GORDONI, A. M. ITINERA per plerosque Scotiæ & Angliæ Occidentalis Provincias ſuſcepta.

Londini, ſumptu Autoris, proſtat apud G. Strahan, W. & J. Innys & rel. 1726, fol.

Alph. 2 pl. 8 Tabb. æn. maj. 68.

MAgna cum laude *Stukelejum*, Amicum ſuum, æmulatur Cl. *Gordonus*, qui idem in Scotia, quod ille in Anglia præſtitit, hoc magis tamen commendandus, quo pauciores habuit inter cives ſuos, quos in Antiquitatum reconditarum ſtudio ſecure ſequeretur. Et cum ille Geographice procedat, quædam etiam more peregrinantium nimis perfunctorie luſtrans, Noſter id ſibi fere propoſitum habuit, ut rerum a Romanis ac poſtea a Danis in Scotia geſtarum ſeriem ſecutus, accurato ordine cuncta ex monumentis fide dignis paſſim detectis juſto eruditionis apparatu illuſtraret. Itaque duabus fere ſectionibus opus partitus, C. 1 de migratione Romanorum in partes meridionales Britanniæ usque ad Julii Agricolæ invaſionem Caledoniæ ſeu Scotiæ, C. 2 de ejusdem in ea geſtis usque ad Iſthmum ejus opera perfectum & C. 4 usque ad ejus diſceſſum commentatur, quibus C. 3 ſingularem Diſſertationem de Sacello Romano, Scotis corrupte *Arthur's Oon* dicto, interſerit, quod inter alia Agricolæ vindicat ex inſcriptis literis I. A. M. P. M. P. T. hoc eſt, ut Noſter interpretatur; *Julius Agricola Magnæ Pietatis Monumentum Poſuit Templum*; hac occaſione ſimul

mul literas in Pharo Hollandiæ Anglicanæ, ſuperius memorato, conſpicuas C. C. P. F. ita explicans : *Cajus Caligula Pharum Fecit.* Hinc C. 5 progreſſus, res Romanas usque ad vallum Scoticum ſub Antonino Pio exſtructum deducit, hocque uberius C. 6 illuſtrato, C. 7 ad vallum ſub Septimio Severo & C. 8 ſub Hadriano & Severo procedit: ſigillatim vero de his vallis C. 9, & C. 10 de Antiquitatum Roman. reliquiis prope vallum Hadriani & Severi conſpicuis ediſſerit. C. 11 de pace inter Severum & Caledonios facta, horumque limitibus, & C. 12 de rebus Romanorum a morte Severi usque ad illorum exceſſum ſub Honorio, ſeu potius Theodoſio Juniore, agit, tum C. 13 Romanorum ſtationes in Scotia, arma, inſcriptiones, nummos in Muſæis paſſim, imprimis in Bibliotheca Advocatorum Edimburgi, obvios, conſiderat, tandemque C. 14 e præcedentibus evincit, Scotos nunquam prorſus a Romanis victos ac bello ſubactos fuiſſe. Altera Parte Noſter de irruptionibus Danorum in Scotiam & monumentis a Scotis in memoriam victoriarum contra Scotos partarum erectis, aliisque nonnullis, continuo ſermone diſquirit. Lubet vero quædam carptim delibare notatu digniora. Brigantes & Silures nequicquam in Scotia poni probat, eoque adverſus Robertum Sibbaldum contendit, Romanos ante Agricolam in Angliam minime perveniſſe. Lectionem Flori, ubi de Hadriano, *Scythicas pati pruinas*, prorſus rejicit, cum in Scythiam nunquam pervenerit Hadrianus, & legi jubet *Scoticas*, apte provocans ad illud Claudiani C. 16: p. 43. 48.

Ille Caledoniis poſuit qui caſtra pruinis.

Inter lapides vetuſtos, quos Autor vaſto numero, omiſſis tamen, quos Camdenus jam dederat, producit, exſtat quidam mediocris magnitudinis, qui Priapum ſeu penem repræſentat, cum ſubſcriptione: EX VOTO. In alio *Martem* obſervat *Deum ſanctum* dici, idemque epitheton tribui *Belutucadro*, quem Martem Scotorum putant. Vallum ſeu murum Severi non in Scotia, ſed in Anglia quærendum, adverſus plurimos non infimæ caveæ autores prolixe tuetur. Digna contemplatione eſt ſtatua juſta hominis forma ſatis eleganter in lapide 5½ pedum repræſentata, quæ hominem ſiſtit fere nudum, faſcia tantum, e læva ad dextrum latus decurrente, inguina velatum, 56. 81. 86–93. 97. TAB. I. Fig. 2.

latum, corona murali caput cinctum, læva cornu copiæ tenentem, dextraque pateram ſuper ara tendentem, & caligulis more Romanorum indutum, quam, Netherbyæ haud procul a vallo Northumbriæ inventam, Hadriani eſſe, tum ex loci vicinitate, tum maxime e nummo Hadriani judicat, in cujus averſa eadem fere figura cernitur, hoc uno diverſa, quod in hoc caput galea
100. tectum eſt. Nec omittimus balneum Romanum in lapide mi-
TAB. I. Fig. 3. nori effictum, quod fœminam nudam in prima porticu, tum columnas ordinis dorici & porticus remotiores in prima & ſe-
101. cunda contabulatione monſtrat. Severum pacem cum Caledoniis inivisse, præter Xiphilinum & Spartianum, teſtis Noſtro eſt nummus prope Edimburgum effoſſus, cujus in converſa caput Severi, addito nomine: SEVERVS PIVS AUG. in averſa figura ſtolata apparet, lauream tenens, cum epigraphe: FVNDATOR PACIS. Exhibet quoque antiquitatum Rom.
Fig. 4, 5, 6, 7. reliquias alias, e quibus ſiſtimus fibulas duas in Fig. 4 & 5, ſtilum
117. Rom. in Fig. 6, una cum Theca graphiaria, in qua avis, ſeu, Noſtro judice, aquila conſpicitur, in Fig. 7, repertum in tumulo
118. Romano, quæ omnia ex ære mixto ſunt compoſita; tum & in Fig. 8 ex eodem ære aquilam duplicem, unius libræ, inferius concavam, ita ut ſtilo aptari poſſit, ſed alis temporis injuria orbatam, quæ cum Collegio Antiquitatum Londinenſi fuit oblata, plerique judicarunt, ſymbolum hoc duplicis Imperii Or. & Occid. ultimis fere Imperii temporibus, ſub Honorio circiter, ceu inſigne Magiſtratus, *Comiti Prætori* fuiſſe prælatum; quamvis alii cenſuerint, Germanas copias auxiliares ſub Eduardo II
119—134. aquilam hanc ſecum in Angliam attuliſſe. Quibus ſubjicit Noſter catalogum ſatis luculentum nummorum conſularium, qui maximam partem in Scotia effoſſi, in bibliotheca Advoc. Edimburgenſi adhuc aſſervantur. In altera Parte admodum ingenioſus eſt Autor in obeliſcis nonnullis, qui adhuc in Scotia exſtant, explicandis, quos ad Danorum tempora refert, eosque, qui arma virosque repræſentant, in memoriam cladium Danicarum erectos, ceteros, qui ſymbolis carent, ſepulcrales, & paucos illos, in quibus runæ comparent, a Danis haud dubie factos eſſe, cen-
169. ſet. Denique Noſter appendicis loco ſubjecit Duumvirorum erudito-

Digitized by Google

ditorum epistolas de modo sepeliendi apud Britannos veteres, maxime Scotos; quas prolixe recensere nostrum non est. Id tantum notamus, cum eadem tumulorum omnium, sive ex terra aggesta, sive ex lapidibus conglomeratis compositorum, forma sit, & ritus cremandi corpora defunctorum a Græcis ad Britones non minus Calidoniosque & Danos, quam Romanos migraverit, cum religione demum pagana sublatus, Romanos tumulos eo tantum a ceteris posse distingui, si in illis nummi Romani aut arma, ferrea tamen, non ærea, quæ milites, (ut amici nummos) muneris loco injicere tumulis consueverint, condita simul deprehendantur. Nec invidemus eruditis capita 186.
viri ac fœminæ, lapidi, in Castri Edimburgensis muro conspi- Tab. I Fig. 9.
cuo, affabre admodum incisa, in quibus docti Septimium Severum ejusque uxorem Liviam agnoscere sibi visi sunt. Ceterum ut in figuris ad vivum dilineandis ipse Autor operam po- 188.
suit singularem, ita spem nunc facit integri conspectus utriusque Valli Britanniæ, tum Hadriani & Severi in Cumbria & Northumbria, tum Antonini Pii in Scotia, largissimis tabulis æneis ita repræsentandi, ut simul stationes Romanorum veteres, inscriptiones item vel in ipsis vallis vel in vicinia repertæ accurate exhibeantur, verbo, nihil omittatur, quod ad illa quocunque modo pertineat. Atque ita defuncti sumus trium Itinerum, diversa quidem ratione compositorum, sed antiquitates egregie illustrantium, recensione, quæ cum omnia subscriptionis lege sint edita, dubium non est, pauca admodum eorum exempla in Germaniam perventura.

PRÆLECTIONES ECCLESIASTICÆ TRIginta novem, olim habitæ in sacello Collegii Emmanuelis apud Cantabrigienses a JOANNE RICHARDSON, S. T. B.

Volumina II.

Londini, typis Guil. Bowyer, 1726, 8 maj.
Alph. 2.

Est

ESt hoc opus posthumum Autoris, cujus *Vindiciæ Canonis N. T. contra Tolandum* magno fuerunt plausu exceptæ, quique statim primis Operis hujus verbis nos docet, sibi demandatum fuisse munus prælegendi Historiam Ecclesiasticam, seque id potissimum egisse, ut auditoribus suis explicaret præcipuas illius historiæ controversias. Quo successu id fecerit, age, illico videamus. Ex triginta novem *Prælectionibus*, quæ hoc opere continentur, prioribus viginti complentibus priorem Tomum, ceteris in posteriore exhibitis, *prima* agit *de genealogia Christi*. Hic duæ cum occurrant quæstiones, prior, quomodo genealogica descriptio Matthæi in concordiam redigi debeat cum altera Lucæ; posterior, quomodo ex utravis genealogia ostendi possit, JEsum ex semine Davidis ortum esse, cum ea non in Maria terminetur, sed in Josepho; prioris resolvendæ non aliam rationem putat rectam, quam Julii Africani illam, ab Eusebio *Hist. eccl. lib. 1 cap. 7* expositam. Hanc igitur postquam a Grotii objectionibus defendisset, ad alteram quæstionem delatus, prius eos refellit, qui putant, Judæis non licuisse uxorem ducere diversæ tribus, adeoque demonstrato Josephi ortu ex Davide simul demonstratam esse Davidicam originem Mariæ. Deinde statuit, manifestum esse, Spiritum S. ratione patris tantum, non matris, Christum ad stirpem Davidicam relatum voluisse. Cum enim JEsum pepererit sponsa Josephi, viri stirpis Davidicæ, merito eum dici Davide satum, si vel maxime Maria non fuisset ejusdem stirpis. *Si*, inquit, *ex dispertis Scripturæ verbis, ille filius alicujus erat censendus, qui ex illius uxore primus post mortem nascebatur, etsi alium revera patrem habuerit; quanto magis is illam meretur appellationem, quem patri vivo, nullum præterea patrem in terris agnoscentem, ipsius conjux fuerat enixa? Prælectio secunda* est *de natali die Christi*. Primum hic eorum argumenta infirmat, qui eum asserunt mensi Septembri; hinc, vetustam traditionem de Decembri valere oportere, contendit. *III* disquirit, *an Christus ultimum suum Pascha eodem tempore cum Judæis celebrarit*. Excussis aliorum sententiis, cum Scaligero & Petavio statuit, Christum non eodem cum Judæis die, sed ipsum legitimo, Judæos irregulari die pascha immolasse.

Si

Si quæris, qui factum sit, ut Judæi Paschatis celebrandi tempus differrent in diem proximum, respondet cum Petavio, Judæos eo anno non fuisse concordes in designando novilunio (cujus dissensionis & causam aperit atque originem) adeoque alios uno die prius, alios uno die posterius Pascha celebrasse. *IV. Constitutiones Apostolicas esse supposititias*, tribus probat argumentis, (1) quod eæ contineant multa absurda & impia, (2) quod Ecclesia eas non receperit in Scripturæ Canonem, (3) quod primitiva Ecclesia eas pro scripto Apostolico nunquam agnoverit. Refellit hinc eos, qui vel Clementem Romanum vel ipsos Apostolos statuunt earum autores. *V* negat, *Philonis Therapeutas Christianos fuisse*, idque acriter propugnantem Parkerum accurate refellit, manifestumque ex Philone esse censet, eos fuisse religione Judæos, & quandam Essenorum speciem. *VI* excutit notissimum illud & eruditorum calamis tritissimum *Josephi de Christo testimonium*. Prius hic sua profert argumenta, quibus efficere conatur, esse id spurium & suppositititium; deinde Huetii secus sentientis rationes erudite diluit. Utitur autem Noster pro sua sententia duobus argumentis, primo docens, Josephum non solum miracula Christi & Prophetarum de eo prædictiones ratas habere, quæ duo sint veri Messiæ χαρακτήρια; verum etiam diserte scribere, *eum fuisse Messiam*. Ubi cum nonnulli laborent, ut ostendant, ista verba: *Hic erat ὁ χριστὸς*, a Judæo dici potuisse, admodum inepte id fieri, contendit. Deinde urget Origenis silentium, quem, *lib. 1 contra Celsum* ex Josepho illustrantem historiam Christianam, non putat omissurum fuisse hoc testimonium, si ea ætate in Josepho extitisset. *VII, VIII, IX & X de oraculis Sibyllinis* disputat, primo exponens, quæ tradiderunt veteres de Sibyllis & earum carminibus; deinde examinans octo, quos habemus, versuum Sibyllinorum libros; denique, quid de Sibyllarum de Messia vaticiniis sit sentiendum, edisserens. Putat autem, hos libros circa A. C. 144 a Christiano quopiam confectos esse, ostendens etiam hac occasione, quartam Virgilii eclogam injuste exponi de Christo, imo etiam confutans Sibyllistarum, quos vocat, argumenta. *XI & XII* quinque traditiones inveteratas sub 165 sq.

Digitized by Google

examen vocat, disquirens (1), an aliqua Sibyllarum Virginem deiparam Imp. Augusto in aere ostenderit, (2) an idem Imperator, oraculum Delphicum consulens, responsum tulerit *de puero Hebræo*, eaque de causa aram exstruxerit *primogenito Dei*, (3) quantum fidei sit tribuendum narrationi Suidæ de Christo in sacerdotum ordinem cooptato, (4) an Simon Magus a Romanis ara cultus sit, ac tandem Petri precibus ab alto dejectus misere perierit, (5) an historia de legione fulminatrice vera sit. Harum tres priores in fabularum censum rejicit, posteriores duas defendit esse veras, excepto tamen illo, quod perhibetur de Petro. *XIII de Britannorum prima conversione* disputans, disjectis fabularum tenebris, docet, paucis post Christi resurrectionem annis in Britannia jacta fuisse Ecclesiæ fundamenta, sed, a quo id factum sit, ignorari. *XIV Secundam Britanniæ conversionem*, quæ Lucio regnante facta fertur, inter fabellas refert, simulque epistolam Eleutherii ad Lucium, quam exhibet, fictitiam esse, pronuntiat. *XV* differens *de Nicæni Concilii indictione, præsidibus, & confirmatione*, ostendit, id nec a Papa convocatum fuisse, nec gubernatum, nec confirmatum, ac simul convellit sophismata Romanensium, contrariam sententiam strenue tuentium. *XVI* docet, viginti duntaxat canonas a Nicænis patribus fuisse conditos atque editos, rationesque Pontificiorum, quibus majorem eorum numerum fuisse contendunt, evertit. *XVII* & *XVIII* ostendit contra Baronium, (1) Constantinum M. jam ante Sylvestri Pontificatum fuisse Christianum, (2) eum non fuisse leprosum, (3) non Romæ a Sylvestro, sed Nicomediæ ab alio sub vitæ finem baptizatum esse, *XIX* & *XX* Diploma ejusdem Imperatoris, quo Romam & occiduas provincias donasse dicitur Pontifici, fraudis reum peragit, simulque argumenta, quibus ad edictum illud defendendum utuntur Pontificii, diluit. *XXI*, *XXII* & *XXIII* disputat de indictione, præsidibus, & confirmatione Conciliorum, Constantinopolitani primi, Ephesini primi, Chalcedonensis, Constantinopolitani secundi ac tertii, simul refutans, quicquid objicitur suæ sententiæ a Papicolis. Demonstrat scilicet, Papam Romanum per sex integra a nato Christo secula in Synodis προεδρίαν qui-

Digitized by Google

quidem una cum ceteris primarum ſedium Epiſcopis & ſuffragii prærogativam, ſed nullum nec in eos, nec in reliquam Eccleſiam, extra propriæ ditionis limites, imperium vel autoritatem, multo minus jus monarchicum habuiſſe. *XXIV* agit *de Anglorum & Saxonum converſione.* Scilicet Anglos & Saxones, qui ſeculo quinto in Britanniam advecti, ſecum attulerunt religionem ethnicam, vulgo tradunt ad Chriſtianam religionem perductos fuiſſe a Papa Gregorio per Auguſtinum monachum ejusque comites. Concedit hoc quidem Noſter, ſed obſervari ſimul jubet, jam ante id tempus Chriſtianæ religionis ſemina diſperſa fuiſſe in Anglia: Regem quippe illius temporis Ethelbertum jamdudum habuiſſe uxorem Chriſtianam, ejusque animum ſatis præparatum fuiſſe ad amplexandam eandem religionem: prætereaque multos jam Anglos ei religioni fuiſſe addictos: ut adeo Gregorio Papæ tantum laus debeatur conſummati operis. *XXV Pictorum Scotorumque originem* inveſtigat, negansque, Pictos ortu Scythas fuiſſe, contendit, eos fuiſſe veterum Britannorum progeniem, eamque in rem plurima producit argumenta. Ad Scotos quod attinet, eos docet a Scythis, Hiſpaniam primum, deinde Hiberniam, & inde Scotiam invadentibus, ducere originem. *XXVI de Caledoniorum, Pictorum, & Scotorum converſione* agens, rejectis fabulis docet, Caledonios veteres ineunte ſeculo quarto lucem Chriſtianæ religionis accepiſſe; recentiores vero Scotos ac Pictos quinto & ſexto ſeculo religionem amplexatos eſſe Chriſtianam. Refutat etiam veterem ſatis fabulam, qua traditur, S. Andreæ reliquias in Scotiam delatas, indeque oppidum Andreopolin nominatum fuiſſe. *XXVII converſionem Hibernorum* tractat. Cum ſcilicet alii S. Jacobo, alii Joſepho Arimathienſi, alii aliis eam adſcribant, Noſter ſtatuit, probabile eſſe, aliquem quidem ex Apoſtolis vel viris Apoſtolicis Hibernis prædicaſſe Evangelium, recte tamen & jure Patricium appellari *Hibernorum Apoſtolum*, quippe cum totam inſulam peragrarit & Chriſtianam fecerit, defunctus A. 491. Ceterum duas de eodem Patricio fabulas atro carbone notat, quarum prior tradit, eum geſtaſſe baculum, quo olim ipſe Chriſtus uſus ſit, ejusque ope multa patraſſe & grandia

miracula; altera, in hac insula esse purgatorium, eum edoctum esse divinitus. *XXVIII de Hispanorum conversione* verum traditurus, Marianæ argumenta, quibus S. Jacobum constituit Hispaniæ Apostolum, dilucide retellit singula, simulque docet, errare Hispanos, cum se Compostellæ habere credunt corpus illius Apostoli. *XXIX* & *XXX* prostratis plurimis de conversione Gallorum fabulis, illa maxime de Dionysio Areopagita, concludit, Gallos complures Christianos esse factos adulto seculo secundo: a quo vero vel a quibus doctoribus veram religionem acceperint, prorsus ignorari: deinde autem seculo tertio Dionysium quendam una cum aliis sancti operis sociis doctrinam Christianam latius diffudisse per Galliam. Francorum conversionem, quos Chlodovæo rege in Christi castra transisse, nemo nescit, tribus tantum verbis exponit. *XXXI* & *XXXII* præfatus de Romanorum Pontificum ambitione & imposturis, epistolas Decretales intentius considerat, easque statuit sub finem octavi vel initium noni seculi fuisse compositas publicatasque, & Romanos Pontifices aut primarios architectos, aut saltim maximos fautores habuisse propugnatoresque. Harum epistolarum νοθείαν postquam argumentis probavit clarissimis, perbrevem subjicit *historiam Juris Canonici*. *XXXIII* & *XXXIV de origine temporalis Pontificum dominii* agens, præcipua industria describit superbiam Gregorii VII, adjungens Cardinalium ordinis originem. *XXXV* & iis, quæ sequuntur, Prælectionibus omnibus, disserit *de ortu & progressu veterum monachorum*; de eorum moribus & institutis; de origine Benedictinorum, & eorum vestimentis, tonsura, vitæ genere, precibus; de origine Camaldulensium, Cluniacensium, Grandimontensium, Vallis umbrosæ monachorum, Carthusianorum, Cistertiensium, Humiliatorum, Cœlestinorum, Montolivetensium, Hieronymitanorum, Augustinianorum, Præmonstratensium, Gilbertinorum & Brigidensium. Verum hoc indicasse sufficiat, ne nimium longa videatur hæc recensio. Illud addere liceat, nobis majorem in modum probari nervosam Autoris brevitatem & ἀκρίβειαν, ut doleamus, librum subscriptionis lege editum, in paucorum manus perventurum.

DE LA

DE LA MANIERE D'ENSEIGNER ET D'ETUDIER les belles lettres par raport à l'esprit & au cœur.

i. e.

METHODUS DOCENDI ET DISCENDI literas elegantiores, habita ratione intellectus & voluntatis; Autore CAROLO ROLLINO, Rectore quondam & Professore Eloquentiæ emerito in Collegio Regio, ut & Academiæ Regiæ Inscriptionum & elegantiorum literarum Socio.

Tomi II.

Lutetiæ, apud Jac. Stephanum, 1726, 12 maj.

Alphab. 2.

AUtor libri, sane limati & bonæ frugis plenissimi, epistola dedicatoria, latine scripta ad *Amplissimum Rectorem & almam Universitatem Parisiensem*, instituti sui rationes luculenter exponit; ab ipsa Academia electum se commemorans, qui fundatam recens gratuitam juventutis in urbe Regia institutionem LUDOVICO XV publica oratione gratularetur, jussumque latius pleniusque tractare, quæ tum non nisi strictim attingere licuerit. Ergo (verba hæc sunt ipsius Autoris in compendium contracta) præcipuam hanc sibi mentem fuisse ait, scripto consignare usurpatam jam diu in alma illa studiorum parente docendi rationem, & sincerum politioris literaturæ gustum contra varias temporis vices & injurias illibatum tueri. Imprimis enim id agendum esse doctori juventutis, ut gustus ille servetur incorruptus; ut eloquentia casta virgo, Græcis Latinisque irrigata fontibus, & antiquo educata cultu, quo ætas LUDOVICI M. præstantium ingeniorum ferax, repræsentarit fausta Augusti tempora, non unquam fuco & meretricio quocunque ornatu contaminetur; nec juvenes, recentis lasciviæ deliciis capti, pro solido ingenii fructu nitentes flosculos adament. Sequitur Dissertatio exhibens prolegomena, ubi *pars prima* generatim agit

de commodis bonæ educationis, deque triplici inſtitutionis objecto, *ſcientia, moribus, religione*. Ad *primum* quod attinet, oſtenditur, ſtudia elegantiorum artium & ſcientiarum animos expolire & obeundis in republica muneribus idoneos reddere, efficereque, ut gentes literis excultæ, quales fuerint Athenienſes, & Romani, populos illiteratos multitudine virorum, pacis & belli artibus excellentium, longe vincant. Easdem enim intellectum elevare, extendere, acuere, accuratam de rebus quibusque judicandi facultatem conciliare, ad res gerendas homines inſtruere, & eximia alia commoda afferre. *Secundo* docetur, quod mores in inſtitutione ſcholaſtica neceſſario ſint formandi, & quomodo bonis exemplis ac præceptis antiquorum hanc in rem utendum, & communi corruptioni ac præjudiciis inveteratis obviam ſit eundum. *Tertio* demonſtrat Autor, religionis ſtudium ſumme neceſſarium eſſe, cum ſine eo ſcholæ Chriſtianorum a ſcholis paganorum nil differant; tum multa eximia e Quintiliano ſuo præcepta adducit, quomodo puer a teneris ad omnem morum honeſtatem ſit conformandus: deinde aſſerit, Academiæ Pariſienſis præcipuum finem eſſe, ut animi juvenum pietate imbuantur; idque ex ejusdem & Supremæ Curiæ ſancita lege de ſententiis quibusdam ſacræ Scripturæ quotidie in ſchola addiſcendis patere: denique in autoribus paganis quidquid religionem Chriſtianam reſpicit, imprimis notandum, immo omnia ad hanc referenda eſſe, monet. *Parte* prolegomenon *ſecunda*, eaque breviori, conſpectum totius operis exhibet. *Bonum guſtum*, de quo pluribus eleganter exponit, dicit judicium delicatum, velox, penetrans & exactum de omni pulchritudine, veritate, & accuratione idearum & enuntiationum in ſermone: regulas hujus judicii tradi poſſe, contra Quintilianum aſſerit: idque alias etiam artes, uti architecturam, graphicen, plaſticen, nec non mores publicos pervadere, & una cum his vel in barbariem, vel ineptam luxuriem degenerare; quam in rem multa in notis adducit e *Seneca Epiſt. CXIV & CXV*. *Bonum* illum *guſtum*, quem & *naturale judicium ſtudiis excultum* vocat, principiis immutabilibus niti; in omnibus artibus ea, quæ ſunt maxime eſſentialia, ſeu quæ maxime ad rei naturam & genuinam indolem pertinent,

Digitized by Google

nent, reſpicere; & ex ſcriptis veterum hauriendum eſſe ait. Denique de conſilio operis, quod *tractatum de ſtudiis cleſſicis* ſe inſcripturum fuiſſe, ſed amicorum admonitu titulum mutaſſe ait, ea fere, quæ in dedicatione jam dixerat, denuo exponit: uſitatam nempe in ſcholis Gallicis docendi rationem ſe deſcribere, atque adeo Magiſtris nondum uſu exercitatis viam præire. Annexa ſunt, privilegium Regium, & approbatio *Couturii* (Regiorum Lectorum Inſpectoris & Eloquentiæ Profeſſoris) qua collegæ ejusque libro hoc elogium tribuit: eſſe opus æque utile ſtudiis privatis & publicis, apparere in eo magnitudinem ingenii & eruditionis, zelumque viri, qui ultra XL annos in formandis bonis civibus, bonis magiſtratibus, & bonis oratoribus cum eccleſiaſticis, tum politicis, utiliter elaborarit. Jam pauca ex ipſo opere delibanda.

Tomi I Liber I, de cognitione linguarum, habet *capita III. Primo*, poſt brevem prælocutionem de neceſſitate & uſu ſtudii linguarum, Autor agit de ſtudio linguæ Gallicæ; quam a teneris excolendam commendat, ſequendumque hac in re exemplum Romanorum, & præceptum *Quintiliani lib. I cap. I.* Tum regulas fundamentales ipſo exercitio probe inculcandas, & creberrimis quæſtionibus attentionem excitandam, ait: orthographiam vero ad uſum accommodandam, quem penes arbitrium ſit & norma loquendi, & cui cedere ſæpe cogatur ratio: diſtinctioni autem vocum ita inſerviendum eſſe, ut aliter ſcribantur, quæ aliter pronuntiantur, e. g. *répondant*, *correſpondant*: ſiquidem literæ inventæ ſint ad notandos diverſos ſonos ore prolatos. In lectione librorum primo loco ponit regulam *Quintiliani lib. II cap. VI, optimos & ſtatim & ſemper eſſe legendos*; commendat Grammaticam *Abbatis Regnieri*, Obſervationes *Vaugelaſii*, *Boubourſii*, *Cornelii*, *Menagii*, aliorum; & ob Gallicæ dictionis elegantiam, rerumque varietatem, & hiſtoriam patriæ literariam, *Peliſſonii Hiſtoriam Academiæ Gallicæ*, *Bozii Hiſtoriam Academia Inſcriptionum & elegantiorum literarum*, *Fontenellii Hiſtoriam Inſtaurationis Academiæ Scientiarum*; in Poeſi, *Racinii* & *Boilavii* ſcripta. In interpretatione & verſione inculcat regulam Ciceronis & Horatii, ne quis verbum verbo curet reddere, ſed ſententiam accurate

curate exprimere ſtudeat fidus interpres. Tum *Turrelii* & *Dacieriæ* hanc in rem præcepta adducit, eaque, inſerta verſione Gallica epiſtolarum aliquot Plinii, illuſtrat, & diverſam utriusque linguæ indolem monſtrans, Gallicæ uniformem fere compoſitionis modum aliosque, ſi cum Latina conferatur, defectus candide fatetur. In exercendo ſtilo patrio præter fabularum, narrationum, epiſtolarum tirocinia, commendat ſelecta Autorum Latinorum Græcorumque loca, imprimis Taciti *vitam Agricolæ*, formando prudenti magiſtratui mire aptam, eamque provectioribus ſe proponere conſueviſſe ſcribit, ut elegantias omnes liberiori paraphraſi Gallice exprimere, ſuo Marte quædam addere, & optimis exemplis ſimile quid effingere conarentur. Methodum etiam ſuam in explicandis cum fructu autoribus exponit. *Capite II* ſtudii linguæ Græcæ utilitatem & neceſſitatem oſtendit: Franciſcum I condita bibliotheca & ſchola Regia, autore Budæo, in Gallia illud ſtabiliviſſe tradit: in docendo rationem eſſe habendam pronunciationis vocalium & diphthongorum, uſitatæ & diſtinctæ, evitato Jotacismo: item cavendum, ne ad accentus, cum ſint recentius inventum, & notas tantum præbeant elevandæ aut ſubmittendæ vocis, quantitas ſyllabarum efferatur, perdaturque ita ſuaviſſima linguæ harmonia: in legendis etiam codicibus manuſcriptis exercendos, ubi fieri poſſit, tirones; adhibendam Grammaticam brevem, perſpicuam, Gallice ſcriptam: abſtinendum a præpoſtera exercitiorum compoſitione, qua multi deterreantur; nec non ab adjunctarum verſionum uſu damnoſo, quo ignavia alatur. Tum quomodo in claſſe infima ſtudium Græcitatis ſit inchoandum, & per reliquas claſſes continuandum; quæ ſit ratio Atticiſmi h. e. nativa pulchritudine florentis, puri & concinni dicendi generis, quæ & reliquarum dialectorum indoles, eximie docet. *Cap. III* de ſtudio linguæ Latinæ recte tractando utiliſſima itidem præcepta affert: non ab exercitiorum ſtili anxia & difficili elaboratione, ſed ab explicatione & verſione Autorum, captui teneræ ætatis accommodatorum, initium faciendum; hiſtorias Biblicas eleganti ſtilo expreſſas, & loca Autorum ſelecta, qualia & exempli cauſa adducit, tironibus proponenda: non phraſes jejunas & inanes, ſed utiles ſententias & charac-

Digitized by Google

chartæ & memoriæ esse inscribendas, & quæ sunt alia. Tum quinam singulis classibus conveniant Autores; quænam exercitia, quomodo in explicatione imprimis respicienda Syntaxis, verborum proprietas, ipsa elegans & delicata Latinitas, quomodo loci obscuri & difficiles tractandi, præclare docet. Denique de antiqua Latinam linguam pronunciandi & scribendi ratione, deque sermone Latino a tironibus in Schola haud præpostere exigendo agit.

Tomi I Liber II, de Poesi, habet capita duo. *Primo* exponit Autor de Poesi in genere, cujus originem ex ipsa natura hominum, & vehementi animorum commotione derivat, & quomodo ab antiqua puritate, humanis vitiis atque affectibus ad Deos translatis, degeneraverit, liquido ostendit. Porro Poetas profanos in Scholis Christianis, caute tamen, legi posse & debere; nomina autem inania Deorum gentilium carmen Poetæ Christiani, & imprimis carmen sacrum non ornare, sed inquinare, gravibus argumentis probatum it. *Capite II*, de Poesi speciatim, quam diversus sit gentium, quod ad hanc attinet, gustus: qui latina Poesis, ex accurata syllabarum quantitate & compositionis varietate sat suavis, rhythmum respuat, Gallica autem, illis suavitatibus destituta, ut habeat, quo mulceantur aures, eundem requirat: quænam sit utilitas, & quis modus optimus exercendæ in Scholis Poeseos: quomodo Poetas legere, & metrum, stilum, periphrases, repetitiones, narrationes, orationes considerare oporteat, exemplis Virgilianis monstrat: selecta denique Poetarum loca evolvenda, & librum, cui titulus: *Epigrammatum delectus*, in scholis legendum suadet. Accedit tractatio peculiaris de lectione Homeri, quam *Capite I* mirifice commendat, regulas sani de eo judicii contra acerbas criticorum quorundam censuras tradit, & loca exquisita excerpit. *Capite II*, quæ ex Homero disci possint, ad ritus & consuetudines, ad mores & vitæ civilis officia, & ad Deos denique, & religionem pertinentia, docet.

Tomus II exhibet operis *Librum III*, habentem *Capita III*, de Rhetorica. Hujus studium in præfatiuncula absolvi ait his tribus: primo ut discantur præcepta brevia & solida, ex ipsa animi & sermonis humani natura, & observato præstantissimorum

morum Oratorum usu nata: tum ut legantur exempla plurima & optima: tertio, ut eadem imitatione solerti exprimantur. Lectionem illam necessariam testatur tempore Quintiliani omissam, præceptisque nimis prolixis & spinosis, quibus & ipse Fabius interdum sit molestus, & declamationibus præposteris eloquentiam fuisse corruptam. Inde *Cap. I* monet, magistrum non tam exigere debere a tironibus verba præceptorum eloquentiæ, quam sensum & usum monstrare, indicatis etiam, & lectioni privatæ commendatis Ciceronis, & Quintiliani, nonnunquam & Longini locis selectis. *Cap. II* docet, quomodo cum viva voce, tum suppeditandis elaborationibus magistri, & proponendis exemplis optimorum autorum, qualia & e Cicerone, & Oratoribus Gallicis, *Flecherio*, *Mascarono*, *Fontenellio* adducit, per gradus ad eloquentiam manu sint ducendi tirones. *Cap. III*, in quinque Sectiones divisо, & maximam libri partem constituente, *Sect. I*, de lectione & explicatione autorum, præcepta *Quintiliani Lib. 2 Cap. 5* & *Lib. IV Cap. 1* adducit; & explicat, quomodo artes & elegantiæ, tum & luxuries & vitia Oratoris discentibus fiat monstranda, & in legendis optimis observandum illud *Senecæ: non multa, sed multum.* Deinde de triplici dicendi genere agit. *Simplex* illud, perspicuum, purum, naturali pulchritudine elegans, aptum ad docendum, haud facile esse ostendit, cum artis sit, celare artem. *Sublime* autem, vehemens, & vel gravi sermonis copia, vel ponderosa brevitate percellens, admirationi, & affectibus movendis, animisque, quo vult orator, abripiendis aptum, nobiles, graves, magnificas ideas & dictiones requirere, testimoniis Longini, & exemplis *Ciceronis*, ac *Demosthenis*, tum & suorum, *Pelissonii*, *Bossueti*, *Flecherii* ostendit. *Temperatum* denique, & modice ornatum dicendi genus, delectandis auditoribus, & per ipsam delectationem facilius persuadendis aptum, eo quidem tendere, ut ratio convincatur, & animus moveatur; sed transire quasi per imaginationem, hujusque adeo sermone, figuris & imaginibus abundante, uti; siquidem hæc rebus in sensum incurrentibus moveatur, percellaturque. In ipso tamen illo ad ostentationem & panegyrin composito orationis genere, delitiis aurium & ornamentis, prudenter & cum

Digitized by Google

cum varietate temperatis, vitandum esse fastidium: eaque imprimis ornamenta adhibenda, quæ ad argumentum clarius explicandum maxime faciant; siquidem hæc, teste non solum Cicerone, sed & experientia, plurimum & dignitatis & venustatis habeant. Addit alias quasdam observationes de triplici genere eloquentiæ, easdemque uno alteroque exemplo e sermonibus *Racinii*, in Academia Regia habitis, illustrat. *Sectione II* de eo, quod imprimis in legendis aut explicandis autoribus observandum, differit; præceptaque adeo e Cicerone & Quintiliano gravissima, exemplis domesticis æque ac Ciceronianis & Livianis declarata, de argumentis & probationibus, de cogitationum & imaginum vivida & eleganti repræsentatione, proponit; simul de antithetis, comparatis, alienatis, & aliis ad argutam dictionem facientibus, delibata e Plinii *Panegyrico*, nec non e Poetis exemplorum congerie, & allatis nonnullis *Bouhourfii* observationibus, agit; ac splendida quidem, sed inania sermonis lumina, adductis & examinatis Senecæ quibusdam locis, vitanda monet. Denique de vocum delectu, & compositione, de figuris, de cautelis oratoris, de affectibus, quæ maximi sunt momenti, prudentissime præcipit, & exemplorum copia illustrat. *Sect. III* de eloquentia civili & forensi agit, e Demosthene & Æschine quædam excerpta, & veterum de his judicia, tum & comparationem Ciceronis & Demosthenis exhibet; causas corruptæ apud Athenienses & Romanos eloquentiæ ex nimio orationem exornandi & infucandi studio derivat; qua ratione juvenes ad causas in foro agendas præparandi sint, exemplo jam laudatorum eloquentiæ Græcæ ac Romanæ principum docet: de moribus causarum patroni haud perfunctorie exponit, & in eo probitatem, lucri indecentis contemtum, in causis suscipiendis delectum, in agendis sapientiam & moderationem, prudentemque æmulationem, remota humili & jejuna invidia, requirit. *Sect. IV*, de eloquentia ecclesiastica, quænam sint oratoris sacri munera, exponit: *primum* nempe, ut doceat, adeoque clare & perspicue verba faciat; quæ perspicuitas catecheticæ imprimis necessaria: *secundum*, ut delectet, atque ea propter ornate & eleganter dicat, evitatis duobus extremis,

tremis, ut ornamenta nimis ne quærat, & nimis ne contemnat: *tertium*, ut gravi sermonis efficacia moveat auditores. Præceptis exempla luculenta ex *Augustino*, *Cypriano*, *Chrysostomo* addit. Tum etiam de scientia oratori necessaria, de sacris literis, & patribus ecclesiæ studiose & rite legendis, agit, atque imprimis Chrysostomum & Augustinum commendat, illiusque homilias, & hujus sermones in vetus & novum Testamentum ad formandum bonum concionatorem fere sufficere, statuit. *Sect. V* de eloquentia Scripturæ S. agit, ejusque simplicitas quam mysteriis plena, quam grandis & sublimis, & speciosa sit, pulchritudine tamen non in verbis, sed rebus ipsis sita; quam mirificis descriptionibus, quam gravibus figuris, quam sublimibus, quam & dulcibus atque ad animum tenerrimis affectibus permovendum aptis illa locis abundet, quam belle characteres animorum exprimat, eleganter ostendit. Denique, coronidis loco, secundum regulas rhetoricas explicatum subjungit hymnum Mosis *Exodi XV*, cujus explicationis Autor est *Hersanius*, Professor quondam Eloquentiæ in Collegio Plessiaco inclitus, quo magistro Rollinus noster insigni cum fructu per triennium sese usum esse, supra *Lib. III C. 1*, Rhetoricam ejus manuscriptam laudans, commemoravit. Facile vero apparet, idem fere hoc suo libro egisse Autorem, quod & *Quintiliani recensiti, & brevibus notis illustrati, recisis iis, qua subtiliora & minus necessaria visa sunt*, editione (quæ prodiit Lutetiæ 1715, 12, duobus Voluminibus) egit; nempe ut, vitatis novorum Rhetorum diverticulis, in antiquam & regiam eloquentiæ & solidioris eruditionis viam manu ducerentur juvenes. Ceterum spem aliquam nobis fecit de opere hoc duobus itidem Tomis continuando, quos harum rerum intelligentes cupide requisituros, minime dubitamus.

JO. JACOBI DE RAMPACH, EMINENT. ac Celsf. Princip. & Archi-Ep. Salisburgensis Consiliarii Aulici, Palæstra S. R. G. Imperii Architribunalium tripartita.

Pars I.

Digitized by Google

Pars I.

Viennæ Auſtriæ, typis Jo. Bapt. Schilgen, Univerſ. Vienn. typogr. 1726, fol.

Alphab. 8 plag. 6.

PAlæſtra hæc ſupremorum in Imperio noſtro Tribunalium nihil aliud eſt, quam Commentarius perpetuus in Proceſſum Cameræ Imperialis Blumianum. Annotavit Noſter non ſolum ex ipſo Ordinationis Cameralis textu, verum & ex fontibus publici privatique juris, quo utimur in Germania, ex obſervantia quoque & praxi noviſſima utriusque Tribunalis. Subjecit res judicatas, cautelas practicas & obſervationes, ad docendum proceſſus Cameralis uſum & applicationem comparatas. Diligens eſt in hiſtorice evolvendis mutationibus, quæ circa partes proceſſus obtigere. Id præterea potiſſimum dat operam, ut inſtituta ſubinde ſuis locis Proceſſus Cameralis cum Proceſſu Judicii Aulici collatione, utriusque convenientiam, vel diſcrepantiam oſtendat. Quoniam vero Pars hæc prima operis, tribus Tomis prodituri, ultra tit. 27 Proceſſus Blumiani, qui eſt *de Auſtregis*, non pertingit; largior differentiarum in ſupremis Imperii judiciis obvenientium adhuc imminet meſſis. Jamque non primæ tantum partis appendicem, qualem, ut & indicem rerum verborumque ſingulis Tomis adjicere deſtinavit, ſed univerſum opus prelo paratum eſſe, affirmat Noſter. Deeſt ſaltem typographus, qui ſumptu ſuo exequatur cœpta, isque ut ſe propediem offerat Noſtro lautiſſimis conditionibus, ſerio optamus.

A NEW PRACTIC OF PHYSIC.

i. e.

PRAXIS MEDICA NOVA, AUTORE PETRO SHAW, M. D.

Londini, apud J. Osborn & T. Longmann, 1726, 8.

Alph. 2 plag. 14.

METhodi, quibus ſuo tempore excellentiſſimi Medici, ut Riverius, Sydenham &c. in curandis morbis uſi fuerunt, ti-

ronesque instruxerunt, in desuetudinem nunc penitus venerunt, postquam nostro seculo novæ indies Medicinæ factæ accessiones, veterum dogmata correcta, & inventa nova atque experimenta egregia collecta fuerunt. Quæ nova Medicinæ facies cum Lectoribus nondum sit repræsentata, prout veteres sui ævi Praxin exhibuerunt, operæ pretium duxit Clariss. *Shaw*, id quod adhuc desideratur ad artem perficiendam, præsenti Tractatu supplere. Frustra autem quis hic hypotheticas rationes aut phænomenorum explicationes expectaverit, cum non nisi materia scientiæ simplici planoque stylo exhibeatur. Duobus igitur Voluminibus singulos oculis exponit Autor Clariss. morbos, quorum suppeditata definitione vel descriptione, ut idea inde aliqualis affectus subnascatur, vulgares allegat causas, cum immediatam investigare, ultra captum generis humani, nec Practico scitu necessarium sit. Hanc historia morbi excipit, seu relatio symtomatum, cum quibus illi oriuntur, progrediuntur & terminantur; ex quibus accidentibus etiam derivatur prognosis, quæ, quid ægro sperandum, metuendumve sit, determinat. Therapia denique complectitur sub se partim diætam commodam, partim prudentem remediorum applicationem. Sub illa regimen legitimum sex rerum non-naturalium præscribitur, ut symptomata mitigentur, crisis promoveatur, & corpus ad desideratum medicamentorum effectum obtinendum præparetur. Hæc vero vel in genere, quid contra morbum agendum, vel in specie, quale remedii genus singulis symptomatibus & circumstantiis sit opponendum, docet. Atque hæc omnia juxta ductum recentium Practicorum ita explicat Noster, ut de summa operis hujus utilitate dubium superesse nullum valeat.

DE MEDICORUM APUD VETERES ROmanos degentium conditione Dissertatio; qua contra Viros Celeberr. Jac. Sponium & Rich. Meadium, M. D. D. Servilem eam fuisse, ostenditur, Autore CONGERS MIDDLETON, *S.T.P. Academiæ Cantabrigiensis Protobibliothecario.*

Canta-

Cantabrigiæ, apud Edmundum Jeffery, 1726, 4.

Plag. 4.

EA eſt artis Apollineæ hac noſtra ætate conditio, ut nec ipſa majus unquam perfectionis decus obtinuerit, neque ſuos unquam cultores majori ſplendore condecoraverit. Qui cum aliorum magis, quam æquo ferre poſſent animo, feriret, oculos, priora Romæ ſtabilitæ tempora, quibus proprium Medicinam ſervorum negotium fuiſſe aſſerunt, maxime idonea illis viſa ſunt, quibus elatos forte animos retunderent. Neque defuere tamen, qui argumenta illorum convellere, omnemque hanc procul a Medicis amovere maculam allaboraverunt Viri, præter alios multos, celeberrimi, Iſaacus Caſaubonus, Jac. Sponius & noviſſime Richardus Meadius, cujus Orationem in his Actis anni proxime præterlapſi p. 266 commemoravimus. Horum autoritati præſens Diſſertatio, multo antiquitatis apparatu referta, a Cl. *Middletonio* nominatim eſt oppoſita. Paucis itaque potiſſima argumenta, quibus de ſervili Medicorum apud Romanos degentium conditione ſententiam denuo ſtabilivit, quæve alteri parti oppoſuit, momenta commemorabimus. Primis urbis temporibus medendi artem a nullo Romanorum excultam, præter perpetuum autorum ſilentium, teſtimonio Plinii Lib. 29 C. 1 conſtat. Illud omnes fatentur, quod Græci, per quos omnes demum artes Romam translatæ ſunt, illam publice exercuerint. Quamvis vero Græculi nomen ſatis jam apud Romanos vile habitum fuerit, attamen ne hos quidem ingenuos fuiſſe concedit Cl. Autor; ſed ut eo abjectior videatur Medicorum conditio, Græculorum ſervulos fuiſſe cenſet, qui, teſte Platone, Dominos conſectando aliqua medendi præcepta didicerint, exercuerint. Hos, poſtquam diu ſatis dominis ſervierant, vel gratia eorum promerenda, vel pretio dato libertatem impetraſſe; & Medicinas ad vendendam publice operam ſuam conduxiſſe. Cæſarum tandem temporibus Græculos quosdam eſurientes, ingenuos quidem, ſed abjectæ tamen conditionis, Romam convolaſſe, quos omnes J. Cæſar, ut urbi bellis civilibus exhauſtæ frequentiam priſtinam redderet, civitate donaſſet. Hanc primam Medicis ad honorem viam eſſe patefactam; artem tamen ipſam a libera- p. 7.

Digitized by Google

p. 9. beralibus ſemper diſtinctam. Qua in re ad JCtorum autoritatem ex L. 4 de decret. & L. 1 Cod. de decret. decur. provocat; ubi liberalium ſtudiorum antiſtites, & qui medendi cura fungun-
11. tur, ſejuncti ſunt. Pariter ex Lib. 26 Princip. de oper. libert. ſervile quid elicere tentat. Dum ibidem inter alia "Medicus "libertus, quod multo plures ſibi *imperantes* habiturum puta-"ret, ſi liberti ſui medicinam non facerent &c. legitur, Medi-co imperare a veteribus pro Medicum advocare dici ſolitum,
13. manifeſto ſervitutis indicio arbitratur. Caſaubonum, qui eo po-tiſſimum argumento in animadverſionibus ad Suetonium utitur, quod Medicus, cum J. Cæſare a prædonibus captus, a Plutarcho Cæſaris amicus appelletur, aliique multi majori gaviſi fuerint Principum virorum familiaritate, quam quæ ſervis convenire videatur; meminiſſe jubet, quod amicorum cohortes in plures a magnatibus gradus ſegregari conſueverint, teſtibus Seneca & Lampridio; qui tantæ Alexandrum Severum moderationis fuiſſe ſcribit, ut amicos non ſolum primi & ſecundi loci, ſed etiam inferioris, ægrotantes viſeret. Servos vero inter inferiorum or-dinum amicos numerari ſolitos, vel ipſius Ciceronis, qui Tiro-nem ſuum in oculis ferebat, patere teſtimonio confidit. Sponi-um qui majori apparatu multisque inſcriptionibus Medicos in libertatem aſſerere conatus eſt, idem paſſum eſſe monet, quod omnes qui certis addicti ſententiis antiquitatis pervolvunt mo-numenta; ut quicquid ulla ratione ad ſtabiliendam hypotheſin facere videtur, corradant, reliqua omnia ſupprimant. Videbi-
17. mus, qua ratione allatas ab eo inſcriptiones perſtringat Autor. De prima, quam ita Sponius expreſſit:

M. LATINIVS
MEDICVS
OCVLARIVS.

e Malvaſiæ Marmor. Felſin. literas M.L. poſt Latinii nomen, liber-tinæ conditionis notas, a Sponio detractas, evincit. Secunda a Spo-nio ita exhibetur:

M. ALLIVS PAMPHILVS
MEDICVS.

In

In qua tamen Justus Fontaninus in Antiquitatibus Hortæ sublata interpunctionis ad prænomen distinguendum notula Mallius legendum duxit: unde Noster illum e servorum grege necdum civitate donatum fuisse contendit, quod prænomine, quo omnes utebantur cives, destitueretur. Tertiæ inscriptionis explicationem, tanquam penitus puerilem, ridet Middletonius: dum enim in ea de Calpurnio Asclepiade memoratur, quod septem a Trajano civitates impetraverit, inepte a Sponio in Gallicum sermonem transferente, asseri monet, quod, liberalitate non facile fingenda, septem urbium dominatum a Trajano Imperatore obtinuerit. Quin potius genuinum ejus sensum esse censet; hunc Asclepiadem e gente Calpurnia manumissum & præter Romanæ sex aliarum civitatum jura ab Imperatore obtinuisse. Neque p. 19.
ad Sextum viratum Augustalem, Charmi Medico tributum, quem ingenuis solum & nobilibus deferri Sponius existimavit, aditum libertis præclusum fuisse arbitratur, quin potius illis collatum atque ære sæpius redemtum, sequenti ex Mercurialis Var. lectionibus L. 3 inscriptione docet:

P. DECIMVS, P. L. EROS
MERVLA, MEDICVS
CLINICVS, CHIRVRGVS
OCVLARIVS, VI. VIR
HIC PRO LIBERTATE: DEDIT, H. S. I,,,
HIC PRO SEVIRATV IN REMP.
DEDIT, H. S. ∞. ∞.

Ad Meadii Orationem confutandam dum accedit Cl. Autor, præter alia argumenta, ipsi cum Sponio communia, potissimum 21.
illud refellit, quod anguem, Deæ Salutis symbolum, in nummo quodam Rubriæ familiæ conspicuum, signum florentis in ea familia Medicinæ laudis esse contendat. Cum aliæ etiam gentes, Junia sc. & Acilia, ipsam Deæ Salutis imaginem in nummis expressam habeant, non Medicinæ, sed publici negotii causa; Junia quidem, ob templum a Junio Bubulco, quod Consul voverat, Dictatore dedicatum. Quin imo ipsos Imperatores eandem Salutis effigiem suis insculpsisse nummis commemorat, luculento satis testimonio, quod ad memoriam potius publici cu-

jusdam & ad posteritatem insignis facti quam Medicæ artis indicium idem nummus pertineat. His fere argumentis ad servitutem priscos revocare Medicos allaboravit Cl. Autor, jamque si in libertatem asserendi denuo sunt, viro opus erit, qui pari argumentorum robore, dictionis vi atque elegantia eidem respondeat. Quin imo relatum legimus, in Anglia jamdum ab Anonymo, qui sub literis P. W. M. D. latere voluit, breves notas in præsentem Dissertationem prodiisse, quæ tamen utrum a partibus Nostri stent, an eidem sint oppositæ, cum ad nos nondum perlatæ sint, non licet asserere.

THE PHILOSOPHICAL WORKS OF THE HONourabe Robert Boyle &c.

i. e.

ROBERTI BOYLEI OPERA PHILOSOPHICA in Compendium redacta, per generalia capita Physicæ, Staticæ, Pnevmaticæ, Historiæ naturalis, Chymiæ & Medicinæ dispositæ ac notis illustrata; Autore PETRO SHAW, M.D.

Volumina III.

Londini, apud W. & J. Innys, J. Osborn, atque T. Logmann, 1725, 4.

Alph. 12 plag. 12 Tabb. æn. 21.

ILlustris *Boylei* præclara in scientiam naturalem merita nemo ignorat & varia ejus monumenta in his Actis fuere recensita. Scripta ejus, quibus historia & scientia naturalis illustratur, successive prodiere, pleraque tamen ante natalem horum Actorum. Cl. *Shaw* omnium catalogum exhibet, in quo præter titulum annus primæ editionis una cum loco impressionis annotatur & iteratæ editiones indicantur. Cum is contineat notitiam ad historiam literariam apprime spectantem, eum huc transferre nulli dubitamus. Prodiere itaque *Experimenta physico-mechanica de elatere & gravitate aeris*, Londini 1661 in 4, recusa ibidem 1682:

1682: *Chymiſta Scepticus*, Oxonii eodem anno 8, recuſus 1680: *Tentamina phyſica*, Londini 1662, 4, recuſa 1669: *Hiſtoria colorum*, ibidem 1663, 8, recuſa 1664: *Utilitas Philoſophiæ mechanicæ*, Oxonii 1663, 4, recuſa 1671: *Hiſtoria frigoris*, Londini 1665, 4, recuſa 1683: *Paradoxa hydroſtatica*, Oxonii 1666, 8, recuſa 1676: *Origo formarum & qualitatum*, Oxonii 1666, 8, recuſa 1667: *Qualitates Coſmicæ*, Oxonii 1670, 8, recuſæ 1671: *Admiranda rarefactio aeris*, Londini 1670, 4: *Origo & virtutes gemmarum*, Londini 1672, 8: *Relatio inter flammam & aerem*, ibidem 1672, 8: *Effluvia*, ibid. 1673, 8: *Salſedo maris*, Oxonii 1674, 8: *Occultæ qualitates aeris*, Londini 1674, 8: *Excellentia & principia hypotheſeos mechanicæ*, ibid. 1674, 8: *Conſiderationes reſurrectionis*, ibid. 1675, 8: *Particulares qualitates*, ibid. 1676, 8: *Noctiluca aerea*, ibid. 1680, 8: *Noctiluca glacialis*, 1680; *Res ſupra rationem*, 1681; *Hiſtoria naturalis ſanguinis*, 1684; *Poroſitas Corporum*, 1684; *Hiſtoria naturalis aquarum mineralium*, 1684; *Remedia ſpecifica*, 1685; *Summa veneratio Deo debita* 1685; *Motus languidus*, 1685 & 1694; *Notio naturæ*, 1685; *Cauſæ finales*, 1688; *Medicina hydroſtatica*, 1690; *Chriſtianus Virtuoſus*, 1690; *Experimenta & Obſervationes phyſicæ*, 1691, Londini 8: *Hiſtoria naturalis aeris*, ibidem 1692, 4, tandemque Experimenta medica, Londini 1718, 8. Tractatibus iſtis ſæpius adjecti ſunt alii de argumentis peculiaribus ac præterea varia ſchediaſmata leguntur in Transactionibus Anglicanis. Rationes jam commemoravimus in Actis A. 1701 p. 186 & *Supplem. Tom. VI* p. 493, cur Cl. *Boulton* opera iſta *Boyleana* in compendium redegerit: quod inſtitutum etſi laudandum viſum fuerit eruditis, æqui tamen harum rerum judices niniam reprehendunt brevitatem, ita ut compendium ſit revera diſpendium. Huic igitur defectui ut mederetur Cl. *Shaw*, opera Philoſophi alia ratione in compendium redegit & ſecundum capita generalia diſpoſuit, ut cum compendio nullum conjunctum eſſet diſpendium. Omnem enim librorum *Boyleanorum* ſubſtantiam perſpicue proponit, non reſciſſis niſi ſuperfluis. Omiſit nimirum, quæ ad argumentum, quod tractat Autor, non referuntur & verba ubique contraxit, quantum perſpicuitas patitur, ſtylumque hinc

inde emendavit. Eo autem ordine singula disposuit, ut primum locum occupent, quæ instar introductionis ad cetera considerari debent, eaque præcedant, quibus sequentia illustrantur. Volumini itaque primo præmittitur discursus præliminaris ex variis operibus *Boylei* compilatus de studio Philosophiæ naturalis, qui sit instar præfationis ad omnia Philosophi opera. Primo in eodem loco comparet Tractatus de utilitate Philosophiæ experimentalis, in tres partes divisus, quarum prima exponit ea, quæ menti; secunda ea, quæ Medicinæ; tertia denique quæ vitæ humanæ a studio Philosophiæ naturalis accedit. Commendavimus eundem in Actis A. 1692 p. 493. Sequuntur deinde sub Physicorum titulo, quæ ad Physicam generalem spectant. Differitur de excellentia & principiis Philosophiæ Mechanicæ, quæ inde commendantur, quod sint clara & intelligibilia, antiqua, primaria & simplicia, materia scilicet atque motus, ususque longe amplissimi. Explicatur origo formarum & qualitatum: quæ dissertatio in novem sectiones divisa servit loco introductionis in Philosophiam Mechanicam. Subjicitur experimentum fundamentale in nitro institutum, unde multa deducuntur, quibus qualitatum doctrina illustratur, veluti de causa caloris & frigoris, soni, colorum, odorum, saporum, inflammabilitatis, fluiditatis & firmitatis, volatilitatis & fixitatis &c. Agitur deinde duabus sectionibus de origine fluiditatis & firmitatis & duabus aliis de origine & productione volatilitatis atque fixitatis. Describuntur experimenta de figura superficiei fluidorum. Stabiliuntur atmosphæræ corporum consistentium per effluvia continuo emissa. Declarantur tribus sectionibus natura, proprietates atque effectus effluviorum & duobus aliis corporum porositas expenditur. Inquiritur in motum intestinum partium solidorum. Exhibentur considerationes status naturalis & præternaturalis corporum atque observationes de effectibus languidi & inobservati motus, de quibus diximus in Actis A. 1687 p. 68. Exponitur duabus sectionibus productio mechanica magnetismi & una productio electricitatis. Inquiritur in causas mechanicas præcipitationis & duabus sectionibus in originem corrosivitatis & corrosibilitatis; duabus vero aliis in productionem

Digitized by Google

nem mechanicam saporum atque odorum; nec non adhuc duabus aliis in mechanicam originem caloris atque frigoris. Indicavimus ista in Actis A. 1692 p. 493. Colophonem denique imponunt experimenta & observationes circa frigus in usum historiæ experimentalis frigoris, de quibus vide Supplem. horum Actorum Tom. I p 137.

In secundo Volumine sub Physicorum titulo adhuc comparent Experimenta & Observationes de coloribus per tres sectiones distributæ; disquisitio in notionem vulgarem naturæ, quam recensuimus in Actis A. 1687 p. 190; disquisitio alia de finalibus rerum naturalium causis, de qua plura vide in Actis A. 1688 p. 490; consideratio rerum, quæ sphæram rationis transcendunt; responsio ad difficultates circa resurrectionem mortuorum; tractatus de Christiano virtuoso, ubi ostenditur, quomodo philosophia experimentalis ad religionem manu ducat, & alter de summa veneratione Deo debita. Sub Staticorum nomine sequuntur Paradoxa hydrostatica experimentis probata & illustrata; hydrostatica ad mineralia & materiam medicam applicata, quam in Actis A. 1691 p. 485, 511 delineavimus; discursus hydrostaticus, in quo ad objectiones *Henrici Mori* aliorumque respondetur, contra explicationem experimentorum quorundam particularium allatas; descriptio libellæ hydrostaticæ ad examinandam fluidorum & solidorum gravitatem specificam, Hygroscopium staticum cum observationibus circa humiditatem corporum & experimenta de ponderabilitate flammæ. Sub nomine tandem Pneumaticorum sistuntur experimenta physico-mechanica de elatere & effectibus aeris eo ordine proposita, quo a *Boyleo* fuere descripta, numero 348. Experimenta ista contra *Francisci Lini* objectiones defenduntur, additis animadversionibus in *Hobbesii* problemata de vacuo. Et ultimo loco exhibetur disquisitio de causa attractionis per fuctionem.

Volumen tertium Historiæ naturali, Chymiæ atque Medicinæ destinatur. Ad Historiam naturalem referuntur capita generalia historiæ naturalis alicujus regionis, quorum mentionem fecimus in Actis A. 1693 p. 255; historia generalis aeris, quam enarravimus ibidem p. 300; suspiciones de quibusdam latentibus qualitatibus aeris; disquisitio de origine & virtute gem-

marum duobus sectionibus institutus; observationes de adamante in tenebris lucente aliisque phosphoris naturalibus; Noctiluca aerea & glacialis in Actis A. 1682 p. 54 & 394 relata, una cum aliis phosphoris artificialibus; experimenta & observationes circa salsedinem maris & observationes aliæ de temperatura regionum subterranearum & submarinarum. Ad Chymiam referuntur: Chymista Scepticus, experimenta & observationes de producibilitate principiorum Chymicorum sex sectionibus comprehensa, dissertatio de imperfectione doctrinæ Chymicæ de qualitatibus in duas sectiones distributa. Ad Medicinam denique referuntur apparatus ad historiam naturalem sanguinis, in Actis A. 1684 p. 434, in scenam productus, apparatus ad historiam naturalem aquarum mineralium, laudatus in Actis A. 1685 p. 587, tractatus de causis salubritatis & insalubritatis aeris, tractatus alius de specificorum remediorum cum corpusculari philosophia concordia, recensitus in Actis A. 1686 p. 373; observationes quædam visum vitiatum concernentes, de quibus in Actis A. 1688 p. 490, & denique collectio remediorum maximam partem simplicium, quam repræsentavimus in Actis A. 1694 p. 377. Sub finem Voluminis tertii comparet index generalis locupletissimus in omnia tria volumina: singulis vero voluminibus præfigitur index contentorum specialis, in quo indicantur argumenta rerum in singulis tractatibus pertractatarum.

Notæ, quas adjecit Cl. Editor, sunt paucæ, sed selectæ, desumtæ potissimum ex scriptis *Newtoni*, Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ & Transactionibus Anglicanis. Nos inde pauca delibabimus. Ad discursum præliminarem reprehendit nonnullos conterraneos suos, qui parum philosophice effectus rerum naturalium, veluti gravitatem, in voluntatem Numinis immediate resolvunt, reclamante praxi *Newtoni* atque *Boylei*, quorum ille mechanicam gravitatis explicationem dedit. Ad tractatum de utilitate Philosophiæ experimentalis commendat *Whistoni* explicationem rationalem creationis, quam dedit in nova Theoria Telluris, ubi supponit, per creationem in historia Mosaica intelligi formationem Telluris ex rudi & indigesta mole, cujus rudimenta fuerint atmosphæra alicujus cometæ. Describit experimenta *Freindii*, quibus ostendere satagit muta-

Digitized by Google

mutationem, quam varia medicamenta sanguini inducant, in *Emmenolog.* p. 167, 171, 180, 183. Commendat ejusdem Prælectiones Chymicas ob operationum Chymicarum rationes bene explicatas. De venenis ex *Meadii* tractatu de hoc argumento conscripto varia excerpit. Ex Transactionibus Anglicanis adducit modum fructus arborum atque flores per integrum annum conservandi in arena, cujus tribus libris admiscentur boli armeniaci duæ & salis petræ una. Notionem Mechanicæ optime dedisse *Newtonum* in præfatione ad opus præclarum Principiorum, de quo nuper diximus, & *Wolfium* optime explicasse notionem Philosophiæ mechanicæ atque Philosophi mechanici, cujus ex ipsius Elementis Mechanicæ verba adducit. Recenset *Whistoni* propositum inveniendi longitudinem maris ope acus inclinatoriæ, & *Halleji* campanam urinatoriam, in Transact. Anglic. num. 349 & 368 descriptam, laudat. Commendat *Hombergii* methodum extrahendi majorem quantitatem olei essentialis ex plantis, quam vulgo fieri solet, & praxin poliendi ac parandi vitra optica omnis generis, a *Wolfio* in Elementis Matheseos universæ traditam. Citat ex *Newtoni* Principiis, quod sonus propagetur intervallo unius secundi circiter 1142 pedes, & notat, quod juxta *Hallejum* gravia prope tellurem cadant 16 pedes & digitum unum intra secundum temporis scrupulum, & quod *Hombergius* vi caloris argentum in aurum converterit. Ad tractatus physicos inter alia commendat *Newtoni* explicationem crystallisationis; *Woodwardi* experimenta circa vegetationem; *Newtoni* explicationem solutionis salium in aqua, præcipitationis, fluiditatis & firmitatis, fixitatis & volatilitatis; ejusdem demonstrationem porositatis; *Jacobi Keilii* Medicinam Staticam Britannicam; leges motus traditas a *Wallisio*, *Wrenno*, *Hugenio*, *Varignonio*, *Bernoullio*, *Keilio*, *Newtono*; speculum causticum *Villetanum*; *Stephani Gray* & *Hauksbeji* experimenta singularia de electricitate; *Hombergii* experimentum de glacie, æstate celerius in vacuo, quam in aere liquata; *Gauteronis* observationem de evaporatione aquæ majore sæviente frigore, quam in aere temperato; *Newtoni* inventa prorsus singularia de lumine atque coloribus. Describit præparationem cœrulei Borussici; theo-

theoriam colorum juxta principia *Newtoniana*; ſapientiam Dei in locandis planetis circa Solem, ab eodem demonſtratam; uſum Cometarum ab eodem in apricum productum; convertibilitatem mutuam lucis in corpora craſſa & corporum craſſorum in lucem ab eodem aſſertam; actualem infinitatem univerſi ab *Hallejo* probatam; *Jurini* methodum obſervationes meteorologicas inſtituendi; *Muſchenbrækii* experimenta de materia ſubtili; *Newtoni* theoriam de igne & flamma, & argumenta ſtabiliendi vacuum. *Pembertoni* explicationem motus muſculorum ceteris hypotheſibus omnibus præfert. Varia paſſim adducit *Houksbeji* experimenta & ejus explicationem phoſphori materialis probat. Ad ſcripta Chymica *Hombergii* experimenta varia ex Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum notat; ad Medica vero *Freindii* & *Jurini* nonnulla.

JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGI R. G. Obſervationes quædam Phyſicæ de Generatione lapidum figuratorum.

§. I.

SI varietatem lapidum intuemur, merito admiramur vaſtiſſimum Dei conditoris intellectum ac ſapientiam, nam numerum fere omnem ſuperant & nunquam non ſignis ſat evidentibus inter ſe differunt, adeo ut ob imminutionem in tantillas & tam innumerabiles particulas, quæ tamen prima ipſorum elementa nondum conſtituunt, totidem quaſi mundos & pulcritudinis divinæ luculentiſſima veſtigia præbeant. Ante ætatem noſtram eruditi de quibusvis lapidibus non adeo fuere ſoliciti. Tandem vero Scheuchzeri, Roſini, Brüggemanni, Schröteri aliique prima Lithologias lineamenta duxerunt. De eo inter omnes conſtat, lapides alios eſſe informes, alios formam vel exprimentes vel æmulantes. Informes illi, exceptis ſilice & maximis aeri expoſitis petris, hodieque ex maſſa argilloſa, limoſave pultiformi, adjuvante aqua & lento igne concreſcunt, eorumque geneſin induſtria humana in fabricandis tegulis æmulatur. Lapis ſpecularis, *Marienglas*, *Fraueneis*, de quo Lipſius ac Harduinus dubitant, an hodie notus ſit, noſtra quoque ætate creſcit & lento calore plenius lucidiusque elaboratur intra terræ cavernas. Eſt in vicinia mea pagus *Erichshauſen*, circiter mille paſſus ad meridiem diſtans, infra quem

quem in colle quodam fodina lapidis ſpecularis reperitur. Reperi ipſemet inibi lapides ſpeculares albos & repercuſſu lucis ſplendidos, in tenuiſſimas laminas fiſſiles, atque omnino ei deſcriptioni reſpondentes, quam Strabo, Plinius, Matthias Sylvaticus, Seneca, Olearius aliique tradiderunt. Præcipue memoratu dignum mihi viſum eſt, quod in cavernæ remotiſſimo receſſu materiam illam ſpecularem tam tenuem, furvi coloris, deprehendi, ut compreſſu digitorum dividere ac friare eam potuerim. Ad ora collis valida bipenni lapidum quorundam moles curavi exſcindendas, eosque, qui introrſum poſiti erant, minus lucentes magisque furvos eſſe animadverti. Anno tandem interjecto eodem redii, & eosdem furvos, ſigno a me notatos, candicantes & ſplendidos vidi. Ubi vero ex materia illa, quæ friari poterat, partem in conclavi tepido poſui, eam ſenſim dureſcere & colorem illum minus furvum induere obſervavi, ut adeo de generatione lapidum ſpecularium nullum ſupereſſe dubium videatur. Ad pagum comitatus Winzenburgenſis *Memerhauſen*, qui hinc (a *Gandersheim*) 4000 paſſus ad occaſum ſitus eſt, præclari inveniuntur lapides ſpeculares, collisque eis obſitus ſatis eſt magnus. Jam diu eſt, quum Vir generoſus *de König* gypſum inde format, id ipſum affirmans, lapidem illum ſenſim generari. In lapide, unde calcem coquunt, eandem fieri formationem ac indurationem, ſatis in propatulo eſt. Nam ſunt putei & fontes, qui reddunt aquas, in quibus igne excoctis inferius particulæ cinericeæ ac albicantes ſubſidunt, quæ invicem impoſitæ & copioſius aggregatæ in conclavi tepido ſenſim in grumos concreſcunt, quibus multum calcis, parum nitri ineſt. Vidi inter Walkenridum ad Nordhuſam & oppidulum *die Saxe*, haud procul a ruderibus arcis priſcæ *Sachſenſtein*, multos fornices minores ac majores, continenter ſibi appoſitos, ex lapide calcis arcuatos, qui ibi frequentiſſimus eſt. Siquid ego judicando adſequi valeo, igni ſubterraneo ac terræ motu fornices illi in ſublime expulſi ſunt, ita ut alicubi fornix in ſublimi medius disruptus appareat, alibi vero alter ſemicirculus in humum relapſus ſit. Niſi lapides illi effectum iſtum adjuviſſent, alibi quoque in viciniæ ſolo alius naturæ idem caſus appareret, id quod tamen ſecus apparet. Quare indubie lapides illi largiter humectati, condenſatione aeris ignem illis inſitum nimis coarctante, ignem excitarunt quendam ſubterraneum, unde elater aeris auctus cruſtam ſuperiorem levavit ac disrupit, ſolumque ipſum, mutuo fulcro & obſtaculo renitente, in fornicum modum conſtitiſſe videtur. Incolæ vocant *Zwerchlöcher, antra nanorum*, uti quidem explicant. Mihi tamen ſit veriſi-

verisimile, subesse æquivocationem, siquidem Germanis *Zwverch* seu *Zwverg* notat & *nanum* & *transversum*.

§. II. De lapidum figuratorum generatione dicturus, nil, nisi quod ipse vidi, teneo & examinavi, proferam, tanta quidem fide, quanta a quoquam expeti potest. Nec dubito, fore multos, qui & eadem & plura in posterum observaturi sint, ne dicam, fortassis esse nonnullos, qui hisce consentanea dudum deprehenderunt. Nam multæ mortalium observationes pereunt, ob vilitatem observatoris, qui sua pro more litteratis consueto cum aliis communicare non potest, vel ipse ea negligit, quæ observavit, quia inde nullam utilitatem redundantem perspicit. At quum nulla veritas est inutilis in sese, siquidem Deus ejus fons est & origo, lithologia usu suo non est privanda. Is usus huc usque plerisque visus est esse palmarius, quod ita copiosissimis documentis universalitatem & veritatem diluvii Noachitici comprobare possent. At nisi e divinioribus litteris illam veritatem antea habuissent cognitam, nunquam ex figuratis lapidibus *unicam*, & *universalem* eluvionem terræ collegissent. Nam qui commentitias exustiones & eluviones Stoicorum, theoriam quorundam Astronomorum Anglicorum de tellure, vel sententiam de diluvio non universali amplectuntur, illi demonstrationem illam pro solida reputare nequeunt. Ego quidem, quin diluvium Noachiticum fuerit universale, nullus dubito. At præterea nullas alias particulares eluviones, terrarum disruptiones, abrasiones, & alluviones exstitisse, infitiari non audeo. Viget diluvium Noachiticum sua veritate, licet nulla præterea ex lapidibus terræ accesserit comprobatio. Nam non est committendum, ut ex eis, quæ in utramque partem disputari queunt, vel longe secus, ac fingitur, sese habent, firma pro veritate divina petantur præsidia. Mihi certe nunquam probabile visum est, omnes figuratos lapides esse diluvii Noachitici reliquias, licet me nunquam viris doctissimis æquiparaverim, sed tenuiter satis de mea imbecillitate sentiam. Nam verisimile mihi apparuit, sapientiam Dei præcipue ex mutationibus terræ exsplendescere, qui optime humanam fragilitatem habet cognitam, intime gnarus, quotidiana, licet maxima & potentissima, nisi nova scenæ varietas accesserit, existant, sensim in animis hominum evilescere. Eandem sapientiam divinam in variis scenæ variegandæ adminiculis supra terram tantum non quotidie deprehendimus. Humanum genus quotidie novas recipit proles, & recens nati defunctorum supplent vicem. In animalium, arborum & fruticum genere, immo in ipsa maris abysso, patercam Deus voluit nego-

negotiosam & ad varietates & novitates tendentem. Undenam igitur in ipso regno minerali exularent generationes & formationes novæ, in ipsis lapidibus figuratis? Quis enim ignorat, margaritas, spongiam, & lapidem spongiæ ac alia hodieque generari? Appuli igitur animum ad lapides figuratos, ac in multis, quod ita esse suspicabar, generationem hodieque solitam satis superque observavi.

§. III. Præcipue id mihi curæ fuit, ut ejusmodi signa animo præciperem, quæ nonnisi generationem illam designare poterant. Quare ita mecum statui, illud omne generari, quod in matrice sua informe adhuc, pusillum, mollissimum & facile in quasvis particulas dividuum deprehenditur, cinctum in vicinia ejusdem generis lapidibus cujusque magnitudinis, aliis aliqua parte nondum satis evolutis, aliis ad perfectiorem speciem, quamvis molles adhuc & conteri non nescii eidem sint, pergentibus, sat induratis & cohærentibus. Certius illud ipsum fore putavi, si minimos ejusmodi lapillos suæ matrici adhuc inclusos in loco natali vel alibi positos observarem grandescere sensim, ac pleniorem longitudinem ac crassitudinem induere. Hoc enim judicium *intuitivo* par esse succurrebat. Tertium facile prævidi, me ægre tam fortunatum fore, ut multos ejusmodi lapides in matrice sua insertos & puellos vel pusiones adhuc teneros animadverterem: judicavi igitur, inesse aliquid posse figuræ, unde elucereat, an lapidis ejusmodi, an terræ circumstantis durities fuisset prior. Quidquid igitur fuit ante diluvium Noachiticum corpus durum, osseum, corneum & firmiter compactum, illud ipsum a circumstante solo limoso ac molli nequiit distorqueri, dimidiari, imminui vel in figuram anomalam componi. At contra, ubi trochitæ, conchitæ, trochlitæ aliique in terra molliori latent, simulque sunt distorti, heic vel illic a figura sua dejecti, mutilati, fractique, adeo ut ipsi terræ circumstanti figuram cavitatis omnino impressisse sentiantur, omnino tum innotescit, corpus lapidis ipsum continere ejus vicissitudinis rationem. Quartum addidi signum, videlicet inde depromtum, ut observare intenderem, an lapis lapidem ita transiret & perforaret, ut nonnisi ita crevisse intelligeretur. Erat animus ad lapidum dissolutionem ac abrasiones ex attritu solitas observare, &, ubi de generatione constaret, in stamina prima ac semina eorum inquirere.

§. IV. Cornuum Ammonis heic circa Gandesiam mira est copia, at non unius generis. Species ad minimum triginta intra biennium collegi, pluresque supereſſe nondum mihi visas, haud invitus credo. Ex una tamen certæ speciei genesi proventus re-

liquorum & origo pateſcit. Incidi igitur, ab alio monitus rei ipſius ejusque ſtudii imperito, in rivum, qui ab ortu Solis ad occaſum ſeptentrionalem e monte ſatis alto citra præfecturam *Winzenburg*, ad 4000 admodum paſſus a me diſtantem, per varios anfractus labitur. Unda ejus cornua Ammonis, belemnitas, cochlitas, elaitas (*Olivenſteine*,) lignum petrificatum & lapides rotunde longos pertuſos propellit. Examinavi eam ipſam, cum fere exſiccatus eſſet amnis æſtivo tempore, ad lancem pharmacevticam & cubum ex lamellis metallicis compoſitum, gravioremque deprehendi, quam fluentes alias aquas. Cauſſa gravitatis indubie variat pro multitudine aquarum, ſiquidem ferri particulæ inſunt aquæ, qua ideo fabri ferrarii pro durando ferro libentius utuntur. Inveni inibi globos terreos ſatis duros, qui, lapidibus aliis confracti, ferri venas oſtenderunt. Cornua quoque Ammonis recens ibi nata plerumque in cruſta extima ſplendent in modum orichalci, at materia illa eis tam tenuis inhæret, ut facillime poſſit abradi, nec in majoribus durioribusque cornibus deprehendatur. Reperi in undis ipſis partem ligni, quæ ſecuris impulſu ex arbore decidit, uti aſpectus cuivis facile prodit, ſatis gravem, in qua pori expleti ſunt materia ejusmodi ſplendente ferrea, in ſignum ſatis certum, gravitatem illam & cum lapide ſimilitudinem ortam eſſe ex particulis ſucci cujusdam Martialis ac ferrei. Cum hinc & inde ripam, gurgitem, vada, arenas pertentarem, in ripa & alicubi in ipſo aquæ fundo inveni maſſam molliorem, cæruleam, ac pinguem, horizontaliter multo magis fiſſilem, ubi aliquanto tenacior ac lentior erat, quam ad verticem ac perpendiculum. Inibi inveni mirificam ſegetem illorum cornuum cujusque ætatis & molis. Nonnulla nonniſi curatiſſimo obtutu vel appoſito microſcopio videri poterant. Omnia in molli ſolo ſunt mire mollia, & ſua ſponte ſæpius in multa fragmina conlabuntur. Extrinſecus albicant, isque color ſignum eſt, cornu adeſſe minutiſſimum, ſi præter albicans ejusmodi punctum nil videris. In maſſa digitum longa & lata ſæpius triginta cornua minima inſunt. Inveni ibidem maſſam duram ſubrubicundam vix digito æquantem, minorisque craſſitiei, in qua quatuordecim matrices cornuum ejusmodi & ultra decem cornua eminent, ac indubie alia incluſa tenentur. Eminet in eadem maſſa conchites cæruleus valde exiguus, ſatis tamen conſpicuus, adhærens reliquis figuris. Sunt mihi etiam cornua, quorum alterum per alterius medium vel partem transadactum eſt, manifeſtiſſimo indicio, cornua illa generari. Selegi eadem mente locum in ripa, eumque probe pertentavi, diametros ſingulorum cornuum exiguorum deter-

Digitized by Google

terminatas inſcripſi ſecundum ordinem ſitus chartæ, ac deinde eum poſt trimeſtre ſpatium reviſens diametros inveni majores, ut quisque animadvertere idem poſſet. Minima quoque ac molliſſima cornua aperui, ac in non uno, ſed multis obſervavi eandem ſoli cœruleam ac pinguem materiam, qua ripa conſtat, quibus illa ſcindendi veſtigia deerant, ſimulque animadvertere erat pronum, cornua, quo magis ad centrum in arctum coeant, nondum eſſe facta & expleta, ſi fuerint minima, ideoque ad centrum abeſſe gyri figuram & curationem evolutionem. Quo vero majora ſunt illa cornua, eo elaboratiora ad centrum apparent. Sunt multa maxime exigua, in quibus partes illæ centro contiguæ adhuc deſunt. Maſſæ partem ſatis magnam aliquando afferendam curavi, eamque incluſi vitro arctæ cervicis obturato, immiſta aquæ Martiæ particula, ex ratione paullo ante allata, uti incrementum coram intuerer. Nec illa ſpes me vano ſucceſſu eluſit, ſed ita contigit eventus, uti illum antea ſuſpicatus eram, & quidem intra quatuor menſes. Operæ quoque pretium illud addidiſſe fuerit, aquam nive ſoluta exuberantem ripam pulſare multasque dimovere cornuum particulas a reliquo corpore, ſiquidem pleraque in ſua matrice conſtituta tam ſunt mollia & diſſipationi prona, ut ægre aliquod retineas integrum. Hæc eſt cauſa, cur multa cornuum vulgo inveniantur fragmenta. Mirabile viſu eſt, *ſenes* horum lapidum juncturas ſenſim arcuatas laxare, uti ſpinam dorſi & inde divergentes utrinque coſtas facile pervidere poſſis. Multa quoque cornua guttis pluvialibus excavata & partim laxata teneo. Multa heic quoque in agris & fodinis terræ profundiſſimis inveniuntur, quæ multis olim revolutionibus fuere admodum lævigata, licet ſint duriſſima. Malim heic corollarium meum diſſimulare, quam ea proferre, quæ nonnullis non probantur. Præſtat enim alicubi ſilere quam ſuperſtitioni anſam criminandi præbere. Sufficit in præſens, generationem & interitum cornuum Ammonis ſatis fuiſſe evictam. Poſthac plenius in ſtamen & ſemen ipſum inquiram, ubi beneficio valentiorum microſcopii exquiſitiſſimi uſu fuero inſtructus. Gradus incrementi & compoſitionis rationem magna ex parte jam perquiſivi, ſed ea quidem longiora & pluribus obſervationibus elimanda ſunt.

§. V. Ea vero cornua, quæ circa Gandeſiam inveniuntur, præcipue juxta cœnobium Brunshauſen, pagos Gremsheim & Alten Gandersheim ſunt triplo majora, coloris plerumque candidi, nullis punctulis in lateribus conſpicua eminentibus, qualia in multis Winzenburgenſibus, non tamen omnibus, deprehendo: nulli ramentis ferreis in extimo inſignia: nec tam elatis

& arctis ſtriis eximia. Facile igitur patet, longe aliam horum eſſe ſedem, quam tamen, ſtudioſiſſime ſciſcitatus, detegere non potui. Inducor etiam facile, ut ſuſpicer, quia cornua illa albicantia maxima per multa heic milliaria ſparſim inveniuntur eluvionem quandam majorem in cauſa ejus diſperſionis eſſe ponendam, ſiquidem abraſiones antea dictæ idem ſatis oſtendunt. Proxime cornua omnia, quæ collegit SERENISSIMA ABBATISSA, PRINCEPS MEA CLEMENTISSIMA, & quæ ipſemet in promtu habeo, in certas claſſes referam.

§. VI. In eisdem aquis Winzenburgenſibus inveni concham inter cornua enatam, uti facile patet, nam alias quoque, quæ facile ſtilo in partes ſubtiliſſimas ſolvuntur ex eodem ſolo pingui ſiſſili cœruleo reperi. Eſt locus ad Hildeſiam dictus pagus Monachorum, ſeu potius *Monachorum campus*, haud procul a Pontificio Hanoveranæ jurisdictionis cœnobio *Marienrode*, ubi ſolum eſt ex limo flavo & arenis mixtis concoloribus compoſitum. Inibi inveniuntur pulcherrimæ conchæ & ſtriatæ & læves, ſimplices & quoque duarum valvarum, quaſi concha conchæ coitus cauſa inſideret. Habeo nonnullas illarum, in quibus concha concham ſecat & per mediam tranſit, aliasque, quibus obſtans lapillus plenius incrementum & viam evolutionis denegavit, ut inde plane appareant irregulares. Aliquas ſolvi ſpiritu acriori in ſolum illud flavum, unde conſtant, certiſſimo indicio, conchas illas fuiſſe natas ex illo ſolo. Idem claro obtutu in lævibus conchis patet cuivis. Ad cœnobium Brunshauſen in lapidicinis obviæ ſunt ſimilos, ſed cinericii & albentis coloris pro ſimilitudine ſoli, quarum multæ ob impedimentum ſaxi appoſiti ſunt admodum irregulares & ſtriis vel extremitatibus alicubi coarctatis. Molles igitur fuerunt, nec tam duræ, ut lapis oppoſitus, ſimulque, eas fuiſſe generatas, apparet. Os in minimis illis conchis pars prima eſt, quæ clare apparet, ceteræ vero partes alicubi apparent imperfectæ, mutilæ & mancæ. Caput igitur ibi eſt punctum ſaliens, uti in cornibus Ammonis pars extrema.

§. VII. Ita quoque ſtellæ marinæ ad ripas fluvii Leinæ procreſcunt, uti ex eisdem indiciis colligo. Cochlitæ vero in buxi inferiori puncto creſcere incipiunt. Partem limi flavi in examen hujus rei curate perſpexi, & in eo, qualis ad Gandeſiam obvius eſt, multos cochlitas deprehendi cujusque magnitudinis trium generum, exiguis nudum oculum fugientibus. Nonniſi in limi parte extima & Solis calori expoſita proveniunt. Quare partem in eo loco exteriorem removi, ubi cochlitæ nulli apparebant, & clapis

elapſis duobus menſibus punctula alba prodierunt, quæ ſenſim facta ſunt majora. Alios cochlitas cinericii coloris, ubi adhuc erant molles, reſolvi in ſoli, quod eos habet, particulas & colorem. Cochleæ ſane vivæ domicilium ſibi non formant, ſed ejus involutio in ovi teſta jam latet, in qua ea pars, quæ dein aperitur, ſenſim in excluſione concidit, extremitas vero quædam ſenſim apparet pro fundo ac centro domicilii, quod quotannis duabus ſtriis ex lento humore cutis beſtiæ confirmato prolongatur, uti ſuperiori æſtate obſervavi. Sapientia Dei clariorem omnino in nobis ſpargeret lucem, ſi in his protrahendis & obſervandis eſſemus diligentiores.

§. VIII. Belemnitæ & elaitæ creſcunt quoque in aqua Winzenburgenſi illa ex eodem cœruleo ſolo, eosque tam molles deprehendi in ejus ripa, ut præter figuram nil intereſſet. Belemnitæ Brunshuſani non ſunt cœrulei, ſed gilvi ex furvo & ſplendido aliquid trahentes. Sunt mihi, in quibus novus & junior in medio jacet belemnita, ut inde facile colligam, belemnitam alterum generari in altero. Alicubi confricti odorem exhalant & contuſi præbentur vaccis contra morbum, quem vocant *den Alp*, unde etiam *Alpſteine* dicuntur. Si Brunshuſanis applicatur lingua, tum retinetur & adſtringitur, contuſi vero præcipitantis ſunt virtutis, uti in aceto inde mitigato obſervavi. Sunt qui contuſum pulverem febri medicari aſſerunt, quia ſcilicet acorem præcipitant lentum, ſed ejus rei experimentum haud feci.

§. IX. Trochitæ ſuperſunt, quorum in lapicidinis Brunshuſanis mira ſcatet copia. Novam plane de eis theoriam teneo. Nam lilia lapidea tria invenimus, affabre ſtructa, quorum figuram proxime dabo, quorum extremitates exeunt ſuperiori ex parte in trochitas & additas adſtringentes claviculas acutas pro ſolo perforando. Inventionem primi & tertii debemus *VIRO ILLUSTRI, JOANNI ANTONIO KROL DE FREYEN*, quæ mihi anſam ſuppeditavit audacter quærendi, & feliciter illam infortam & alicubi coarctatam inveniendi. Roſinus in Tr. de *Stella marina* vocat *roſam*, quam lilium voco, videturque omnino receptaculum ejus & inſidentes aculeos non animadvertiſſe. In multis trochitis eadem acumina deprehendi. Calore Solis vel terræ accedente trochitæ illi ſolvuntur in confinio rotarum, ſed, ſi fuerint molles, frangi nequeunt, ut rotæ ſeparentur, tam arcte dentes inſerti compaginationi. Multa ſine eorum ſunt genera. Aliquot obſervavi dentes ſolviſſe, ex

ea

ea parte, qua radii Solis inciderant, parte oppoſita firmiter concluſa. Unde vero illa lilia naſcantur, rimari ob pauzitatem & duritiem nondum potui. Unum tamen eorum mire a lapide circumſtanti preſſum eſt & in irregularitatem abiit, ut facile arbitrer, olim ea fuiſſe mollia ac diſſipationi non cedentia. Sunt mihi complures lapides figurati, ſed, quia illorum generationem ipſe nec obſervavi nec fingere audeo, de eis heic tacere non inſulſum erit. Id tamen dicendum eſt, in lapidum exteriorum cruſtis enatas eſſe lineas atras, ob pluviam incidentem, quæ arbuſta & arbores repræſentant. Sed omnia ibi pendent a caſu, quem luſum naturæ vocare poſſumus, qui in cauſa eſt, ut radii hoc alioque modo repercutiantur & inde color ille ater prodeat. Spero tamen fore, ut in hæc quoque ſenſim arcana, Optice in ſubſidium vocata, penetrem. Poſt hac dabo plura, ubi animadvertero, alios quoque obſervationes ſuas eſſe addituros & lithologiam adjuturos. Heic enim multa a cujusque patria & domicilio vel itineribus dependent.

DE VETERI LAPIDE PORPHYRIO, NOTIS Hieroglyphicis decorato.

EXhibemus Tibi, Lector, porphyrium lapidem duriſſimum, eadem, qua conſtat, forma repræſentatum, qui nunc in manibus eſt Viri illuſtris, *Caſparis Sigismundi a Berbitsdorff*, Domini in Kunheyde & Rückertswalda, Potentiſſimo Regi Poloniæ & Electori Saxoniæ a Conſiliis Provocationum, & Canonici Numbergenſis. In ejus altera facie, quæ plana, inſculptæ ſunt difficili labore notæ hieroglyphicæ, quas eruditis Antiquariis evolvendas proponimus, in altera, quæ convexa, nihil comparet præter circulos ex ingenio forte additos, ejusdem tamen cum notis illis antiquitatis. Nos de eo nihil addimus, niſi quod notamus, lapidem hunc ante paucos annos in Miſnia noſtra, prope ipſam urbem Miſenam, ſub muro veteris monaſterii in pago Seidliz, cavitati cuidam inſertum, probeque conſervatum, fuiſſe inventum. Quodſi quis paulo ſagacior ejus explicationem nobiscum communicaverit, eam Actis noſtris quam primum inferere haud gravabimur.

TAB. I. Fig. 10. 11.

)(o)(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXVII.

JOANNIS SCHILTERI, JCTI OLIM ARgentorat. Theſaurus Antiquitatum Teutonicarum, Eccleſ. Civilium, Litterar. Tomus I. Poſt ſedulas B. Schilteri curas Otfridum ad vetuſtiſſ. Codd. MS. caſtigavit emendavitque, Willeramum & Keronem plane ineditum, novos e MSC. dedit, notas & aliorum & ſuas plurimas addidit JO. GEORG. SCHERZIUS, D. Pand. & Juris Publ. in Univ. Argent. P. P. Præfationem generalem præmiſit JOANNES FRICKIUS, S. T. P.

Ulmæ, ſumptibus Danielis Bartholomæi, 1727, fol. Alph. 10 pl. 16 Tabb. æn. 3.

QUod diu, ut in lucem protrahatur, ardentiſſimis votis expetiverunt Eruditi, prodire tandem nuper cœpit Opus *Schilterianum*, poſthumum quidem, at dudum ab Autore prelo prorſus paratum. Non eſt, ut longo ordine hic commemoremus alios, qui de veteri lingua Teutonica ſolliciti origines ejus accurate evolverunt, ut e Germanis Joach. Vadianus, Ge. Schobingerus, Juſt. Ge. Schottelius, Goldaſtus, Freherus, Lambecius, Morhofius, & noſtro tempore Dider. von Stade, Jo. Diecmannus, Jo. Ge. Eckartus; e Belgis Bonav. Vulcanius, Merula, Scriverius; e Suecis Rudbeckius & Verelius; e Danis Wormius; e Gallis Car. du Freſne, Baluzius, Mabillonius; ex Anglis, qui Anglo-Saxonicam linguam excuſſerunt, Franc. Junius, Ge. Hickeſius & longe plures, quos nomina-

vimus in Actis A. 1706 M. Martio p. 97. Nemo certe superavit industriam B. *Schilteri*, qui multorum annorum labore Thesaurum hunc veterum Scriptorum Teutonicorum, notis suis illustratum, ut & Glossarium longe utilissimum, quod adhuc exspectamus (tribus enim Tomis opus constabit) collegit, & quamvis, Autore 1705 d. 14 Maji vivis erepto, de illius editione ferme desperatum esset, accidit tamen singulari Reip. literariæ commodo, ut opus præstantissimum cum reliqua B. Viri supellectile libraria in manus pervenerit Viri Cl. *Jo. Christophori Simonis*, Argentinensis, nunc Syndici liberæ Civitatis Imp. Campodunensis. Is, cum operam suam obtulisset dexterrimus Bibliopola, *Bartholomæus*, non modo non invidit Thesaurum hunc eruditis, verum & alia, quæ adjungi possent, e Bibliotheca Sangallensi liberaliter suppeditavit. Nec dignior profecto inveniri poterat, qui librum recenseret, Viro in his litteris exercitatissimo, *Jo. Ge. Scherzio*, JCto & Polyhistore Argentinensi celeberrimo, qui id dedit operam, ut non modo Schilteriana omnia accurate examinarentur, verum & novis iisque doctissimis notis passim illustrarentur. Cui accessit denique S. R. *Frickius*, Collega quondam noster solertissimus, qui ut Præfationem admodum luculentam & eruditam præmisit, ita præcipuam impressionis curam habuisse videtur. Non immorabimur nunc S. Litterarum versionibus Germanicis aliis vetustis, quales Caroli M. aut Ludovici Pii tempore factas tradunt, hactenus deperditas; nec de Ulphilæ Episcopi Gothi Bibliis, seculo IV e Græca, ut verisimile, in Gothicam linguam, quæ ejusdem cum Theotisca originis censetur, translatis dicemus, e quibus IV Evangelia, quæ sola supersunt, accurate ac nitide Dordraci 1665 ediderunt Junius & Mareshallus.

Ad ea pergimus, Biblica præsertim, Opera, quæ primo hoc Thesauri Tomo ejusque Parte I continentur, in quibus primum merito locum occupant *Otfridi*, Wizemburgensis seu Weissenburgensis in Alsatia Monachi Ordinis Bened. libri poetici Evangeliorum, ipsi Regi Ludovico Germanico inscripti, quos, ab Achille Priminio Gassaro accurate descriptos & partim illustratos, Flacius Illyricus edidit Basileæ 1571; de quo quidem opere valde errarunt Usserius & Whartonus, a Cl. Frickio in præf. emendati,

Dupi-

Dupinius vero, editum fuisse, plane ignoravit. Hanc ergo editionem B. Schilterus, cum alia præsidia deessent, solam secutus, &, ut erat maxime corrupta, ex ingenio emendare conatus est, præterea librum totum, sacris præcipue horis, ita Latine vertit, ut Germani potius idiomatis, quam elegantiæ sermonis Latini rationem habuerit, & ubi res postulabat, notas adjecit eruditas, præfationemque præmisit, in qua de historiis sacris carmine expositis, num justum constituant poema? acute inter alia disputat. At ingens nunc demum operi pretium addidit Celeb. Scherzius, qui & a D. Jo. Phil. Schmidio, Argentinensi, Consiliario quondam Leinensi, Codicis Vindobon. Cæsarei, cujus specimen dederat Lambecius, apographum integrum, cum ejusdem Schmidii animadversionibus ineditis ad observationes Lambecianas, & a Friderico Rostgaard emendationes, e vetustissimo Codice Palatino-Vaticano Romæ descriptas, singulari felicitate obtinuit; nactus & ipsum illud MS. quod Typographis inserviebat, cum Flaciana editio imprimeretur, quodque nunc exstat in instructissima Illustris Raymundi Krafft a Delmensingen, Reip. Ulmensis Consularis, Bibliotheca, nec insuper habens Dieterici a Stade Specimen ex Otfridi Evangeliis, Stadæ 1708 proditum. Unde adeo non textus modo, verum & notæ Schilterianæ corrigi oportune potuerunt. Sequitur hæc Evangelia *II.* Psalterium Davidis, ex Latina quadam versione veteri (certe non Vulgata) a *Notkero*, tertio Abbate S. Galli, quem *Labeonem* a latioribus labiis dixerunt, A. 1022 mortuo, in linguam vernaculam traductum & paraphrasi illustratum, quod ex avtographo Bibliothecæ Sangallensis descriptum jam olim, & ab illustri Simone de Loubere (qui olim Regia legatione Gallica ad R. Siamensem defunctus, præter aulæ negotia literas maximopere promovit, eoque in utramque Academiam, Parisiensem Regiam, & Inscriptionum receptus, nunc octogenario major Tolosæ, in patria, inter libros vivit; conf. Act. Er. 1692 p. 479) B. Schiltero communicatum, & ab hoc egregie illustratum, una cum Notkeri versionibus Canticorum *Esaiæ*, cap. XII, *Ezechiæ*, *Ej.* XXXVIII, *Annæ*, 1 *Sam.* II, *Mosis*, *Exod.* XV, *Habacuc* c. I, *Deuteronomii* c. LII, *Zachariæ* & S. *Mariæ*, *Luc.* I, Symboli item Apost. Orat. Domin. &

Fidei S. Athanasii, nunc primum in lucem prodit. Cum vero Lambecius ex forma literarum Codicis Ambrosiani, quem Oeniponte repertum ipse intulit Bibliothecæ Vindobonensi, tum ex Trithemii testimonio, Psalterium hoc ipsi Otfrido vindicare ausus sit, dignus Monasterii S. Galli, cui Notkerus præfuit, Capitularis, S. Theol. Professor & Bibliothecarius, *Bernardus Franckius*, operæ pretium duxit, ut opus singulari & erudita Dissertatione critico - historica, quæ libro merito integra hic præmissa fuit, Notkero suo vindicaret. Cujus præcipua argumenta, ut alia taceamus, eo redeunt, ut probetur, e Trithemio nondum patere, eum de hoc ipso Psalterio locutum, judicium vero Lambecii de ætate Codicis sui esse lubricum, & imprimis Germanismum & stylum longe alium in Otfridiano opere ac in nostro deprehendi, quod orationis Dominicæ, ab utroque exhibitæ, exemplo ad oculum patet. Proximus Notkero uti ætate, ita & loco est *Ill. Willeramus*, Eberspergensis in Bavaria, non Merseburgensis, ut Trithemius, errore nominum confinium inductus, monasterii inter primos Abbas, anno, ut creditur, 1085 defunctus, qui duplicem dedit Paraphrasin Cantici Canticorum, Henrico IV Imp. olim oblatam, Latinam alteram poeticam nec inelegantem, alteram Theotiscam in prosa. Hæc etsi jam olim a Paulo Merula, infelicius quidem, typis Raphelengii 1598, iterumque Wormatiæ, apud Vœgelinum 1631, e Codice Bibliothecæ Palatinæ, opera Marquardi Freheri, sed absque paraphrasi Latina, prodierit, quam postremam editionem sequi constituerat B. Schilterus, qui & ex ipso Eberspergensi monasterio, Cl. Velsero curante, eleganter in membranis descriptum Codicem nactus fuerat; Cl. Scherzius tamen, cum non nesciret, Codices duos vetustissimos, alterum in Vindobonensi Bibliotheca, alterum in Rhedigeriana Vratislaviæ exstare, omnem movit lapidem, ut utriusque apographum accuratum nanciscereturr. Et quamvis spes eum, quam egregiam habuit, quantum ad illud, adhuc eum fefellerit, obtinuit tamen haud difficulter Vratislaviense, prorsus ad Codicem MS. depictum, curante Viro de re litteraria optime merente, Gottlob Kranzio, Bibliothecario, Rectore ac Professore Vratislaviensi celeberrimo, cui eo nomine hoc plus debebit Resp. litteraria, quod dignum

Digitized by Google

gnum Codicem præ ceteris duxit Cl. Scherzius, quem in hac editione sequeretur, non plane contemtis quidem variis lectionibus, apud Merulam, Vœgelinum, & imprimis Eckartum in Historia studii Etymol. C. XIV obviis, additisque insuper non suis modo & Schilteri, verum & Pancratii Castricomii & Franc. Junii observationibus, seorsim Amstel. 1655 editis.

Sequuntur Parte II opera quædam breviora, scilicet *IV. Isidori*, Hispalensis Archi-Episc. qui cum maxime floruerit initio seculi VI, ratione alterius Isidori, centum fere ante annos clari, Junior vocatur, de Nativitate Domini &c. Fragmentum, e libro illius contra nequitiam Judæorum in Francicam linguam vetustissimam duobus, ut nonnullis visum, seculis ante Otfridum ab anonymo translatum, cum ipso Isidori textu Latino. Hoc insigne antiquitatis monumentum cum a Jo. Phil. Palthenio Tatiani Harmoniæ additum, & notis ad linguæ notitiam plurimis instructum, adhuc in omnium sit manibus, solum quidem, quod Schilterus reliquerat, exemplum hic sequi Editores nostri satis habuerunt. *V. Keronis*, Monachi Sangallensis, qui circa A. 720 floruit, Translatio Theotisca Regulæ S. Benedicti, e vetustissima & fere coæva, aut avtographa, ejusdem monasterii membrana nunc primum ab Editoribus, longe spem a se antea factam superantibus, in lucem protracta. Nam ex quo Goldastus rerum Alemann. Tomo I P. I p. 69 ex eadem Keronis versione Glossas Theotiscas, juxta ordinem alphabeticum vocum Latinarum digestas, publicavit, multi, frustra quidem hactenus, optarunt, textum ipsum Theotiscum connexum in lucem protrahi. Cum vero laudatus supra Rev. P. Bern. Franckius intellexisset, in defectu antiquioris illius translationis, recentiorem quandam, quæ forte in manus Schilteri inciderat, in hoc Thesauro compariturum, non gravatus est ultro offerre Codicis illius, adhuc in Monasterii sui Bibliotheca extantis, cujus ætatem ipse Mabillonius, cum inspiceret, ad annos nongentos retulit, Vet. Anal. Tomo IV in fine n. 8, apographum, tanto studio descriptum, ut, in textu imprimis Latino, cui superscripta est versio illa, etiam errores retinerentur, & in versione abbreviaturæ seu figla. Qua quidem nimia scrupulositate cum vix consultum eruditis putaret Cl. Frickius, in textu, jam

centies impreſſo, ſecutus potius eſt quoad orthographiam editionem, quam Lucas Holſtenius ad Codicem veterem Vaticanum, A. 800 ſcriptum, vulgavit Romæ 1661, & ex hac pariter aliaque Einſidelenſi in forma minori, quam editores ad XXX Codices exactam affirmant, varias lectiones cuivis paginæ adjecit: Cl. Scherzius vero, ſublatis e verſione ſiglis, integra vocabula Teutonica reſtituit; ex. gr. pro *dr* der, pro *f* fon, fona, pro *liebemu*, thruhtinlichemo, pro *gun* tagun. Succedunt breviora opuſcula duo, *VI.* Index Evangeliorum Dominicalium & Feſtivalium apud Anglo-Saxones, & *VII.* Calendarium vetus Alemannicum, quæ Schiltero debemus, æque ac *VIII.* Monumenta quædam Catechetica Teutonum, Alemannica, Francica, Saxonica, Gothica, Yslandica &c. Agmen claudit *IX.* Poetæ Teutonici incerti, quem Conſ. Scherzius ad ſeculum XII refert, Rhythmus de S. Annone Archi-Epiſc. Colon. quem, e veteri membrana Bibliothecæ Rhedigerianæ Uratislav. Dantiſci 1639 a Martino Opitio cum egregiis notis editum, dignum exiſtimaverat Schilterus, quem cum verſione ſua Latina & notis recuderet, quibus nunc quoque Scherzianæ quædam acceſſere. Ceterum ſpeciminibus afferendis hoc lubentius abſtinemus, quod jam ſatis excurrit hæc libri recenſio, nihil interim dubitantes, vel ex his, quæ diximus, conſtare, quanta cum cura omnia in hoc Tomo fuerint expedita, unde facilis erit conjectura, non minus curate proditura tum ea, quæ Tomus II exhibebit, tum imprimis Gloſſarium Schilterianum, Tomo III exhibendum, quæ omnia intra unius anni ſpatium ſe daturum, pollicetur Typographus ſolertiſſimus.

ADRIANI A CATTENBURCH, S. S. THEOlogiæ inter Remonſtrantes Profeſſoris, Spicilegium Theologiæ Chriſtianæ PHILIPPI A LIMBORCH, S. S. Theologiæ inter Remonſtrantes Profeſſoris celeberrimi: variis Diſſertationibus Hiſtorico-Eccleſiaſticis, multisque ad praxin pietatis promovendam pertinentibus refertum.

Amſte-

Amstelodami, apud Balthasarum Lakemann, 1726, fol. Alph. 12 plag. 12.

EX quo inter illos, qui in Belgio Remonstrantium nomen præ se ferunt, celebris sectæ hujus Autor, Simon Episcopius contulit se ad Institutiones Theologicas conscribendas, exemplum ejus Stephanus Curcellæus & Philippus a Limborch secuti sunt, atque in eo collocandam esse operam censuerunt, ut universa Theologiæ Christianæ, cum fidei, tum vitæ capita justo ordine traderentur. Summam *Theologiæ Christianæ* Limborchii indicavimus in Actis 1686 p. 515, cumque nova illius editio prodiret 1715, illius quoque in Actis 1715 p. 524 mentionem fecimus, atque imprimis, quæ accessit, relationem historicam de origine & progressu controversiarum in Fœderato Belgio de prædestinatione enarravimus. In opere hoc cum Clarissimus Autor noster multa omissa esse observaverit, quæ omnino a divinioris doctrinæ cultoribus sint cognoscenda, consilium cepit Spicilegium hoc conscribendi. Nec infeliciter labore, quem suscepit, defunctus est. Ea, quæ Limborchius vel plane non attigit, vel breviter perstrinxit, copiosius est prosecutus. In parte, quæ doctrinas fidei continet, distincte atque uberius disseruit de Dei sanctitate ac benignitate, simulque quæstionem de origine boni & mali expendit, aliaque argumenta de animi immortalitate ejusque facultatibus, de horrore Christi, passionibus atque descensu ad inferos, diligenter illustravit. Idem præstitit in doctrina morum christianorum, in qua de lege naturæ, conscientia variisque vitiorum noxarumque, ac virtutum generibus; speciatim de jurejurando, Sabbato, divortiis atque aliis vitæ Christianæ partibus multa proposuit, quæ a Limborchio sunt prætermissa. Cum hac divinioris doctrinæ scientia conjunxit eruditionem elegantiorem, multaque ex veterum scriptorum Græcorum Latinorumque, Poetarum imprimis, monumentis attulit, quibus argumenta sua modo illustravit, modo confirmavit. Verum dignitas Spicilegii hujus postulat, ut quæ illius sint momenta ac capita, distincte ac speciatim referamus.

Libro igitur I de *Scriptura sacra*, præmissa doctrina de existentia Dei, disputat de libris canonicis & apocryphis, ac de autoritate

ritate Codicis sacri, deque integritate librorum sacrorum, punctatione Codicis Hebraici, de Keri & Ketib, deque Masora, de quibus Criticæ sacræ argumentis eruditorum diversas sententias studiose collegit. De libris novi Fœderis addit, quod omnia genera variantium lectionum illorum referri possint ad quatuor classes, cum aliæ præ se habeant additionem vel unius paucarumve vocum, vel integrarum sententiarum, quæ in receptis vel vulgaribus codicibus non reperiantur: aliæ significent, aliquid esse omittendum, & quidem vel singulas pluresve voces, vel integras sententias, quibus id genus accedat, quod ex mutatione ac metathesi enatum videatur. Hinc disquirit, num notæ spirituum & accentuum ad integritatem novi Testamenti pertineant? & fatetur quidem, quod voces earumque significationes dubiæ reddantur, si accentus ac spiritus desint, graviores tamen adducit rationes pro negativa. Neque minus diligenter collecta sunt, quæ de versionibus, Vulgata, Græca septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis aliorumque; de Syriaca, Arabica, Persica, Targumim differit, præcipue in gratiam eorum, qui litteris Philologiæ sacræ dant operam. In capite, quo de norma interpretandi Scripturam exponit, Romanensibus opponit multa testimonia Patrum, ex quibus pateat, quod ipsi nunquam interpretationibus suis vim normæ cujusdam tribuerint, quos multa erronea admisisse, variis exemplis demonstrat. Denique quæ a publicis Codicis divini interpretibus vel vitanda, vel observanda sint, regulis distincte ac perspicue tradit.

Libro II de *Deo & operibus divinis*, fuse tractat cap. VI de præscientia futurorum contingentium. Utque ostendat, quomodo illa libertati humanæ nullam vim inferat, ponit, quod voluntas, non scientia Dei proprie sit causa rerum, atque addit, si divinæ scientiæ attribuendæ essent operationes, quin Deus autor statuatur peccati omniumque scelerum, quæ videt & prævidet, nullo modo negari posse. Historiam inde controversiæ inter Jesuitas & Dominicanos de auxiliis & scientia media agitatæ breviter refert e Borulli tractatu de *divina scientia futurorum contingentium, præcipue media*, edito Lugduni 1656. Capite VIII de benignitate Dei, in eo imprimis est, ut ostendat, quod mala homi-

hominum atque aliarum rerum conditarum bonitati divinæ nihil detrahant. Considerat triplex malorum genus, imperfectionis, physicum & morale. Contra malum imperfectionis vindicat hanc benignitatem his rationibus: 1) quod cum omnia autorem suum agnoscere debeant, eo ipso non possint non esse imperfecta, quoniam absolute perfectum sit a se ipso; 2) quod universum constet ex diversis partibus, quæ non æqualem possint habere perfectionem, cum totum partibus suis perfectius esse liqueat; 3) quo magis aliquid distet a nihilo, eo magis sit perfectum & possit etiam aliquatenus dici, proprius accedere ad divinas perfectiones: verum enim, quam prope aliquid Deum perfectionibus contingat, aut quibus perfectionum gradibus queat gaudere, nobis sit ignotum. 4) multa nobis inutilia, immo noxia videri, quamvis non exiguum præbeant usum; 5) recte observat, quod absentia perfectionum & commodorum, quibus nonnullæ res præ aliis gaudeant, admodum improprie dicatur malum imperfectionis, cum omnia, quæ Deus condidit, in suo genere sint perfecta. Similes vindicias benignitatis divinæ adversus ea, quæ propter mala physica & moralia objiciuntur, scripsit. Hisce atque aliis attributis divinis expositis, progreditur capite XVI ad doctrinam de Trinitate. Addidit hic duas dissertationes ex historia ecclesiastica. Altera agit de *sententiis hæreticorum de Filio*, in qua disserit cum de antiquioribus hæreticis, qui veritates cœlestes de Filio Dei oppugnarunt, de Sabellio, Paulo Samosateno, Photino, Arianis eorumque sectis, quas distincte recenset, additque historiam contentionis inter Græcos & Latinos, de vocibus *hypostasis* & *personæ*; de Apollinari, Nestorio, Eutychianis atque illorum familiis, Felice & Elypando; tum recentioribus, Socino quippe atque asseclis illius. Altera vero dissertatione disputat de *controversiis & hæresibus, quæ spectant Spiritum S.* eosque, qui doctrinam de Spiritu S. impugnarunt, ad tres classes revocat. Alii enim ipsius divinitatem negant, alii personalem distinctionem confundunt, quibus illi accedunt, qui de personali illius proprietate erronea tuentur. Inter alia refert controversiam agitatam inter Græcos & Latinos de processione: num Spiritus S. etiam a Filio procedat, an vero a solo Patre? quamvis in hisce

Digitized by Google

argumentis historicis brevitatem sit sectatus. In ipsa hac doctrina de Trinitate, capitibus sequentibus explicanda, eum ordinem dicendorum sibi præscripsit, ut primum veritatem illius confirmet, deinde ab illis, quæ Unitarii objiciunt, defendat, tum disputet, num ista cognita fuerit paganis hominibus absque revelatione? id quod merito negat. In articulo de creatione, quem Cap. XIX seqq. persequitur, ubi tractat de angelis, celebrem sententiam *Balthasaris Bekkeri* recenset atque examinat, idem, quod alii jam observarunt, confirmans, niti sententiam ejus falsa definitione Cartesiana spiritus, quod essentia ejus sola cogitatione absolvatur, ex qua fecerit conclusionem, spiritum non posse agere in corpus, id quod quam falsum sit, demonstrat, atque inter alia ad commercium inter corpus & animam provocat. Imprimis vero copiosus est in doctrina de providentia Dei explicanda.

Sequitur Liber III de *redemtione*, in quo eum dicendorum ordinem cum Limborchio suo servavit, ut expositis doctrinis de peccato, lege Mosis ejusque inefficacia, transeat ad articulum de Christo ejusque persona, duplici statu, atque officio triplici. Antequam vero a Mose ad Christum se convertat, disserit de Joanne Baptista. Negat, patrem ejus Zachariam fuisse summum sacerdotem, iis de causis, quod Lucas nullam muneris hujus mentionem fecerit; in indice summorum pontificum a Josepho compositio nullum Zachariæ nomen reperiatur; nec altare suffitus collocatum sit in sancto sanctorum, sed extra ejus velum. Putat, quod *ἀκρίδες*, cibus Joannis, significent veras locustas, atque veterum testimonia adducit, ex quibus constet, quod usus locustarum inter cibos variarum nationum extiterit, additque, quod caput rei hujus sit, in lege Mosis recenseri locustas inter animalia munda, quibus vesci licitum, *Levitic.* II, 21, 22. Ex illis, quæ in doctrina de Christo copiose dixit, attingamus sententiam ejus de *descensu Christi ad inferos*. Primum observat, quod articulus hic primis seculis non extiterit in symbolo Apostolico, posthac occasione hæreseos Apollinarii, Episcopi Laodicensis, post medium seculi quarti insertus. Deinde disputat de sensu hujus articuli, ac refutat opinionem Romanensium de locis subterraneis, speciatim

Digitized by Google

ciatim ſcholaſticorum, qui negant in hoc deſcenſu motum localem, item Calvinianorum, qui deſcenſum hunc metaphorice explicant & per iſtum inferni cruciatus, quos Chriſtus ſuſtinuerit, intelligunt, cui opinioni in ipſa eccleſia Anglicana multi, quos Noſter recenſet, ſe oppoſuerunt. Tum ad ea, quæ ipſe de hoc momento ſentiat, exponenda accedit. Minus probat interpretationem Limborchii, qui per deſcenſum ad inferos intelligit ſtatum mortuorum, ea præcipue de cauſa, quod inter has duas propoſitiones ſymboli Apoſtolici: *Sepultus eſt: & deſcendit ad inferos*, hoc modo nulla fere eſſet diſtinctio. Cum principem locum Scripturæ de hoc articulo extare credat *Pſalm.* XVI, 10 & *Actor.* II, 27, *non derelinques animam in inferno*, multa præmittit de ſignificationibus vocum ἅδης & שְׁאוֹל tandemque hanc opinionem proponit, quod deſcenſus Chriſti ad inferos ſignificet, quod anima ejus intraverit commune receptaculum animarum, idque utrumque & piorum & impiorum, ut itaque ſymboli Apoſtolici autores hanc confeſſionem exegiſſe videantur, quod, ſicut corpus Domini in loco defunctorum fuerit, ſepulcro conditum, ita etiam anima ejus tranſierit in locum animabus deſtinatum poſt obitum, ut hoc modo appareat, eum omnino ſubiiſſe mortem. Verba autem 1 *Petri* III, 10, quæ ex communi noſtrorum Theologorum ſententia omnino de deſcenſu Chriſti ad inferos, tum iſta ex *Pſalm.* XVI, 10, quæ de ſtatu mortis, in quo Chriſtus verſatus eſt, agunt, Noſter ita explicat: Chriſtum eo ipſo ſpiritu, quo redierit ad vitam, ut olim per Prophetas, ſic per Noachum ejus ſeculi hominibus prædicaſſe; verum ſicut pauciſſimi admoverint aures, ideo propter pertinaciam carceri traditi ad diem judicii, & octo tantum, id eſt, pauciſſimi evaſerint; ita pauci tantum futuri ſint ſervandi per baptiſmum, cum plerique doctrinam illius adſpernentur ſeque in perniciem præcipitent.

Liber IV de *præceptis novi Fœderis* maximam fere partem totius operis in ſe continet. Cum enim obſervaverit Cl. Autor, in libris theologicis, quæ doctrinæ Remonſtrantium capita tradunt, etiam in *Limborchii Theologia Chriſtiana*, multa deſiderari, quæ ad Theologiam moralem pertinent, in id præcipue enixus eſt, ut hanc redderet perfectiorem. Primo loco differere inſtituit

de lege naturali, conſcientia, bonis operibus, peccato ejusque variis ſpeciebus ac cauſis, de fide, reſipiſcentia ac confeſſione peccatorum coram Deo. In deſcribendo peccato in Spiritum S. accedit quidem ad ſententiam Limborchii, quod blaſphemia in Spiritum S. id peccatum deſignare videatur, quo opera miraculoſa a Servatore noſtro virtute Spiritus S. patrata adſcribantur diabolo, quamvis illi, qui eam blaſphemiam protulerint, perſuaſi eſſent, non poſſe talia, niſi virtute divina fieri; putat tamen, alia inſuper peccata in Spiritum S. committi: ex. gr. ſi quis fidem clare a Spiritu S. dictatam rejiciat; mundum hunc eſſe opus diaboli, ut veteres hæretici Marcionitæ & Manichæi fecerint, pronuntiet; fidem chriſtianam convellat & ejiciat. Secundo loco tractat de virtutibus ac vitiis, quæ ſpectant ad officia erga Deum, alios & nos ipſos. Ubi exponit de oratione Dominica, uſum illius multis argumentis adverſus eos, qui iſtum proſcribere voluerunt, vindicat, quæſtionem autem, num orationis hujus formula ex Judæorum precibus ſit compoſita? haud definit, nec illam, num Chriſtus formulam hanc bis dictaverit, *Matth.* VI, toti concioni, & *Luc.* II, ſolis Apoſtolis, an vero ſemel tantum? Producit autem egregia teſtimonia, ex quibus patet, quod veteres Chriſtiani hanc precandi formulam maximi fecerint, quamvis & aliis precum formulis ad exempla Chriſti atque Apoſtolorum ſint uſi; quod monet contra ſectam Bogomilorum. Argumentum de jurejurando fuſe pertractat, atque ad multas quæſtiones reſpondet. Memorat loca Patrum, qui exiſtimarunt, Chriſtianis haud licitum eſſe, jurejurando ſe obſtringere atque verba Servatoris *Matth.* cap. V, 33 ſeqq. explicat, quæ minime uſum jurisjurandi plane vetant. Quod cum probaverit, recenſet requiſita illorum, qui ad hunc actum religioſum rite ſuſcipiendum accedere volunt; ritus, qui heic obſervantur, explicat, omniaque alia momenta, quæ ad eum, per quem jurare quis debet, ad ipſas res, de quibus juratur, & obligationem juramenti pertinent, diligenter perſequitur. Tertio loco tractat de præceptis Chriſti ceremonialibus, ut putat, de baptiſmo quippe & ſacra cœna, in quo poſteriori ſacramento novi Teſtamenti explicando cum verſatur, inſtituit hiſtoricam narrationem de *tranſubſtantione*, aliosque errores & abuſus Romanenſium refutat. Abſo-

Absoluto hoc libro IV, finis ipsi operi imponitur, quod ne justi voluminis molem excederet, ea, quæ ad Librum quintum, sextum & septimum *Theologiæ Christianæ* Limborchii addi poterant, jam prætermittere atque ad appendicem deinceps edendam reservare voluit. Quodsi eas opiniones, quas pro sectæ studio, cui addictus est, quæve a doctrina veræ religionis nostræ discedunt, excipiamus, multa omnino singulari diligentia tradidit, quæ varia eruditione sunt conspicua & capita divinioris scientiæ egregie illustrant.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ
ὑπόμνημα.

i. e.

DIONYSII LONGINI DE SUBLIMITATE Commentarius, quem nova Versione donavit, perpetuis Notis illustravit, plurimisque in locis partim autoritate optimorum MSSptorum, partim conjectura emendavit, additis etiam omnibus ejusdem Autoris Fragmentis, ZACHARIAS PEARCE, A. M. Regiæ Majestati a Sacris Domesticis &c.

Londini, ex officina Jac. Tonson & Jo. Watts, 1724, 4 max. Alph. 1 plag. 8½.

POst præclaram illam *Jac. Tollii*, duasque alias *Cl. Hudsoni* editiones aureoli hujus libelli, operæ pretium se facturum putavit *Cl. Pearce*, si & ipse eundem Autorem nova veste indutum prodire juberet. Sed ut opus suum eruditis approbaret, de iis subsidiis ante omnia fuit sollicitus, quibus instructus aut emendare, aut singulariter illustrare Longinum posset. Itaque non modo editionem principem Franciſci Robortelli, quæ longe fidelius, quam postea Manutiana, manum Autoris repræsentat, & discrepantes lectiones ex Vaticanis tribus MSS. collectas atque Tollianæ editioni subjunctas, nec non MS. Elienſis varietates, ab Cl. Hudſono vulgatas, omnesque editiones diligenter conſuluit; ſed & ſibi comparavit Conr. Sam. Schurtzfleiſchii τῦ μακαρίτε

animadverſiones in Longinum, utiles quidem, inquit Cl. Pearce, tum ob doctrinam, quam ſæpiſſime oſtentant, tum ob variantes lectiones, quas ille e MS. Ambroſiano exſcripſit. Sed potiſſimum codicem Pariſienſem, præſtantiſſimum omnium & a Tollio valde negligenter habitum, conſulendum eſſe putavit. Quare Græco cuidam homini docto & in his rebus multum verſato negotium dedit, ut eum cum editis compararet & lectionum diverſitates exſcriberet. Specimen etiam ſcripturæ hujus codicis æri inciſum Præfationi inſerui, & omnium ejus foliorum initia & fines adjecit. Ex his ſubſidiis paſſim emendavit contextum, vulgata Manutii lectione ſingulis paginis ſubjecta, rationes autem emendationum, quia artis Criticæ imperitis moleſtæ eſſe potuiſſent, in finem libri rejecit. Ita Sect. IX pag. 28 pro Manutiana lectione: Ὁ δὲ ὑπερμεγεθύνει τὰ δαιμόνια, ex MSS. repoſuit: Ὁ δὲ πῶς μεγεθύνει τὰ δαιμόνια; & mox in verbis Homeri: ὑψηχέες ἵπποι, cum etiam Tollius contra MSS. & Homeri editiones expreſſiſſet: ὑψαύχενες ἵπποι. Sect. XV init. ex MSS. edidit: ἕτω γᾶν εἰδωλοποιίας αὐτὰς ἔνιοι λέγεσι, cum vulgatæ editiones verba ἕτω γᾶν omittant, & Tollius, qui veterum codicum lectionem noverat, nihil mutandum cenſuiſſet. Et eſt ſane recepta lectio paullulum elegantior; ſed cum illam alteram MSS. optimi & princeps editio agnoſcant, recte Cl. Pearce eam prætulit. Maximam autem textus repurgandi copiam habuit, ubi Longinus aliorum autorum verba in medium protulit. Manutius enim ea omnia ad editiones autorum exegerat, & ita apud Longinum verba legenda dederat, uti ex. gr. apud Herodotum & Thucydidem leguntur, cum tamen noſter Dionyſius ſive ex memoria, ſive ex aliis codicibus eadem verba paullo aliter ſcripſerit. Quæ porro ipſi emendanda videbantur, MSptorum autem autoritate carebant, ea inter vulgatas lectiones ſingulis paginis ſubjecit. In quem locum etiam Sect. X redegit eam lectionem in Carmine Sapphus, quam tamen Tollius in contextu exhibuit, nempe:

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεῖσιν
Ἔμμεν ἤ μὴν, κ. τ. λ.

in contextu ſcribit, inter varias autem lectiones ponit: Forte: Ἔμμεν'

Digitized by Google

Ἔμμεν' ὠνῆϊ. Sed, ut diximus, Ἔμμεν' ὠνῆϊ jam edidit Tollius, qui ita in veteri codice esse testatur. Præterea illustrem Spanhemium ad Callimachi Hymnum in Lav. Pallad. v. 54 videmus eandem lectionem ex codice Vossii approbare: & cum MSS. Vaticani habeant: Ἐμμένον ἥρως τις, MSS. autem Parisienſis, Ambroſianus & Elienſis: Ἐμμέναν ἥρως τις, luculenter apparet, librariorum vitio ſyllabas disruptas esse, quæ ita in locum ſuum veniunt, ſi legamus: Ἔμμεν' ὠνῆϊ, ὅς τις. Deinde novam Verſionem addidit Cl. Editor, quæ ſane melius Græco textui reſpondet, quam Tolliana, & quilibet, vel mediocriter Græce doctus, ex ea longe melius, quam ex Tolliana Græca intelliget. Denique præter Fragmenta ſtudioſius collecta & notulis quibusdam ornata, accedit Commentariolus in Longinum, res potiſſimum & præcepta ſublimitatis Græcis Latinisque exemplis illuſtrans, & ſingulis paginis contextus ſtatim ſubjectus. Quem ut paſſim utilem deprehendimus, ita etiam vulgaria multa, & omnibus dudum nota tradit: quæ res, niſi ex ſingulari quodam & nobis ignoto conſilio provenit, non magno decori erit libro, charta alioquin & typis haud vulgariter ſuperbienti, ſed & pretio non modico venienti.

VALERII MAXIMI LIBRI IX FACTORUM Dictorumque memorabilium, cum notis integris H.L. Glareani, St. Pighii, J. Lipſii, C. Coleri & J. Vorſtii, nec non ſelectis aliorum obſervationibus. Quibus accedunt Emendationes ineditæ C. Barthii, Fr. Guyeti & M. Gudii, item Notæ & Obſervationes perpetuæ JAC. PERIZONII, ut & A. Schultingii Exercitatio ad Valer. Max. lib. VII cap. VII de Teſtamentis reſciſſis. Ad plurimorum MSS. fidem opus recenſuit & Notas adjecit ABRAHAMUS TORRENIUS.

Leidæ, apud Sam. Luchtmanns, 1726, 4.

Alph. 6 plag. 5.

JAmdudum elegantioris litteraturæ ſtudioſi ea, quæ Celeb. *Jac. Perizonius* in Valerium Maximum quondam meditatus eſt, votis

votis omnibus expetierunt: haud ignari scilicet, ab exactissimo judicio viri eruditissimi nil nisi elaboratissima & elegantissima proficiscí posse. Sed ipse quidem morte præventus votis illis satisfacere non potuit: id tamen egit, quod literarum amante homine dignum erat, & curas suas omnes testamento in Bibliothecam Lugduno-Batavam transferri jussit, ut aliquando per virum idoneum inde in lucem protraherentur. Evenit itaque, ut Cl. Torrenium, Gymnasii Leidensis Rectorem, sedulo in lectione Valerii versatum, cum alii, tum maxime Celeb. P. Burmannus aptum judicaret, qui Perizonii observationes & subsidia ad emaculandum scriptorem, a librariis & editoribus fœde corruptum, ita tractaret, ut inde res litteraria aliquid emolumenti caperet. Horum igitur judiciis & monitis magis magisque accensus Cl. Torrenius opus aggressus est, & primum quidem Perizoniana omnia adhibuit. Collegerat autem Vir doctissimus non modo notas ad emendationem Valerii, sed & varia ex multis MSS. excerpta, tam per se, quam per alios descripta: in quibus etiam discrepantes lectiones ex viginti amplius MSS. ab Illustri Marq. Gudio olim collectæ, item Tollii aliorumque similes curæ, nec non emendationes aliquot Casp. Barthii, quas inseruerat B. Fellerus noster excerptis diversis scripturis MS. Lipsiensis. His omnibus adjecit ipse Cl. Editor MSS. octo Bibliothecæ publicæ Leidensis, ex quibus quatuor aliquando Vossii fuerunt, duos Codd. Trajectinos, quorum variantes subministravit Celeb. Drackenborchius, &, præter editiones vetustas, virorum doctorum observationes & adnotationes in suum scriptorem. Tot atque tantis subsidiis instructus magnum quid & pereximium animo concipere poterat: & qui ab eo magnifica multa sibi promiserunt, omni certe spe ut excidant, impossibile est. Nam Perizonii observationes omnes eruditæ sunt & elaboratæ, modo historiam, modo antiquos mores, sæpissime latinitatem haud vulgariter illustrant. Et quanquam ultimam Autoris optimi manum non sunt expertæ, a qua fortasse multa decoris & elegantiæ augmenta cepissent; tamen vel sic abblandiuntur mirum in modum, &, si pauciissimas excipias, sine dubio omne punctum ferant. Quædam gratiores essent & ad usum lectoris magis accommodatæ, si Cl. Editori ipsa verba

Digitized by Google

verba Autorum, quos Perizonius, ut in talibus fieri ſolet, nomine tantum, libris & capitibus citaverat, adſcribere placuiſſet. De obſervationibus Torrenii, cum pleræque ſint vulgares, & ab aliis dudum in medium prolatæ, nullas hic memorare neceſſe eſt; etſi alioquin Virum hunc ſtudii laude neutiquam fraudandum cenſeamus. Laudamus etiam, quod Pighii errores, qui id egerat, ut Valerius Maximus nunquam erraſſe videretur, feliciter detexit, & ex vetuſtis libris paſſim emendavit. Neque culpamus, Vorſtium interdum eſſe in ordinem coactum; quanquam inquirere nolimus, an jure Lexicon Fabri toties ipſi impingatur. Hoc ſane novimus, omnes qui eum librum novis augmentis ornarunt, & Vorſtium, & alios notarum ſcriptores ſedulo exſcripſiſſe: cumque ceteri hoc fere diſſimulaverint, nuperus tamen Editor hoc præ ſe ferre non erubuit: adeo per alios ſapiunt iſti homines. Eundem reprehendit aliquoties Editor, quod nimis ſupine Colerum, Pighium inſpexerit, autoresque ex eorum indicio in notas ſuas tranſtulerit, quos tamen ipſe evolvere ſit dedignatus. Peſſimum profecto factum! At quid dicemus de Torrenio, qui ad lib. IX cap. II n. 1 ex ſchedis Perizonii adſcripſit Senecam lib. III de Ira cap. XVIII. Sed vix eſt, ut credamus inſpexiſſe. Lipſius enim ad eum locum corrigit Valerium Maximum, & pro verbis *M. Mario prætore*, reponit *M. Mario prætorio*. Quæ emendatio, utut ſupervacua eſſet, digna tamen erat, quæ in tali editione memoraretur. Ad Lib. VIII cap. VII n. 4 ex Diogene Laertio, ad quem Valerium reſpicere notaverat Menagius, refert, quod is, autore Herodoto, tradiderit, Democriti patrem Xerxi Regi epulum præbuiſſe, cum Valerius narret, *Xerxis exercitui epulum ex facili dediſſe*. Noſter ex Bælii Lexico adnotat, immane quantum differre, Xerxem ſolum, & tantum ejus exercitum epulis excipere, atque ita litem non componit, ſed aut in dubio relinquit, aut in Valerii relationem inclinat. Cur non inſpexit Rittershuſium ad Guntheri lib. IX Ligur. v. 461, ubi ex vet. Codice apud Valerium reponit: *ut pater ejus* Xerxi epulum dare *ex facili potuerit*, & impoſſibile judicat, tanto exercitui, qui decies centenis millibus militum conſtitiſſe fertur, epulum dare? Ille autem, ſi controverſiam non tollit, tamen quia ad vet. codicem provocat, memo-

randus erat. Ad lib. V cap. IX n. 3, ubi autor *filio aliquantum tetriore* ſcripſerat, pro quo vulgo dicunt *aliquanto tetriore*, nihil adnotat, niſi: *vide Cl. Burmannum ad Valer. Flacc. lib. I v. 741*, nimirum Burmannus juſſerat eo loco videre Voſſium ad hæc Valerii Maximi verba, ſed Flaccus nihil commune habet cum Maximo, niſi quod dicat *quantumque propinquat*, & loca Ovidii, quæ Burmannus addidit, ad Flaccum quidem, non vero exacte ad Maximum faciunt. Meliore jure Cl. Burmanni notam ad Quintilian. lib. XI cap. II pag. 787 adſcribere potuiſſet, ubi Fabius *multum difficilior*, ut Valerius M. *aliquantum tetrior* dixit. Et cur tam timide de *exuviis* ad lib. I cap. I n. 16 pronunciat, cum id omne omittere potuiſſet? *Exuvias* non modo apud Virgilium VIII Eclog. v. 91 & alibi aliquoties hoc ſenſu reperire potuiſſet, ſed etiam apud Statium VI Theb. v. 67, ubi ita:

Arma etiam & veterum exuvias *circumdat avorum*,

& clarius, pro veſtimento, Serenus Sammonicus cap. XXXIII:

Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuvias, *obſcænoque inficit imbri.*

nec non Marcianus Capella lib. II pag. 27: *verum illa* exuvias *filiæ ornatusque detulerat, quis induta Deorum ſociari cœtibus non paveret*: omittimus Lucanum, Ammianum & alios; nam obſervationes Torrenii augere non propoſitum eſt.

T. LUCRETII CARI DE RERUM NATURA Libri VI, cum Notis integris Dionyſii Lambini, Ob. Giſanii, Tan. Fabri, Thom. Creechii, & Selectis Jo. Baptiſtæ Pii, aliorumque, curante SIGEBERTO HAVERCAMPO, qui & ſuas & ABRAHAMI PREIGERI Annotationes adjecit. Accedunt Interpretat. Thomæ Creechii, variæ lectiones ex notulis Iſ. Voſſii, atque ex plus quam viginti quinque Codd. tum impreſſ. tum MSS. ut & complures, iique locupletiſſimi Indices. Cum Figuris artificioſiſſimis atque venuſtiſſimis.

Lugduni Bat. apud Janſſonios van der Aa, 1725, 4. Alphab. 9. Tabb. æn. 7.

VIx eſt, quod de nova hac Lucretii editione dicere poſſimus, præ-

præter id, quod ipſe index jam perſpicue ſatis promittit. Eam ob cauſam initio nobiſcum conſtitueramus, ſilentio eum librum præterire: eo magis, quod per nominum ſubſcriptionem, ut vocant, prodiit, numerusque exemplorum impreſſorum vix ad 820 aſſurgit, quæ, ut ajunt, inter ſubſcribentes jam ſunt diviſa. Hoc nempe pacto judicium noſtrum non tantum, quantum alias, in commune proderit, & bonis viris, quibus conſulere debebamus, ſero jam operam noſtram exhibemus. Sedit tandem, vel ob hiſtoriam hujus editionis, quem diximus, indicem veluti commentariolo quodam illuſtrare, quo illa, quæ ita præciſe poſita minus intelliguntur, lectori noſtro manifeſta magis, magisque in aperto ſint. Primum Lambini, Giſanii, Fabri & Creechii notæ integræ promittuntur, & in præfatione iterum teſtatur Cl. Havercampus, ſe nihil reſecuiſſe, cum alii, qui hoc facerent, titulo ſæpe lectori imponere ſolerent. Et, ſi dicendum quod res eſt, hæc primaria dos eſt hujus editionis, quod doctiſſimorum illorum virorum notas junctim nunc legere licet. Sunt etiam, quantum nobis conſtat, integræ & minime mutilatæ notæ: nam nihil huic laudi officere credimus, quod ſemel atque iterum duorum nomina uni obſervationi adſcripta ſunt, quia uterque idem dixit. Deinde ſelectas Jo. Baptiſtæ Pii aliorumque annotationes additas eſſe legimus. Pii obſervationes aliquot neque doctrina, neque elegantia deſtituuntur, & cum Commentariis ejus in paucorum manibus ſit, non inutilem operam præſtitit Cl. Editor, cum obſervationes ex eo ſelegit, & publico uſui denuo expoſuit. *Ex Pii notis*, inquit, *ſelegimus, quæ mereri videbantur, ut legerentur, quæve non a Lambino aliisve uberius poſtea & melius diſpoſita erant.* Quæ poſteriora verba cum legeremus, mirari ſubiit, cur ipſi Editores aliquoties adſcripſerint eadem illa, quæ jam alii in obſervationibus ſuis expreſſerant. Certe ad lib. I v. 251, ubi jam Faber notaverat, Virgilii verſus ex lib. II Georg. eo referenda eſſe, non modo Havercampus poſtea eos verſus appingit, ſed & ſingulari nota & eadem pagina eosdem adlevit Preigerus. Ad lib. autem VI v. 1204, ubi Lambinus bene multis exemplis demonſtraverat, *exierat* eſſe evitaverat & evaſerat, Havercampus, veluti novam rem docturus, inde & ipſe obſerva-

tionem conſtruit, exemplumque ex Lucretio addit, quod Lambinus pridem ad lib. V v. 1329, quo ipſe hoc loco lectorem ablegat, ſubjecerat. Illud ALIORUMQUE deſignat autores in Face Artium Gruteriana, Turnebi Adverſaria, Rutgerſii varias lectiones, Gronovii obſervationes & Voſſii ſcripta Grammatica: ex his enim fontibus reliquæ notæ derivatæ ſunt. Quaſi vero hi ſoli eſſent, qui aliquid in Lucretium contulerunt, undeque nova editio inſigniter augeri potuit. Sed omittimus tot præclara ingenia, quæ variis locis Lucretium emendarunt: dolemus tamen, nullam illuſtris Heinſii, omnium poetarum Æſculapii, rationem eſſe habitam. Feciſſet hoc Preigerus, otium ſibi factum vidiſſet lib. I v. 724, ubi vatem maximum infeliciter tentat, quem longe meliore ratione emendare aggreſſus eſt ille Heinſius ad Silii lib. VII v. 355. Sed ne illos quidem, quos dignos judicarunt in diverſas has annotationes conjici, ſatis diligenter conſultos eſſe deprehendimus. Et cujus judicii, aut diligentiæ eſt ad lib. I v. 1021 de ſuo corrigere autorem, poſtea vero ad lib. V v. 420 Gronovii emendationem ejusdem verſus proferre, eique aſſentiri? Sequitur in titulo: *Curante Sigeb. Havercampo, qui & ſuas, & Abr. Preigeri annotationes adjecit*, de qua tamen parte ſilere ſatius eſſet. Nam in medium proferre, quod Havercampus lib. VI v. 793 vulgatam lectionem:

Dejicere ut pronos qui morbus ſæpe ſuevit

ita emendaverit:

Cum cinere ut prunas κονιορτὸς mittere ſuevit,

non valde commodum arbitramur. Illuſtrationes etiam adſtrictiores ſunt, ex. gr. ubi lib. V v. 204

Et mare, quod late terrarum diſtinet *oras*,

unico Livii loco ex lib. I cap. 15, *ne quid meam vobiscum pacem diſtineat*, ornatur: cum tamen in promtu ſint elegantioribus non modo Livii alia loca ex lib. IV cap. 59 & lib. V cap. 20, ſed etiam Prudentius lib. II in Symmach. v. 597:

Omnibus in terris, quas diſtinet *Occidualis*
Oceanus.

atque alii. In quem cenſum referas Preigeri notam ad lib. V v. 467, qua, illuſtraturus verba: *ſubtexunt nubila cælum*, ita inquit:

„Ele-

„Eleganter: cujus contrarium vidimus ad v. 268 hujus libri apud „Statium tribui auroræ & ortui Solis, *cælum* nempe *retexere*. Hæc ille, negligens prorſus Senec. Phœniſſ. v. 422:

—— *vel atra* nube ſubtexens diem
Stymphalis.

& ea, quæ Heinſius ad Claudian. II in Eutrop. v. 451 in hanc ſignificationem congeſſit, quæque ex aliis ſcriptoribus multum augeri potuiſſent. Attulere tamen & Editores novas interpretationes. Notum eſt, quomodo intelligant eruditi lib. I v. 62:

Nec bene promeritis capitur nec tangitur ira,

h. e. Deus neque delectatur, neque *iraſcitur*, vel, uti Cicero idem expreſſit, neque gratia, neque *ira tenetur*: ad quam formam Seneca Conſ. ad Marc. cap. XIX: *non* invidia *felicitatis alienæ* tangitur: & Autor de vita contemplativa, qui Proſper Aquitanicus vulgo habetur, lib. I cap. XII: tangitur deſideriis *carnalibus*, *nec conſentit*: quomodo idem ſcripſit lib. II cap. XVIII, ſi quidem fides habenda veterrimis membranis quadrata littera ſcriptis: *non amittendæ vitæ* timor tangebat *de immortalitate ſecurum*, ut alios omittamus. Sed Havercampus intelligit *iram* hominum, quam Deus nihil curat, qua non *commovetur*: idque probare nititur ex Tertulliani Apologet. cap. XL his verbis: *Invidia cœlum tundimus, Deum tangimus*, ſed vix cuiquam perſuadebit. Apud Tertullianum autem ſi putavit *invidiam* ita accipi, ut ſtatuit, *iram* apud Lucretium eſſe capiendam, eos omnes diſſentientes habebit, qui Tertullianum ſedulo legerunt. Videas modo, lector, Afrum illum de Jejuniis cap. XVI; de Fuga in perſec. cap. X extremo; de Pudicitia cap. XXII, & aliis locis, & videbis ſingularem hujus vocabuli uſum, de quo latius hic diſſerere non eſt neceſſe. Et hæc quidem de notis Havercampi & Preigeri. Sed monendum præterea, præmitti huic Lucretio etiam „Epiſtolam Abr. Preigeri ad „Virum Clariſſimum Sigeb. Havercampum, Contubernalem „quondam ſuum dulciſſimum, nunc in celeberrima patriæ Aca„demia, quæ Lugd. Bat. eſt, Profeſſorem Hiſtoriarum, Eloquen„tiæ & Linguæ Græcæ digniſſimum," qua non modo de elegantia Poetæ, ſed etiam de variis emendationibus corruptionumque cauſis Preigerus diſſerit. Supereſt ut de his, quæ præterea acceſſe-

runt, pauca dicamus. Cl. Creechii *Interpretatio* singulis paginis textui continuo subjicitur. Inter eam & Notas ponuntur *Variæ lectiones*, ex diversis editionibus, & MSS. Bodleiano, Gottorpiano, 2 Heinsianis excerptis, duobus Vossianis, aliisque editioni Veronensi adscriptis desumtæ. Habemus & nos varias lectiones Fragmenti illius Gottorpiani, ex quibus hoc didicimus, non summa diligentia discrepantes eas scripturas congestas esse. Quod tamen de solo Gottorpiano ut dici possit, vehementer optamus. Inter varios *Indices* sunt etiam *Conlectanea Gifanii* in Lucretium, quæ eruditis semper in pretio fuere; nunc autem non paginis, sed libris poetæ & librorum versibus respondent, & præterea autorum veterum loca paullo diligentius, numeris librorum, capitum & versuum appositis, citata sistunt. *Figuræ* istæ *venustissimæ* non partem aliquam antiquitatis, aut singulares observationes illustrant, quarum rerum causa olim a viris doctissimis libris inserebantur; sed, in ornamentum & pretium novæ editionis, singulis libris Lucretii præfixæ & ad argumenta cujusque libri paullulum accommodatæ sunt.

Philosophisches LEXICON.

hoc est:

LEXICON PHILOSOPHICUM, IN QUO omnium Philosophiæ disciplinarum termini resque ipsæ explicantur; controversiæ Philosophorum veterum & recentiorum recensentur, scriptaque de singulis argumentis memorantur, editum a JO. GEORGIO WALCHIO, S. Theologiæ Doctore & Professore in Academia Jenensi.

Lipsiæ, sumtu Jo. Friderici Gleditschii B. Filii, 1726, 8 max. Alph. 4 pl. 12.

VArii fuerunt, qui Lexicis Philosophicis conscribendis operam dederunt, quamvis omnium fere ea sit ratio, ut pro conditione, quam Philosophia nunc præ se habet, exiguam afferant utilitatem. Etenim aut solos terminos, qui Philosophorum sunt pro-

Digitized by Google

proprii, explicant; aut inſerviunt tantum ſapientiæ Ariſtotelicæ & ſcholaſticæ intelligendæ. Aliud plane operis hujus inſtitutum eſt, quod ipſe Cl. Autor, Collega noſter honoratiſſimus, in Præfatione copioſe exponit, ſimul alios horum Lexicorum autores recenſens. Complectitur omnes Philoſophiæ diſciplinas, Logicam, Metaphyſicam, Theologiam naturalem, Phyſicam, Pneumaticam, Ethicam, Jurisprudentiam naturalem & Politicam, quarum omnia argumenta pro ratione Lexici ſecundum litterarum ordinem ſunt explicata atque illuſtrata. Primum omnes termini, quos Philoſophi uſurpant, ita ſunt expoſiti, ut quisque eorum ſignificandi vim capere facili negotio poſſit, præſertim cum perſpicua exempla acceſſerint. Plerosque horum terminorum Latina lingua, qua in uſu ſunt, retinuit, quod, ſi novas voces lingua Germanica adhibere voluiſſet, ex illis obſcuritas exorta fuiſſet. Verum minima pars operis hujus pertinet ad hoſce terminos. Porro enim ipſas res omniaque argumenta, de quibus Philoſophi differunt, perſequitur Cl. Autor, eo ſervato dicendorum ordine, ut non ſolum ipſe momenta quævis clare ac diſtincte ſit interpretatus, atque argumenta addiderit, rite cognitionis veri & falſi diſcrimen obſervans, quo iſta modo ſit certa, modo probabilis, modo poſſibilis; verum etiam doctrinarum hiſtorias accurate memoraverit. Pertinet ad has, quando diſſentientium opiniones diligenter collegit: controverſiasque Philoſophorum & vetuſtioris & recentioris ævi tanto ſtudio recenſuit, ut nulla fere fuerit diſceptatio, cujus heic non facta ſit mentio ac ratio expoſita. Quod ad recentiores attinet, provocamus ad controverſias Bælii de origine mali; Thomaſii de crimine magiæ; aliorum de polygamia, concubinatu, divortio; de libertate hominis, easque, quarum occaſionem dederunt Leibnitius & Wolfius. Et has quidem diligenter memoravit, ita, ut quamvis a placitis hujus Philoſophiæ ipſe diſcedat, ubique tamen modeſtiam ſectetur, ac, quæ Philoſophi eclectici munus poſtulat, obſervet. Ubi in explanandis rerum naturalium cauſis verſatur, experimenta quoque attingit, atque inſtrumenta, quæ illorum cauſa adhibentur, deſcribit. Equidem in ſingulis doctrinæ philoſophicæ partibus explicandis non mediocrem operam collocavit;

præ

præ reliquis tamen Jurisprudentia naturalis maximo ſtudio eſt tradita. Ut illis quoque ſatisfaceret, quibus adhuc Philoſophia Ariſtotelica placet, hujus pariter dogmata, quæ cum ad Logicam, tum ad Phyſicam aliasque diſciplinas pertinent, propoſuit. Non eſt neceſſe, ut ſpecimina quædam recenſeamus. Quisque enim ex illis, quæ generatim diximus, facile intelligere poteſt, qualis libri hujus ſit ratio, quidque in eo quærere debeat. Quare id tantum addimus, quod Autor de omnibus materiis ſcriptores idoneos adjecerit, cumque hac occaſione magnum apparatum ad Bibliothecam Philoſophicam collegerit, eam a ſe Latina lingua conſcriptam, in præfatione, exſpectari jubet.

PHILOSOPHICAL EXPERIMENTS AND Obſervations &c.

hoc eſt,

EXPERIMENTA ET OBSERVATA PHILOſophica Viri inter eruditos quondam eminentis, D. ROBERTI HOOKE, S. R. S. & Geom. Prof. Gresham. aliorumque Virorum eruditorum primi ordinis, qui illo tempore floruere, edita a GUILIELMO DERHAM, S. R. S.

Londini, apud W. & J. Innys, 1726, 8, chart. aug. Alph. 1 pl. 3 Tabb. æn. 4 c. fig. textui inſertis.

SCripta Viri celeberrimi *Roberti Hookii*, quæ ipſe luci publicæ expoſuerat, enarravimus in Actis A. 1707 p. 150, & poſthuma a *Richardo Wallero* publicata prolixe recenſuimus ibidem p. 150 & ſeqq. Promittebat idem *Wallerus* adhuc alia fragmenta, inventa & experimenta Viri egregii; ſed fatis concedens ſtare promiſſis non poterat. *Wallero* mortuo ſchedæ *Hookianæ* pervenere in manus Viri de Rep. literaria optime meriti, *Guilielmi Derham*, qui, ut de eadem bene mereri pergeret, ea inde ſelegit & ſecundum annorum ordinem digeſta publici juris fecit, quæ ad ſcientiæ phyſicæ ac mathematicæ incrementa inſerviunt, interſperſis hinc inde aliis virorum præclarorum obſervationibus

ac

ac inventis. Noſtrum eſt notatu non indigna excerpere, quæ rerum naturalium curioſis grata judicamus.

Inventionem barometri *Hookius* vindicat *Boyleo*, qui in eam incidit A. 1658 vel 1659, ſuadente *Wrennio* inquiſiturus, num Luna premat atmoſphæram noſtram & ea mediante aquas marinas juxta hypotheſin *Carteſii*. Experimentum *Torricellii* A. 1643 Florentiæ inſtitutum a *Merſenno* A. 1644 & *Paſcalio* A. 1646 & 1648 in Gallia cum ſucceſſu fuiſſe repetitum: *Ottonem* vero *de Guericke*, cui A. 1654 a *Valeriano M.* Ratisbonæ id fuerit communicatum, idem poſtea ſibi arrogaſſe & *experimentum Magdeburgicum* inde fuiſſe appellatum, autor eſt *Derhamus*. Obſervationes horologii oſcillatorii marinas A. 1662 inſtituit *Kingkardinus*, motumque agitatione navis turbari aliquantiſper, deprehendit. *Robertus* vero *Holmes* illius ope longitudinem maris rectius determinavit quam ſocii in aliis navibus, qui methodo communi utebantur, etſi huic negotio non exacte ſatisfaceret. *Hookius* d. 3 Dec. A. 1662 ponderavit aerem, uſus globis hermetice ſigillatis, ex quibus vi caloris eundem expulerat. Eodem anno d. 24 & 31 Dec. illuſtri Societati Regiæ exhibitum fuit experimentum determinandi preſſionem, quam ſuſtinet medium a corpore in eodem vel aſcendente, vel deſcendente, quod a *Leibnitio* ad ſolvendum phænomena barometri commendatum in Actis A. 1711 p. 11 deſcripſimus. Recenſentur, quæ judice *Hookio* in *Grænlandia* & *Islandia* ſint obſervanda & quænam circa reſiſtentiam aeris in motu corporum ſint examinanda. *Hookius* A. 1663 inquiſivit in refractionem in glacie atque cryſtallo. Deprehendit autem refractionem in glacie minorem, quam in aqua, & in cryſtallo majorem, quam in vitro. Deſcribit idem regulas generales in experimentando obſervandas. Ex variorum literis phænomena varia recenſentur, veluti quod in bronchiis pulmonum ovium & in arteria aſpera bovis magna graminis quantitas fuerit reperta; quod in terræ motu per 32 dies atque noctes continuato ſolum cum 3000 domibus & inhabitatoribus fuerit ſubmerſum, ejusque loco lacus profundus comparuerit, & ex lacu piſcibus pleno piſces omnes in continentem fuerint excuſſi, lacu hoc evaneſcente, quam primum ad diſtantiam milliaris Anglici

alter oriretur; quod ova reperta fuerint loco vitelli incluſa albumini aliorum ovorum &c. *Hookius* deſcribit anemoſcopium ſuum & vas priſmaticum triangulare, ad dimetiendam quantitatem aquæ pluvialis commodum. Recenſentur quædam obſervationes immerſionum Satellitis primi *Jovialis* a *Toinardo* A. 1679 & 1680 factæ. Deſcribuntur grandinis figuræ ſingulares A. 1680 menſe Majo ab *Hookio* obſervatæ; animalcula minutiſſima in aqua a *Leuwenhœkio* deprehenſa; caſus ſingularis hominis muti periodice loquentis nempe nonniſi ab hora 12 meridiana usque ad primam, *Grewio* a *Keiſelio* communicatus; ſtructura crinis a *Leuwenhœkio* detecta & ejusdem obſervationes microſcopicæ de alvi fæcibus, de fibris muſculorum, duræ matris, cerebri, medullæ ſpinalis, & *moxa* herba; vermes millepedibus ſimiles in ſtomacho repertæ; *Molyneuſii* obſervata anatomica in veſpertilione diſſecto, in quo penitus mortuo cor ultra horæ ſpatium ſyſtolen atque diaſtolen peregit; *Hookii* experimenta varia, veluti de metallis in aliis ejusdem ſpeciei liquefactis natantibus, de condenſatione aeris ope aquæ, de preſſione aquæ in tubis, de gravitate ſpecifica aquæ & Mercurii, quam determinavit ut 1:15, de expanſione metallorum liquefactorum, de preſſione partium aquæ ab aqua, de elaſticitate aeris, de pondere aquæ & ejus calore ac frigore per omnem profunditatem eodem, de ſingulari molendini vi ventorum agitandi genere, de impediendo lapſu ponderum rupto fune, de gravibus exactiſſime ponderandis, de pondere fluidorum accurate determinando, de magnetiſmo terebris chalybeis absque magnete conciliato, de duritie ac tenacitate glaciei, de dilatatione aquæ congelatæ, de gravitate ſpecifica glaciei, quam facit reſpectu aquæ ut 8 ad 7, de ejusdem phænomenis & cauſa expanſionis. Reperies ibi porro *Hookii* methodum verba quædam exiguo temporis ſpatio per maximam diſtantiam alteri communicandi. Commendantur ad hunc uſum teleſcopium & loca eminentia tanto intervallo in directum a ſe invicem diſſita, quantum iſtud requirit. Peculiares vero in locum literarum ſubſtituit characteres ex intervallo facile diſtinguendos. Invenies quoque ejusdem diſcurſum de curru a vento agitando, ſed qui in primariis deficit, cum Cl. Editor inter MSC. Autoris,

quæ

quæ huc ſpectant, reperire non potuerit. Extant ibidem experimenta *Hookiana* & obſervationes in uſum barometri perficiendi. Gravitas ſpecifica aquæ ad Mercurium determinatur ut 1 ad 15, ſpiritus vini ad eundem ut 1 ad 17, olei terebinthinæ ut 1 ad 17 $\frac{3}{4}$. Si ſpiritus vini fuerit 51, oleum terebinthinæ erit 52, aqua communis 60. Exhibentur varii modi conficiendi phoſphorum, phoſphorum ſcilicet Bononienſem, phoſphorum liquidum ex cineribus clavellatis & ſpiritu urinæ, phoſphoros metallorum, phoſphorum *Brandii* ex urina & phoſphoros *Balduini*. Monet *Derbamus*, Cel. *Slarium* jam longo ante A. 1677 intervallo Societati Regiæ exhibuiſſe phoſphorum quendam. Subjicitur *Balduini* modus efficiendi germinationem metalli, & *Feburii* atque *Evelyni* modus præparandi electuarium, quod *Orvietani* nomine venit, una cum artificiis aliis utilibus & curioſis ab *Hookio* collectis. *Joannes Caſwellus*, Profeſſor *Savilianus* in Academia Oxonienſi, A. 1686 coram Societate Regia legit diſcurſum de umbra retrograda in ſciateriis ſub zona torrida, qui hic integer inſeritur. *Hookius* facili via invenire docet lineam meridianam; experimento probat, oleum vitrioli aquæ permixtum minus augere volumen quam pro ratione quantitatis affuſæ, quod ab *Hawksbejo* iteratum legitur in Transactionibus Anglicanis A. 1711 num. 331; plantam deſcribit, quæ a Luſitanis *bangue* appellatur & ex India in Europam aſferri ſolet; obſervationes de gemmis communicat; varia inſtrumenta fiſtit ad fundum maris explorandum; de teleſcopiis & microſcopiis eorumque inventoribus diſſerit, & microſcopium reflectens exhibet, quale in Transactionibus



Anglicanis dedit *Caſſegranius* num. 83. Eſt ſcilicet AB ſpeculum

concavum, cujus focus in E; & FG alterum ſpeculum concavum minus, reflectens radios in focum alterum D, in quo oculus K ope lenticulæ C videt objectum. His additur hiſtoria typographiæ Oxonienſis a *Walliſio* conſcripta; obſervatio non una de lacu ingente in Suecia A. 1688 ab anonymo facta, *Wallerii* animadverſio in diſcurſum *Hookii* de microſcopiis. Machinam aſportatoriam, qua facili negotio ingens terræ quantitas ex uno loco in alium deportari poteſt, a *Roberto Southwell* viſam, A. 1692 cum Societate Regia communicavit *Hookius*. Reperies porro ibidem ſchediaſma de quantitate auri in fluvio *Gamboy* incerti autoris; experimenta & obſervationes de ferro ignito ab *Hookio* A. 1694 Societati Regiæ exhibita; ejusdem recenſionem diſcurſus *Philippi de la Hire* de frigore; inſtrumentum ad delineandum objecta, quod eſt Camera quædam obſcura portatilis ita parata, ut in parte poſtica locus ſit capiti atque manibus, ceteris corporis partibus extra eam conſtitutis; modum dimetiendi altitudines & diſtantias in mari; obſervationes *Greavei* in Ægypto factas, quæ obliquitatem Eclipticæ ad A. 1639 exhibent 23°, 30′, 15″, declinationem acus magneticæ a meridiano *Alexandrino* occidentem verſus 5° 45′ ad A. 1638 menſe Decembri, & altitudinem poli *Alexandrini* 31° 10′, vel 31° 5′, vel 31° 3′. *Hookius* oſtendit, quomodo diviſiones barometri augmentari queant, & quasdam de nautilo conjecturas prodit atque obſervationes. Tres idem de ambra diſcurſus reliquit, quibus ejus hiſtoriam complexus. *Lowthorpius* jam d. 14 Febr. 1699 in refractionem aeris inquiſivit. *Stephanus Gray* A. 1699 Cantuariæ ſub latitudine 51° 15′ obſervavit initium eclipſis h. 8 12′, obſervationem maximam, quæ fuit 10½ digitorum, h. 9 24′ & finem h. 10 42′. *Wallerus* quasdam animadverſiones conſcripſit in hiſtoricam *Philippi de la Hire* obſervationem de vitris cauſticis veterum, quæ legitur in Commentariis Academiæ ſcientiarum Pariſinæ A. 1708. Concedit, veteribus cognitas eſſe, quod ſphæræ ſint cauſtica vitra; ſed negat, ipſis innotuiſſe lentes cauſticas. Recenſet idem Tractatum *Dominici Miſtichelli* impreſſum Romæ A. 1709 de apoplexia. Colophonis denique loco *Hookius* quædam inventa Anglis vindicat, quæ a *Caſſino* in Tractatu

ctatu de origine & progreſſu Aſtronomiæ tributa fuerant Gallis, aut minimum ſociis Academiæ ſcientiarum, veluti horologium oſcillatorium ope cycloidis perfectum, quod ante erectam Academiam jam notum fuerit in Anglia, primum autem in Batavia jam A. 1659 fuerit inventum; lentium teleſcopium abſque tubo uſum a ſe inventum; menſuram univerſalem ope penduli obtinendam a *Chriſtopboro Wrenno* indicatam, detecta a ſe cauſa, cur non eadem eſſe poſſit per orbem univerſum &c. Multum conqueritur de Academia Regia ſcientiarum, quod inventa Societatis Regiæ Angl. ſibi arroget, ac ægre fert, quod *Caſſinus* Academiam ſcientiarum primam Societatem Regiam præ dicet, cum tamen ejus natalem anteverterit Societas Regia Londinenſis.

OPERE MEDICO-PRATICHE ET FILOSOPHIche di Giuſeppe Volpini.

i. e.

JOSEPHI VULPINI, PROFESSORIS PHIloſophiæ & Medicinæ, Opera Medico-Practica & Philoſophica.

Parmæ, apud hæredes Pauli Monti, 1726, 4. Alphab. 1 plag. 8.

SEx continent Tractatus opera hæc, quorum I agit de vermibus ordinariis in corpore humano, de morbis ab eis productis & modo iisdem medendi. Vermes humanos a putredine oriri, vel ex ovulis muſcarum deglutitis aut cum aere allatis excludi, fuſius probat Autor Clariſſ. negans, per traducem eos a parentibus liberis communicari. Uſum eis attribuit, ut abſumant ſuperfluas chyli particulas, agitatione ſua motum inteſtinorum periſtalticum excitent, & vilem noſtram conditionem ante oculos ponendo ſpirituum ſuperbiam ſupprimant. Inter noxas, quas producunt, nominat febrem putridam vel malignam, diarrhœam, dyſenteriam, colicam, convulſiones, epilepſiam, cephalalgiam, paralyſin, ſyncopen, ſingultum, vomitum cibi, vel materiæ feculentæ aut peregrinæ. Oriri vero hæc ſymptomata aſſerit vel

Digitized by Google

a vermibus ut talibus, id eſt, ab eorum irritatione & roſione; vel a vermibus cum materia peccante, acida, ſalſa, amara, phlegmatica, putrida, quæ inſtar fermenti ſanguini vel ſucco nerveo effluvia communicat, combinatis; vel ab eorum glutinoſa viſciditate in glandulas ſe inſinuante, membranis adhærente & vaſa obſtruente. Quoniam autem dicta mala etiam absque vermium progenie aliquem invadere poſſunt, cautiſſimum in iis curandis & in vera morborum cauſa inveſtiganda ſolertem eſſe jubet Medicum. In vermium igitur negotio ſequentes commendat indicationes: 1) ut agitationes & inquietudines vermium ſiſtantur, 2) ut iidem enecentur & educantur, 3) ut ſucci vitioſi corrigantur, 4) ſymptomata mitigentur, & 5) ut primæ viæ a reliquiis verminoſis purgentur. Præ reliquis pro necandis & educendis vermibus ſequentes commendat pilulas, quæ recipiunt Aloes lucidæ drachm. unam cum ſemiſſe, Flor. Sulph. Mercur. d. ana 2 ſcrup. ſem. Santon. drachm. ſemiſſ. His fuſius deductis quinque quæſtiones circa idem argumentum reſolvit, ſcilicet, 1) annon venæſectio in curandis vermibus locum inveniat? 2) quo jure ſaccharum, mel, & ſimilia inter anthelmintica numerari valeant, cum tamen vermes chylo, lacte, aliisque ſuccis dulcibus & temperatis delectentur? 3) cur non omnes homines æquali vermium progenie ſcateant? 4) quomodo vermes in quavis corporis parte nidulari queant, cum tamen nullæ dentur viæ, per quas illuc meare poſſint? & 5) cur in principio morborum, maxime gravium, lumbrici ſoli, nec ulli alii rei admiſti, rubri, vel copioſi & vivi ejecti malum præbeant prognoſticum, ſecus in declinatione? Quemadmodum autem Autor Clariſſ. in omnibus ductum Valliſnerii, cujus placita in Actis Supplem. Tom. V Sect. VII pag. 279, expoſuimus, ſequitur, ita defendit eundem contra Vercelloni inſultus, qui in Tract. de Glandulis œſophagi & vermibus, quem in Actis Supplem. Tom. VI Sect. VI p. 262 excerptum dedimus, ovula vermium ab extra adduci exiſtimans, illius theoriam, qua per traducem propagari lumbricos ſtatuerat, evertere conatus eſt. Poſtquam igitur Clariſſ. Vulpinus de Cura vermium abunde diſſeruit, pergit in *Tr. II* de præſervatione a morbis ex vermium

pro-

progenie metuendis agere. Et quemadmodum pleraque remedia præservatoria ex bono vivendi regimine desumuntur, ita hac occasione regulas dieteticas explicaturus, pro fundamento ponit verba Averrhois in Paraph. in Lib. de Republ. Platon. Tract. I pag. 342, quæ sic se habent: "Civium alimenta, si modo, si" ordine, si tempore, si genere temperata sint, eodemque modo" exercitatio; consentaneum est, ita institutos non habere opus" tot Medicis, quot hac tempestate nostra & retro actis etiam" temporibus usi sumus." Notum autem est, quod infantilis ætas præ alia verminationi sit exposita, hinc ansam arripit differendi in genere de requisitis bonarum nutricum, de modo nutriendi infantes tam lactentes quam ablactatos; inde progreditur ad exponendum usum & effectum vini, ad commodum explicandum calide vel frigide bibendi, modumque suppeditandum, quo ebrietas vel præcaveri vel arceri queat. In *Tr. III* illorum examinat opinionem, qui statuunt, vermes spermaticos esse principium generationis animalium. Quos cum Leeuwenhœckius & Hartsœckerus primi detexerint, hosque secutus sit Dalechampius cum suis asseclis, ea cum differentia, quod priores, manere vermiculos in utero, ibique nutriri & augeri, posteriores vero per tubas Fallopianas ad ovaria deferri, & ovulum ingredi crediderint; utrorumque rationes fideliter recenset atque solide refutat Noster. De quibus aliquid dicere eo magis dubitamus, quo pluribus vicibus hoc de argumento in his Actis jam locuti sumus. Sic & in *Tr. IV* respondet objectionibus, quas D. Dominicus Maria Taravazzus contra systema ovorum in animalibus viviparis moverat. In *Tr. V* Observationes quasdam communicat & specifica allegat, quæ partim a Medicis, ex. gr. Mortono, Mayerne, Boyle, &c. commendata; partim a se inventa, magni usus in morbis esse reperit. Sic pag. 193 folia viridia juglandum ad absumendum lac puerperarum, p. 194 battituram ferri ad cachexiam a mensium suppressione ortam, p. 199 Electuarium & Pilulas ad præcavendam phthisin post hæmoptysin, quæ recipiunt Rob. passul. cum Aqu. farfar. extr. unc. 3 sem. papav. alb. unc. i. cumsemiss. cerussæ antim. unc. i. colchot. vitriol. dulcif. drachm. i. semiss. syr. dialth. Fern. & scabios. ana

q. s.

q. ſ. pag. 200 ſequentes pilulas ad omnes hæmorrhagias, potiſſimum ad ulcera veſicæ, renum & aliarum partium internarum cum ſanguinis fluxu combinata, quæ parantur ex vitriol. dulcif. ſexies cum phlegmate vitriol. vel aqua ſperm. ran. irrorati & exſiccati, G. Arab. ceræ albæ ana unc. ſemis, & balſ. Peruv. drachm. 1, etiam atque etiam commendat. In *Tr. ultimo* de vero uſu feroque abuſu veſicatoriorum commentatur. Quæ cum parentur ex cantharidibus, ſinapi, euphorbio, &c. adeoque ſale volatili alcalico conſtent, in omnibus morbis, in quibus acidum vel viſcidum peccat, & fluida tardius moventur, conducere, & quoniam urinam ſimul pellunt, in abundantia ſeri & lymphæ apprime valere dicuntur. Alias in particularibus quibusdam affectibus adhibentur, non tam ut humores p. n. verſus habitum alliciantur, & extra corpus proſcribantur, quam ut, dum ſalia eorum volatilia intimius penetrant, particulas noxias verſus renes pellant, obſtructiones referent, fluidorum motum accelerent, molecularum inutilium contactum deſtruant, iisque novum ſitum, aliamque diſpoſitionem juxta rationes mechanicas concilient. Ob has cauſas, imo & revellendi & ſpiritus excitandi gratia proſunt in febribus malignis, petechialibus, cum lethargo conjunctis, in lymphaticis diuturnioribus, ac pertinacibus, in intermittentibus pertinacibus, in gravioribus capitis doloribus, imprimis hemicrania, in melancholia & imaginatione depravata, apoplexia, catalepſi, vertigine, epilepſia, in malo iſchiadico aliisque doloribus arthriticis, rheumatiſmo, inflammationibus partium internarum cum febre. Damnantur vero in morbis, ubi particulæ alcalico-ſalinæ, imprimis volatiles, & ſulphureo-volatiles abundant; ut in oculorum fluxionibus, in ardore & incontinentia urinæ, inflammatione & ulcere veſicæ, in menſibus imminentibus vel profluentibus, ac lepra. Exulent quoque in ſubjectis gracilioribus, ſiccis, calidioribus, ſpiritibus mobilibus gaudentibus, & ad hecticam inclinantibus. Ratione temporis non applicentur niſi præmiſſis univerſalibus, & quando alia benigniora remedia fruſtra fuerunt adhibita. Ratione loci non admoveantur parti inflammatæ, debilitatæ, emaciatæ, vel fluxioni cuidam obnoxiæ.

JOH.

Digitized by Google

JOH. MATTHIÆ HASII, MATH. PROF. P. Witteberg. Programmata bina, de Eclipſibus Solis & Lunæ binis anni 1726, junctim edita cum ſchematibus.

Wittebergæ, apud viduam Gerdeſiam, 1727, 4.
Plag. 3½ Tabb. æn. 2.

CL. Autor, Collega noſter honoratiſſimus, qui A. 1715 eclipſis Solaris illius anni illuſtrationem variis Schematibus, Orthographicis, Stereographicis polaribus univerſalibus, Stereographicis particularibus, itemque profilicis dederat, recenſitam a nobis in Suppl. Tom. VII Sect. I, eclipſes etiam, Solarem atque Lunarem, præteriti anni binis ſchematibus explicare conatus eſt. Obſervat, ſchemata eclipſium Solarium vel terreſtrium projectionibus Stereographicis polaribus exhibitarum jam eſſe ſatis frequentia, cum magno numero imprimis in elegantiſſimis Ephemeridibus Manfredianis occurrant. Quoniam tamen habent hoc incommodum, ut ægre integrum hemiſphærium illuminatum exhibere valeant, ea de cauſa, & ut modum exhiberet, quo concinnius ejusmodi eclipſes propius æquatorem contingentes (ad quarum repræſentationem deformationem telluris nauticam in mappa reducta adhiberi minus juſtum ipſi videtur) exhiberi poſſint & ut ſimul ſpeculationem de repræſentationibus harum eclipſium nova aliqua acceſſione perficeret, Eclipſin Solarem, quæ ſuperiori anno d. 25 Septembr. contigit, mappa & projectione ſtereographica æquatoria, & gradus longitudinis 280 in æquatore, qui per medium mappæ tranſit, comprehendente exhibuit. In qua vero ob ſpatii anguſtias duæ potiſſimum phaſes initii & finis, nempe deliquii terreſtris & regionum omnium, quæ illo tempore diem habuerunt vel in hemiſphærio illuminato conſtitutæ fuerunt, comparent. Modum deſcribendi ejusmodi ſchema ex prædeſcripto ſchemate orthographico vel & inſuper ſtereographico polari notum ſupponit. Præterea vero ut modum hunc projectionis, nempe ſtereographicum æquatoreum, eo magis commendaret, Eclipſin quoque Lunæ, quæ 11 Octobr. ejusdem anni contigit, ſcilicet phaſes, quibus terra per eandem affecta fuit, ſimili ſchemate ex-

preſſit. Quale nunquam antea publicatum integrum, in quo adeo hic pariter hemiſphærium nocturnum (cum parte diurni) ſive omnes regiones, quibus ſucceſſive eclipſis Lunæ hæc viſibilis exiſtit, exhibentur, tresque ſpeciatim phaſes initii, medii & finis eclipſeos exprimuntur. Ubi quidem ſimul (propter latitudinem Lunæ, quamvis parvulam) tamen hemiſphærium nocturnum ab illo hemiſphærio, quod Lunam videt, quamvis ab altero modicum ſaltem differente, diſtinctum apparet.

Potiora momenta calculi harum eclipſium, ſecundum tabulas Hireanas adminiſtrati, adjunguntur; cœlum vero in neutra eclipſium favens obſervationi fuiſſe monetur.

OBSERVATIONES ASTRONOMICÆ, A DN. DE LA CROYERE, Cl. ejusque fratre, DE L'ISLE, in Ruſſiam tendentibus, ut & a Cl. KIRCHIO, in Obſervatorio Regio Berolinenſi A. 1726 inſtitutæ, a DE L'ISLE deſcriptæ, & nuper Petropoli ad Collectores Actor. Erud. transmiſſæ.

JAn. XVI 1726, $7^h\ 24'\ 13''$ veſp. notata fuit emerſio tertii ſatellitis Jovis teloſcopio pedum 15 objectivo Campani: cœlum ſerenum, ſed nihilominus Jovis diſcus non tam bene terminatus apparuit, quam ſolet. Teleſcopium pedum XXVI emerſionem anticipavit $5''$, oculari minus diſtincte refringente imaginem objectivi.

Jan. XVIII, $9^h\ 5'\ 56''$ veſp. Mars incipit ad Lunaris diſci partem obſcuram emergere, teleſcopio 6–7 pedum, ut deprehendit frater *de la Croyere*; quamvis Luna trans nebulam cerneretur, obſervatio tamen exacta eſt, utpote inſtanti temporis facta. Eram tunc occupatus teleſcopio 15 pedum Campani collocando. Poſt initium emerſionis a fratre obſervatum vidi $6''$ vel $7''$, Martis diſcum totum retectum a Lunari $9^h\ 6'\ 2''$ vel $3''$.

Altitudines meridianæ ſuperioris limbi Solis quadrante 18 pollicum radii.

17 Jan.

Digitized by Google

17 Jan. 17° 4′ 30″.
20 — 17 41 30.
21 — 17 55 15.

Obſervationes correctæ, errore quadrantis circiter 4′, ſuppeditarunt fere altitudinem poli 52° 32′½ in obſervatorio Berolinenſi, adhibitis declinationibus Solis, quæ extant in tabulis D. *de la Hire.*

Unpartheyiſcher Bericht vom Vorrecht der Erſtgebohrnen in illuſtren Familien.

i. e.

SINCERA INSTRUCTIO DE JURE PRIMOGENITORUM in illuſtribus familiis. Editio ſecunda.

Gothæ, apud Joh. Andr. Reyherum, 1727, 8.
Plag. 7.

AUtor hujus ſcripti eſt Vir ſumme reverendus, D. *Erneſtus Salomon Cyprianus:* cujus ut reliqui libri, quibus rem eccleſiaſticam & litterariam ornavit, juſſu *Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani, FRIDERICI II,* prodierunt, ex quo munus Conſiliarii Eccleſiaſtici & Conſiſtorialis ab ipſo ſibi delatum, & cum inſigni totius Eccleſiæ Evangelicæ emolumento adhuc geſtum, ſuſcepit; ita hic quoque, eodem *Sereniſſimo Principe* ita jubente, jam ante aliquot annos conſcriptus, & hoc anno recuſus eſt, continetque defenſionem juris, quo illuſtrium familiarum ſplendor conſervatur, ſolidis & perſpicuis rationibus inſtructam. Cap. I. Jura primogenitorum legi naturæ & internæ ſocietatis civilis compagi omnino congruunt. Naturali enim omnium hominum æqualitate ſublata, inſtitutaque civilis vitæ conſociatione, cujus finis eſt bonum publicum, privatæ cujusque utilitati, ubi contentio oritur, ſimpliciter anteponendum: neceſſarium utique eſt, & juri naturali, finique ſocietatum civilium conveniens, ut excluſa diviſionum licentia, vires & conjunctæ maneant, & unius arbitrio ſubſint, qui non alius, quam natu major eſſe debet, cui nemo fratrum poſt genitorum excuſate ſemet opponere, aut jus divinum & avita

teſtamenta obtendere poteſt. C. II. Jus primogenitorum ab omnibus populis agnoſcitur & approbatur: cujus rei naturalis ratio eſt, quia vires conjunctæ in agendo & ſuſtinendo plus pollent, quam diſſipatæ; unde omnes gentes non ſolum unius fratris imperium præſtantius putant eo, quod multis capitibus laborat, ſed & æquum exiſtimant, ut primogenitus imperio potiatur, quod Ariſtotelis, Herodoti, Juſtini & aliorum teſtimoniis oſtenditur. C. III. Idem jus ſacrarum quoque literarum teſtimonia comprobant. Inter loca huc ſpectantia a S. R. Autore refertur etiam ille, qui extat *Gen.* IV, 7, idque ex mente cum aliorum quorundam Interpretum, tum imprimis Heideggeri, cujus verba ex hiſtoria Patriarcharum To. I Exercit. 1 §. 18 p. 22 hic in notis ſubjecta leguntur. Ita autem ille: *Habelem fuiſſe ſervum fratris ſui Cainæ primogeniti, oſtendunt verba Dei ad Cainum, qui dedignatione Dei, ſacrificium ejus averſantis, perculſus timuerat, ne excidiſſet ſua in fratrem poteſtate. Deus autem illi poteſtatem in Habelem confirmat his verbis: Ad te appetitus ejus, & tu illi dominaberis.* C. IV. Adjiciuntur antea dictis plures cauſæ, quare natu minores primogeniti fortunam non debeant iniquo animo ferre. Mens generoſa ſalutem & conſervationem patriæ, Curtii, Deciorum, Codri, Philenorum, aliorumque egregiorum civium exemplo tanti æſtimat, ut ea privatam ſuam utilitatem nunquam non præponderari velit: nec privatæ vitæ commoditatem, inanem gloriam, luxumque finem bonorum conſtituit. Primogenituræ dignitas naturali, divino & gentium jure, prætereaque aureæ bullæ & confirmationibus Cæſarum ita juvatur, ut vana futura ſit ſine viribus ira adverſus eam aliquid molientium. C. V. Etiam poſt geniti principes, licet imperio careant, poſſunt tamen bene beateque vivere. Primam viam Principibus ineundam, ſi voluerint eſſe felices, oſtendit exploratiſſima illa, licet fere ignota veritas, veram felicitatem non in magnifico apparatu, vitæque cultu externo cum omnium rerum copia conſiſtere, ſed in animo cujusque eſſe quærendam. Secundo loco ejusmodi Principes rebus ſuis conſulere poſſunt, ſi detractis ſumtibus cupiditatis rem parſimonia retineant: porro ſi rebus belli cum prudentiæ & fortitudinis laude gerendis mature ſe idoneos reddiderint; vel etiam

in

Digitized by Google

in toga magnis Regibus, aliisque imperantibus opera & consilio præsto fuerint: quo & pertinent felices nuptiæ, minime autem veræ religionis desertio. C. VI. Jus primogenituræ in domo Saxonica non est novum, quippe quod in utraque linea jam olim usurpatum fuit, cum Ducis Alberti & Electoris Johannis testamentis esset confirmatum.

JO. PETRI DE LUDEWIG, JCTI, FRIDERICIANÆ Cancellarii, Reliquiæ MSptorum omnis ævi Diplomatum & Monumentorum inedi-torum.

Tomus IIX.

Francofurti & Lipsiæ, 1727, 8 maj.

Alph. 2 pl. 5 Tabb. æn. 7.

POst splendidam Dedicationem Illustriss. *Frid. Ernesto* S. R. I. Baroni ab & in *Cnipbausen*, Potentiss. Regis Porussiæ in sanctiori Curia Administro Status, inscriptam, singularem huic Tomo, pro more suo, Præfationem præmisit Ill. Editor, in qua multum initio præfatus de Dynastia sua Bendorffio, de cujus acquisitione, quæ paulum retardavit editionem Tomi hujus, ipsi impense gratulamur, de libris hic contentis uberius disserit. Hanc solam nunc perlustrare sufficerit, maxime cum nullas monumentis hic publicatis, prout in ceteris quidem Tomis fieri suevit, notas subjectas deprehendamus. Primo loco exhibetur *Sigismundi Meisterlini*, qui circa finem seculi XV primum ad D. Sebaldum Noribergæ, ac deinde in cœnobio Grundlachiensi Antistes fuit, *Noribergensis civitatis historia*, ad A. 1470 producta, quem Autorem, mercede quippe conductum, parum æquum fuisse Burggraviis aliisque, probe observat Noster, varia ab eo tradita accurate in Præf. confutans. Qua occasione etiam Jo. Mülleri Chronica Norib. adhuc inedita, tum & alia monumenta & diplomata MSS. quæ maximam partem ipse possidet, prolixe recenset. Sequuntur inde II *Monumenta quædam genealogica & historica*, e Bibliotheca Illustriss. *Ludovici Ottonis* nob.

Digitized by Google

Domini *de Plotho*, Regi Poruſſiæ a Conſiliis ſanctioribus & rel. Noſtro conceſſa, quæ quatuor Sectionibus partitus eſt Noſter, quarum prima de Welpone Bavariæ Duce, & ſecunda de Saxoniæ originibus agit, tertia Catalogum Miſniæ Marchionum & Landgraviorum Thuringiæ, ſeu, ut corrupte legitur in Codice, *Katal. Lantgravii Thuringiæ & Archi-Epiſcoporum Miſnenſium*, quarta Chronicon & Genealogiam Miſniæ Marchionum complectitur. Enimvero, ut prima Sectio *hiſtortolametiam ab aliis incantatam*, & ſecunda *nanias plures & narrationes vulgares* continet, ut ipſe Cl. Editor fatetur, quæ adeo hanc Collectionem deformant potius quam ornant; ita Vir Conſ. poſtremis Sectionibus edendis ſupersedere utique potuiſſet, quæ nihil quippe ſunt aliud quam excerpta ex Annalibus Vetero-Cellenſibus (quorum verba ipſa, ſed ſæpe corrupta, exhibent) a Celeb. B. G. *Struvio* primum tum Jenæ 1720, 8, una cum Chronico Tertæ Miſnenſis inedito, ſeorſim vulgatis, tum ejusdem Collectaneis MSS. ſeu Actis Litter. Tomo II inſertis: quos & jam pridem dignos cenſuit *Menckenius* noſter, quos & cum Chronico Montis Sereni, quocum ſæpe conveniunt, & duabus ejus verſionibus vetuſtis vernaculis, adhuc ineditis, altera e Schurzfleiſchiana, altera ex Imhoſiana Bibl. diligentiſſime collatos, *Scriptoribus* ſuis *rerum German. præcipue Saxon. Miſn. & Thuring. Tomo II*, qui ſub prælo eſt, a p. 377 ad 416 inferret. Quas adeo editiones quicunque cum *Ludewigiana* hac conferet, vix duo in iſta deprehendet loca, exigui quidem momenti, quæ ab Epitomatore hic addita, in illis non exſtant, contra appendicem de Friderico Strenuo & plurima loca alia in illis obvia hic deſiderabit; præterea animadvertet, in hac, ſive deſcriptoris, ſive Codicis ipſius vitio, innumera fere ita depravata eſſe, ut niſi illas editiones adhibeas, œdipo lectore opus ſit. Quod ne gratis dixiſſe videamur, pauciſſimas e multis guſtus cauſa afferemus lectiones Codicis hujus corruptiſſimas, adjunctis melioribus ex edit. *Menckeniana*.

Ludew. p. 186 lin. 21 *nata in Eyrbenhilda* matre, *Menck.* p. 379 l. 32 *natam ex Suenhilda matre*; *Lud.* p. 188 l. 8 juxta *Salum* promiſſum, *Menck.* p. 380 l. 15 juxta *ſilium* prom. *Lud.* p. 191 l. 1 Odo pugnax Marchio *lateris Rex illis tergo* vertit, *Menck.* p. 381 l. 37

l. 37 Odo- *laceris vexillis terga* vertit ; *Lud.* p. 244 l. 14 antequam *tradementum in castro presentarent* ; *Menck.* p. 409 l. 18 antequam *tradimentum hi qui in castro erant persentirent* ; *Lud.* p. 245 l. 26 filiam *Etii* Ducis, *Menck.* p. 409 fil. *Ottonis tertii* Ducis ; *Lud.* p. 246 l. 29 cæcitatis *obtervia*, *Menck.* p. 418 l. 28. cæc. *obtalmia*, &c.

Ceterum cum occasione Plothoniani hujus Codicis Ill. Editor etiam meminerit Codicis Chronici Montis Sereni, in eadem Bibliotheca exstantis, quem se editurum pollicetur in rerum Magdeburgensium voluminibus, quæ proxime daturus est prælo ; nolumus eum latere, dudum Illustrissimum Domin. de Plotho, Mœcenatem summum (qui & *Monumenta* illa Menckenio pro summa, qua pollet, in literas & literatos propensione obtulit, quibus tamen se carere posse facile intellexit) varias Lectiones sui Codicis Chronici Montis Ser. eidem liberaliter transmisisse, quas pariter cum collationibus versionum vernacularum, supra memoratarum, Scriptor. suorum Tomo II inseruit a p. 165 ad 312. Sed ut ad libri nostri contenta revertamur, succedit III *Havelbergensium Episcoporum Catalogus* ab A. 946 ad 1600, figillis Episcoporum, minori quidem forma æri incisis, exornatus ; cujus autorem se ignorare Noster fatetur. Enimvero exstat idem liber, A. 1697 vernacula ab Autore, qui nomen appposuit, *Joachimo Conrado Stein*, Senatore & Secretario Vitstochiensi exaratus, in Bibliotheca *Menckenii* nostri, quem se debere Illustri Hoffmanno, Francofurtensis ad Viadrum Academiæ ornamento, gratus profitetur : nec verbo hic ab illo Codice differt, nisi quod textus vernaculus Autoris brevis, diplomatibus quippe maximam libri partem occupantibus, Latine translatus est (quod toties addita ab Interprete verba vernacula docent, ubi de sensu exprimendo dubitat, ut cum verbis *jurisdictione*, *immunitatibus collegiisque* per parenthesin *Gulden und Gewercke*, & voci *ulnas* addit *Klaffter*) &, quæ Menckeniano Codici adjecta sunt ab Autore de victoria Suecorum ad Vitstochium A. 1636 parta, cujus in ipso libro mentionem obiter fecerat, in Ludewigiano prætermissa sunt. Nec Præfatio huic accessit, e qua discimus, Steinium non solum Henricum Haveckendahlium, (*Haventhalium* Noster falso

ſo vocat in Præf.) verum & veterem Codicem vernaculum, initio ſeculi XVI ſcriptum, ſecutum eſſe, ipſoque Archivo Curiæ uſum. Ceterum ſubjunxit Editor huic Catalogo *Hiſtoriam ſanguinis Chriſti in Wilsnage*, aliunde deſcriptam, quam nos quidem parum moramur. Denique IV *Lamberti Ardenſis Hiſtoria Comitum Ardenſium & Guisnenſium* ab A. 800 ad 1200 exhibetur e Codice, quem Noſter e Bibliotheca Nic. Joſephi Foucault ſibi comparavit; quam nunc tandem integram prodire gaudebunt, qui excerpta libri, plurima quidem & ſatis prolixa, apud Andr. Ducheſnium in probationibus ad librum *Hiſtoire Geneal. des Maiſons de Guines, d'Ardres, de Gand & de Coucy*, Par. 1631 editum, quem Noſter ſe ad manum non habere profeſſus eſt, perluſtrarunt. Acceſſit etiam Præfationi duplex Ill. Editoris Appendicula de duobus nummis aureis, altero Ludovici IV Imp. præter morem ejus ævi diademate clauſo ornati, in quo dum aquilam bicipitem obſervat, ſententiam paradoxam de hac aquila ex Brandenburgicis nummis depromta iterum tuetur; altero Ludovici XII Gall. R. ſatis noto, cum inſcr. *Perdam Babylonis nomen:* ſed de his, maxime cum neuter *νοθείας* careat ſignis, & de ultimo uberius egerit Chriſtianus Sigism. Liebe, hodie Seren. Duci Saxo-Gothano a nummophylacio, in peculiari Diſſertatione contra Harduinum Lipſ. 1717, 8, edita, dicere ſuperſedemus. Atque ita ultimam huic Collectioni manum impoſuiſſe videtur Autor, ne ſcilicet nimium excreſceret, novam tamen mox, ut non obſcure innuit, ſub novo titulo telam auſpicaturus, quod inſtitutum ut pari felicitate exſequatur Vir ſummus, toto pectore optamus.

METHODUS CONTRACTA HISTORIÆ ſive triplex Schema &c. labore P. ANSELMI DESING, Ord. S. Benedicti, Congregat. exemptæ Bavar. SS. Angelor. Cuſtod. Monaſterii Ensdorff in Palatinatu Superiore.

Ambergæ, typis Jo. Ge. Koch, 1725, fol. oblongo.

Alph. 1 pl. 4.

Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoriæ tum ſcribendæ tum legendæ methodum non inelegantem nobis dedit Rev. Autor in Tabulis ita diſpoſitis, ut alterum quodque latus vacuum relictum ſit, forte ut Lector in illo annotare poſſit, quæ ex re ipſi viſa fuerint; quamvis & ipſe ſpem faciat, ſe ſingulari opere deinceps omnia exemplis uberius illuſtraturum, eaque additurum, quæ ab aliis monita obſervaverit, ſi modo iſta non diſplicitura lectoribus cognoverit. Et tribus quidem Schematibus omnia complectitur, quorum primo natura hiſtoriæ, materia nempe & forma, tum & propria, locus, tempus, finis expenduntur; ſecundo ſtudium hiſtoriæ conſideratur, quæque requirantur ab hiſtorico vel ab eodem obſervanda ſint in ſcribenda hiſtoria; tertio praxis hiſtoriæ tum antiquæ tum novæ, ſacræ & profanæ, omnium Imperiorum & Regnorum, ita traditur, ut adhibito imprimis Catalogo Langleto-Menekeniano hiſtorico, cum ſimilibus libellis collato, Autores præſtantiſſimos eorumque editiones optimas commendet; quibus poſtremo etiam Hiſtoriæ Litterariæ & Naturalis ſcriptores præcipui ſubjiciuntur. Nihil addimus, memores moniti, quod ultimo loco ſubjecit Autor, ne quis temere arbitretur, qui vel Latinitatis, vel rerum non ſit peritus, & ſi utriusque peritus ſit, ut cunctanter tamen pronuntiet & lente. Ceterum majus illud opus, cujus ſpem facit, plura forte nobis recenſenda ſuppeditabit.

NOVA LITTERARIA.

GEneva nuntiatur, *Antonii Pagi* Criticæ in Annales Baronii editionem alteram, variis locis, quæ minus accurata agnoverat Autor, emendatam, auctamque ejusdem Autoris Diſſertatione hypatica de Conſulibus Cæſareis, quæ ad opus illud illuſtrandum pertinet; tum & *Franciſci Pagi* Breviarii geſtorum Pontificum Tomum IV, proximis nundinis Francofurtanis, e typographia *Gabrielis de Tournes* & Filii proditurum. Nec ignorare Lectores noſtros volumus, eosdem Typographos libros omnes Latinos, qui Lugduni in Gallia apud Aniſſon & Paſuel & Pariſiis apud Rigaud impreſſi ſunt, non exiguo numero, ſibi comparaſſe, quorum præcipui in iisdem nundinis in ipſorum officina Francofurti proſtabunt.

Celebres Venetorum Typographi, Jo. Bapt. Albrizzi & Sebastianus Coleti, de splendido opere subscriptionis lege imprimendo programma emiserunt. Nimirum cum nova Collectio Conciliorum Harduini multis suspecta, Labbeana vero & Cossartiana adhuc maximo sit in pretio, hanc integram, ne erroribus quidem Autorum (qui tamen in margine indicabuntur) mutatis, recudere parant XX Voluminibus, ita quidem, ut non modo Baluzianum Supplementum, verum & ea, quæ Harduinus, Holstenius, Mabillonius, Aguirre, Dacherius, Martene, Lambecius, Pez, Bessin aliique singularia habent, ad argumentum hoc spectantia, addant, non neglecturi etiam, si quid inediti conferre ad operis ornamentum velint eruditi; quibus denique Indices Labbeani, pro modo augmenti, quod accedet, instructiores, & ex Harduino Index Geographicus Episcopatuum accedent. Imprimetur opus typis elegantissimis, quingentis exemplis, quorum 250 in charta maxima, totidemque in mediocri, pura tamen & eleganti, comparebunt. Prodibunt vero bini simul Tomi, quatuor mensium intervallo, pro quibus, chartæ majori impressis, prænumerandæ sunt, identidem acceptis & redditis chirographis, 60 libræ Venetæ; & primi quidem Tomi II, hoc ipso Mense typis subjiciendi, lucem adspicient sub anni hujus finem, totum vero opus tribus cum dimidio annis integrum proslabit. Ceterum cum huic collectioni etiam Aguirrii Concilia Hispaniæ, Bessini Rotomagensia, ipsaque Harduini Gallica destinata sint, miramur utique, nullam haberi rationem Anglicorum ab Henr. Spelmanno Lond. 1639 editorum. Quare hac occasione ignorare nolumus Editores nostros, in Bibliotheca Menekenii nostri, ut ex nova ejus editione p. 661 patet, exstare Codicem operis Spelmanniani præstantissimum, qui manu, ut verisimile, ipsius Autoris e MSpto Regio aliisque innumeris fere locis emendatus est, versione quoque nova monumentorum e lingua Anglica in margine addita, quam editoribus, si ex re ipsis visum fuerit, non invidebit.

Florentiæ haud ita pridem prodierunt *Thomæ Dempsteri Antiquitates Hetruscæ*, cura *Thomæ Coke*, Equitis Angli, duobus Tomis

mis in Folio ex ipſo MSpto Dempſteri, quod Cokius ſibi comparavit, nitide excuſæ: adjecit huic Operi appendicis loco *Philippus Buonarottus* Explicationes & conjecturas ſuper ea, quæ a Dempſtero dicta ſunt, quibus ingens libro decus accedit. Proſtat vero opus octodecim fere thaleris. Cl. *Ant. Maria Salvinius* edidit ibidem ſuperiori anno in 4 Satyras *Perſii*, in metrum Hetruſcum a ſe translatas; eandemque operam adhibuit vertendo *Oppiano*, qui & ipſe lucem jam adſpexit. Præterea in eo eſt, ut *Iſ. Caſauboni* librum de Satirica Græcorum poeſi & Romanorum Satyra cum notis ſuis recudat. Noviſſime etiam ibidem editæ: *Inſcriptiones antiquæ Græcæ & Romanæ, quæ in Hetruriæ civitatibus extant, collectæ ab* Anton. Franciſco Gorio, *una cum Notis* A. M. Salvinii, in *fol.* Sunt vero, qui integrum hoc opus Salvinio deberi cenſent, certe dubitandum non eſt, quod ſua opera laborem Gorii multum promoverit Salvinius, cum ille, exigna alioquin eruditionis laude conſpicuus, ſingulari cognationis vinculo huic junctus perhibeatur. Sub ejusdem *Gorii* nomine nuper in æs inciſum eſt *Sepulchrum Liviæ*, cujus antiqua rudera ante aliquot annos in publico loco Florentiæ inventa novimus. Inſignita eſt hujus monumenti effigies ab Autore ſingulis Inſcriptionibus, quas ipſi monumento inciſas animadverterant harum rerum periti, additæque ei ſunt, Italico idiomate, a duobus Abbatibus, *Salvinio* & *Andreino*, Obſervationes perelegantes, ipſamque rei antiquitatem ex hiſtoriarum monumentis erudite eruentes. Ejusdem monumenti depingendi & explicandi curam olim Romæ in ſe ſuſceperat Cl. *Bianchinus*, & adhuc ſpes ſupereſt, fore, ut brevi laborem ſuum ad finem perducat. Neque tacendum, Florentiæ *Alexandrum Politum*, quem conſtat multis abhinc annis deſideratiſſimæ *Euſtathii* editioni inſudaſſe, nunc quidem rem eo perduxiſſe, ut maximam ejusdem partem jam typis abſolutam habeat, ſpemque eruditis faciat de feſtinando hujus editionis negotio. Multum ſibi de labore iſto promittunt, quibus ad palatum fuere, quæ jam ante ſpecimînis loco ex Euſtathio publicavit, a Joſ. Georgio duabus Po-

liti & Ubaldi Migronii Orationibus, pro solenni instauratione studiorum, addita, *Flor.* 1723, 4. Decem vero Tomis in folio continebitur hic Scholiastes, curabitque Cl. Editor, ne in chartarum typorumque venustate habeant Eruditi, quod desiderent. Rem omnem ita aggressus est, ut 1) Textum ipsum Eustathii ex præstantissima, quæ Romæ prodiit, editione fideliter depromat, Basileensi tamen editione non plane abstineat, sed eandem, ubi opus sit, in subsidium vocet, & cum Romana conferat; 2) versionem ejusdem, a se, quantum potuit, accurate confectam, adjiciat; 3) Observationes & Explicationes locorum intellectu admodum difficilium, quarum non exiguam copiam congessit, laudatus modo *Salvinius* Appendicis instar annectat, & 4) textum Homeri, prout per ipsam scholiorum molem licebit, cujusvis paginæ initio præmittat. Ibidem sub prelo sudant *Gassendi* Opera omnia, quorum raritate, & ingenti pretio, quo hactenus constabant, excitatus eruditus quidam Italus, nunc novam eorundem editionem parat. Novis etiam typis magnum Vocabularium seu Lexicon *della Crusca*, hactenus raro obvium, plenius atque auctius, quam olim fuerat, proxime in scenam prodibit. Hoc ipso vero anno 1727 Clar. *Michaellus*, Botanicus Florentinus, illic in lucem emisit: *Nova genera Plantarum secundum methodum Tournefortianam*, in fol. quem librum Autor centum figuris æri nitidissime incisis adornari curavit. Imprimitur & hic: *Orbis sacer & profanus*, 5 Voll. in fol. Autore *Orlando*, Lectore Pisano, quo libro id egit Autor, ut, quæ fuerit antiquis temporibus tum aliarum rerum, tum provinciarum maxime conditio, solerter excuteret. Denique conficiendo Bibliothecæ Laurentianæ exacto Catalogo opera impenditur, qui cum ad umbilicum perductus erit, ad Anglos transmittetur, ut suis eum typis curent imprimi, nisi forte jamjam res eo pervenerit, ut prelo subjectus sit. Hujus rei negotium eo sollicitius in se susceperunt Florentini, quo magis manca ac mutila cognoverunt ea, quæ de hac Bibliotheca a Celeb. Fabricio in Appendice Lambecii dicta fuerant. Ephemerides literariæ Italicæ, *Giornale dei Giornali* dictæ, quæ

auto-

Digitized by Google

autorem habent *Catancum*, virum egregium & perpolitum, VI partibus in 4 jam absolvuntur, & publice Venetiis prostant. Cardinalis *Carpegnæ* librum, cui titulus: *Osservationi sopra alcuni Medaglioni*, omnibus antiquitatum amatoribus magni æstimatum, egregiisque figuris æri incisis ornatum, *Buanorotus* nuper nitidis typis in folio recudi curavit. Prodiit item haud ita pridem Venetiis liber de Monetis Papalibus in genere, in quo varias variorum Pontificum monetas tam recensitas quam explicatas exhibet Autor anonymus. Doctissimus *Justus Fontaninus* edidit nuper librum, quem inscripsit: *di Santa Columba, Vergine Sacra della Citta d'Aquileja, in Tempo del Pontefice San Leone Magno, e d'Attila, Re degli Unni, Commentario, scritto da Monsignore* Giusto Fontanini, *Arcivescovo d'Ancira, in Roma* 1726, qui liber quamvis autorem Pontificium non dissimulet, cum religiosum sanctorum & reliquiarum cultum videatur acriter defendere, ideo tamen lectorum omnium meretur admirationem, quod in ultima Antiquitatum illius temporis, de quo ipsi sermo est, viscera penetrat, & historiæ curiosis non parum lucis affundit. Ejusdem liber *Eloquenza Italiana*, qui docet, Italico sermone apte & ornate dicere, & cujus parti alteri appendicis instar adjecta sunt scripta Italorum quorundam, qui patrii sermonis studiosissimi fuerunt, recusus nuper admodum est, cura Anonymi cujusdam, qui tamen tantum abest, ut hoc ipso rem gratam Fontanino fecerit, ut potius supra dicto libro, *di Santa Columba*, annexa sit a Fontanino Epistola ad Lectores quosvis, qua novæ hujus editionis incomtum negotium, quantum potuit, perstrinxit, jussitque eos expectare accuratiorem hujus libri sua opera evulgandam editionem, cui pleniorem longe quam olim fuerat, Italorum Oratorum catalogum adjungere constituerit. Superiore anno Romæ Italico sermone evulgatus est liber, cui titulus: *Luigi Nono il Santo, Vita e Massime a i Principi*, di D. Gabriele di Maria Valenzicela, *Barnabita, in Roma* 1726, fol. II Partibus. Singulare iste liber hoc habet, quod præmissa ei sit ad Regem Hispaniarum, Philippum V, Dedicatio, Latino, Hispanico, Italico, & Gallico sermone expressa, quæ cum quar-

tam libri integri partem conficiat, primo ſtatim obtutu æqui rerum æſtimatores a lectione ipſius libri abſterrentur.

Lugduni Batavorum Luchtmannus ſeparatim recudit Epiſtolam Criticam antea in Britannia adverſus Phædrum Bentleji, autore, ut ferunt, *Hearo* publicatam, qua fere omnes Bentleji emendationes impugnantur. *Lucanum Oudendorpii* ibidem jam ſub prelo ſudare ajunt, nec diu deſiderabuntur a Wetſteniis *Terentius* & *Phædrus Bentleji*. *Everhardus Otto* totus eſt in edenda Jurisprudentia ſua ſymbolica, & *Merillii* Synopticis Tabulis Inſtitutionum. *Drakenborchius* ſtrenue pergit in explicando *Livio*, ſed cum nimiam fere curam ei adhibeat, verendum eſt, ne tardius Typographis tradatur. *Carolus Andreas Dukerus*, cujus in ſcriptores priſci ævi ſatis conſtant merita, novam jam molitur editionem *Thucydidis*, cum editis H. Stephani & Hudſoni ac MSptis Joſephi Waſſe Notis; cui imprimendo jam etiam primæ manus admotæ ſunt. Huic Editioni pauca ab ipſo Dukero accedent, præter varias Lectiones e MSptis, Obſervationes item & Conjecturas doctorum Virorum; fallenturque adeo, qui dedita opera illuſtratum hic Thucydidem quæſiverint. Habuit idem Dukerus in animo dare novam Editionem Grammaticorum Græcorum, Ammonii *περὶ ὁμόιων καὶ διαφέρων λέξεων*, Phrynichi, Th. Magiſtri, Mœris & Erotiani; ſed poſtquam ex amicis intellexit, ejusdem rei curam ſuſcepiſſe in Gallia Salierium, qui in Boivinii locum ſuffectus eſt, & Sorinum, abjecit horum editionem fere omnem, niſi quod Ammonium, de quo illi parum cogitant, ſeparatim olim edere conſtituerit. Lugdunenſes novorum quotidianorum Ephemerides ſignificarunt, Trajecti ad Rhenum brevi proditurum *Horapollinem*, cum *Mercuri*, *Haſchelii*, *Cauſſini*, & J. C. *de Pauw*, ejusdem, qui nuper Hephæſtionem & Diatriben de Alea Veterum edidit, Notis. *Havercampum* ferunt cogitare de edendo *Cynegetico Grotii*, & *Eutropio*, cui famæ an credendum ſit, in poſterum patebit. Editum nuper eſt Auctarium Carminum *Broukhuſii*, quo continentur virulentiſſima ejus in Jac. Gronovium, Perizonium, Jenſium, Havercampum, & alios Epigrammata. Pauciſſima hujus libelli

belli exempla impressa sunt, & inter cultores nominis ac memoriæ Broukhusianæ distributa. Prodiit etiam Amstelodami nova Editio Carminum *Sannazarii*, in 8, cum *Ulamingi* & *Broukhusii* notis. Idemque *Ulamingus* edidit nuperrime *Propertium*, cum ejusdem Broukhusii annotationibus multo auctioribus. *Waesbergii* brevi publicabunt *Labitti* Indicem legum, cura *Abr. Wielingii* Gymnasii Amstelod. Conrectoris, jam pene ad umbilicum perductum. Wetstenii novam editionem *Itinerarii Antonini* cum Commentar. Suritæ & ineditis Altingii parant, ejusque adornandæ negotium dederunt *van der Welp*, tertiæ, vel quartæ Classis Scholarum Amstelodami præfecto. *Verburgius* occupatur in vertenda in sermonem Belgicum *Metamorphosi Ovidii*, quam cum pulcherrimis figuris æneis Latine, Gallice, & Belgice daturi sunt Wetstenii. Habetur etiam magna pars vitæ Hug. Grotii Latine in fol. impressa, & a *Gasp. Brandt* conscripta, cui partem, quæ desideratur, addet *Cattenburgius*, Theologiæ inter Remonstrantes apud Amstelodamenses Professor. *Gasp. Burmannus*, Petri filius, Senator Urbis Trajectinæ, propediem editurus est in 4 Analecta quædam hactenus recondita, quæ ad vitam Hadriani VI Papæ, Trajectini, spectant, idemque id operam dabit, ut medii ævi monumenta alia e latebris protrahat, claros etiam Ultrajectenses in lucem producturus, nisi publici officii gravitate ab his fere[illegible]is paulatim abstrahatur. *Henr. Brencmannus*, cui jam olim Florentini *Xenophontem Ephesium*, cum in Italia versaretur, edendum obtulerant, sed qui tum typographum invenire non poterat, nunc, postquam libellus in Anglia prodiit, insano quidem pretio prostans, eundem Lugduni Bat. apud *Luchtmanns* recudere, eique *Charitonii Aphrodisii* Erotica, si a Florentinis obtineri possint, addere constituit. Præterea indicandum est eruditis, Typographum Lugdunensem, *Johannem van der Linden*, Jun. cui modo debemus Thesaurum Juris exquisitissimum, in eo nunc esse, ut Cujacii Opera subscriptionis lege, exemplis quidem 700, recudat hoc titulo: Jac. Cujacii, *JC. præstantissimi, Opera omnia in X Tomos distributa, quibus continentur tam Priora, sive quæ ipse superstes edi curavit; quam Poste-*

Posteriora, sive quæ post obitum ejus edita sunt, vel nunc primum prodeunt. Opera & cura Caroli Annibalis Fabroti, *JC. Editio nova ceteris omnibus, quæ ante prodierunt, emendatior & adscriptis legum numeris aliorumque Autorum suppletis testimoniis auctior.* Jo. Gottl. Heineccius, *JC. & Antecessor, Præfationem præmisit.* Subscripturi nomina ante finem M. Aprilis apud præcipuos Orbis literati Bibliopolas profiteri possunt. Pretium in charta maxima ascendet ad 120, Floren. Holl. in ordinaria vero, quæ satis splendida, ad 83⅓ Flor. qui carptim solventur, nempe ubi quis nomen dedit, 13 fl. acceptis Tomis I & II 15, totidemque Tomis III & IV, it. V & VI, acceptis T. VII & VIII, 12 fl. 15 stiv. & completo opere, totidem. Lugduni Batavorum *Abrahamus Gronovius*, postquam *Cl. Æliani* variam Historiam prelo submisit in 4, jam etiam eadem forma ejusdem de natura Animalium Libros XVII, ad MS. Mediceum nunc primum recognitos & castigitos, cum vers. Lat. P. Gillii & C. Gesneri, innumeris locis emendata, & emendationibus Dan. Wilh. Trilleri nostri, notisque Gesneri & ipsius Gronovii, publicare constituit subscriptionis lege, quam cum lente hactenus processisse accipiamus, ei adhuc locum esse haud dubitamus, etsi Calendis Januarii hujus anni fuerit finienda.

Prodiit nuperrime Actorum Erud. Supplement. T. [illegible] IX Sectio V, qua exhibentur: 1) *Clementis XI* Pont. Max. Bullarium, Romæ 1723, fol. 2) Pietro Giannone *del Historia civile del Regno di Napoli*, Tomus I, Neap. 1723, 4. 3) *Histoire Genealogique des Tatars* d' Abulgasi-Bajadur-Chan, Lugd. Batav. 1726, 12. 4) *The Life of John Colet*, by Sam. Knight, Lond. 1724, 8. 5) Sebastiano Melli *l'Arte Medico-Chirurgica, esaminata da suoi principi*, Venet. 1721, 8. 6) *Jo. Bapt. Paitoni* Vindiciæ contra Epistolas Petri Blanchi, Faventiæ 1724, 4. 7) *Jo. Rizetti* Ludorum Scientia, sive Artis conjectandi elementa ad alias applicata; & 8) Elogium *Jo. Christophori Wichmannshausen*, Prof. Linguarum Or. in Acad. Vitemb.

Pag. 77 lin. 25 l. Coelitem *& l. 30* sed per causas.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXVII.

CLEMENTIS UNDECIMI PONT. MAX. Epiſtolæ ac Brevia Selectiora.

Tomi II.

Romæ, ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ, 1724, fol. Alph. 18 cum fig. æn. minor. multis.

EMinentiſſimi Tituli S. Clementis Presbyteri Cardinalis *Annibalis Albani*, R. E. Camerarii, pietatem in Patruum *Clementem XI* Pontificem Romanum eſſe prorſus ſingularem & inſignem, nemo facile negaverit, qui illius Pontificis, ſane inter ſuos eximii, cum Orationes Conſiſtoriales, Tomo VIII Supplem. Sect. III p. 97 memoratas, homiliasque in Evangelia, in Acta noſtra anni 1723 menſe Auguſto p. 329 relata, tum & Bullarium, nuperrime Supplem. Tomo IX Sect. V recenſitum, & has, in quibus nunc enarrandis verſamur, Epiſtolas & Brevia Selectiora inſpexerit, & hos Clementini ingenii fœtus poſtumos a gratiſſimo ex Fratre Nepote ſplendide & magnifice editos eſſe, inde cognoverit. Rerum in orbe terrarum hoc ſeculo geſtarum non ignari ſimul, nobis tacentibus, animadvertent, hanc Clementinarum Epiſtolarum Collectionem Patribus Eccleſiæ Romanæ Purpuratis, ab ipſo Clemente XI in Cardinalium Collegium cooptatis, ab Eminentiſſimo Collega dicatam, magni eſſe faciendam, majoris omnino pretii futurum, ſi nihil Brevium Epiſtolarumque omittere, & literas, quibus reſpondit Pontifex, aut quibus Pontifici eſt reſponſum, addere & inſerere Eminentiſſimo Editori, aut libuiſſet, aut licuiſſet. Hoc poſterius factum non eſt, niſi duobus in locis, Tomo I p. 579, inſerto Re-

ſponſo Regio, & Tomo II p. 2135 adjecto Joannis Wilhelmi Electoris Palatini in cauſa receſſus Religionis in Palatinatu initi reſponſo; cujus equidem rei cauſas aliis inquirendas relinquimus: quod vero ad illud prius attinet, videamus, quæ in præfatione ingenue dicuntur, his verbis: *Verum ne hanc quidem ipſam collectionem, ut adornata fuerat, integram prelo committere licuit: cum multa eaque forſan luculentius exarata Brevia, tum etiam Epiſtolas non paucas graves, & fortes, ne cujusquam offenſionem aut invidiam ſubiremus, e medio tollere, alia inſuper Brevia & Epiſtolas politicis concedere rationibus oportuerit.* Simus interea hoc Catone contenti, & quidquid edere licuit libuitve, inſpiciamus. Sunt autem Epiſtolæ & Brevia quam plurima, quod vel ipſa libri moles ſatis indicat, ſecundum temporis ordinem in duos Tomos digeſta, quorum alter annos Pontificatus Clementini priores decem, alter poſteriores numero totidem complectitur. Sermone ſunt conſcripta plurima Latino, gravi, maximamque partem puro & eleganti, qualem in Orationibus Conſiſtorialibus olim deprehendimus, quamvis & multa lingua, quæ Clementi XI fuit vernacula, exarata Latinis ſint interſperſa. Cuilibet Epiſtolæ luculentum argumentum eſt præfixum, horumque argumentorum, ut & rerum memorabilium indices utrique Tomo ſunt adjecti, in altero quidem illorum Indicum nominibus eorum, ad quos datæ ſunt Epiſtolæ & Brevia, ſecundum elementorum ſeriem ordinatis. In charta etiam typisque ſplendori aliquid eſt datum, & ut S. Petri, Clementisque undecimi, literas exarantium, imagines æri inciſas, aliaque ornamenta taceamus, frontem Epiſtolarum uniuscujusque anni figuræ affabre æri inciſæ excellens aliquod Pontificis facinus exhibentes, lemmatibusque magnificis & argutis e S. Scriptura depromtis veluti animatæ, condecorant.

Hæc de Opere dicta ſunto in univerſum; ſpecimen dare, difficilius videtur, rectiusque facturi ſunt illi, quibus egregium librum oculis uſurpare licebit, ſi ipſi volumina curioſa volvent manu, &, quodcunque dignum notatu invenient, in rem ſuam vertent. Interea in gratiam eorum, qui iſto fructu carere habent neceſſe, hæc notabimus. Tom. I p. 1 fatetur Pontifex, Imperatoris

Digitized by Google

toris Leopoldi suffragio per Cardinales Lambergium, Medicæum, & Grimanum, Lambergiumque Legatum se ad summam in Ecclesia Romana dignitatem esse evectum: mox oblitus hujus beneficii, oblato Imperatori suo in gravissima controversia Hispanica arbitrio p. 12, Ludovico Francorum Regi p. 14 indicat, ea se initurum esse consilia, quæ ad reddendam ab exterorum militum incursu immunem Italiam expedire magis arbitrabitur. Sed quam retulit Pontifex Imperatori optimo gratiam, eam retulit Pontifici Philippus Hispaniarum Rex, de qua re Tom. II p. 149, gravissime conqueritur. P. 91 Universitatem Lovaniensem, ne ullius visitationem, nisi quæ ab Apostolica sede proficiscatur, admittat, quod isti sedi immediate subjecta sit, cohortatur; p. 111 Apamiensem Episcopum multas ærumnas perpessum collaudat, & ut in cœpto strenue pergat, graviter admonet, quale vero illud? ut Regi Regaliæ jus in eo Episcopatu competens vindicanti porro adversetur & obnitatur. Quam Pontifici Articulus IV Pacis Riswicensis curæ cordique fuerit, docent ea, quæ p. 133 seqq. loguntur. Jus est Imperatori primariarum precum, quod vocant; eo se demisit temporum acerbitate Cæsarum Majestas; sed & hoc jus precarium esse, & Pontificis beneficium, vult Romanæ Ecclesiæ Præsul: vide Tomo I de Precista Hildesiensi p. 308, Augustano p. 408, Monasterienſi p. 549 & 562, Basileensi p. 603, Tom. II de Argentinensi p. 17, Thorensi p. 44, Wormatiensi p. 75. Russorum Czaro Petro cum Clementi XI fuisse literarum commercium, ex duabus Epistolis colligitur, quarum altera A. 1707 d. 18 Octobr. gratias agit Pontifex, quod per Borisium Kurakinum sibi significaverit, liberum fore Religioni Catholico-Romanæ in ditionibus ampliſſimis exercitium, & Missionariis ad Sinas reliquumque Orientem per easdem abituris transitum, Tomo I p. 406; altera A. 1717 12 Maji idem per eundem Kurakinum sibi promissum grata mente deprædicat, & in fidem rei diploma aliquod sibi mitti contendit, Tomo II p. 612. Voluit Imperator, ut Canonici Ecclesiarum Hildesiensis, Ratisponensis, Colonienſis, & Leodiensis, Vicarium Generalem Cæsari gratum, Imperio non suspectum, e Gremio, ut ajunt, suo eligerent; sed illi non obsecuti sunt voluntati Cæsaris, & non obsequentes collaudavit Pontifex, &, ut

non obſequerentur impoſterum, ſtrenue cohortatus eſt T. I p. 477, 485. Ad Pontificem hodiernum, iſta tempeſtate Vincentium Mariam Epiſcopum Tuſculanum Cardinalem Urſinum, Archi-Epiſcopum Beneventanum, exſtant Epiſtolæ IV, Tomo I una p. 512, reliquæ Tomo II p. 477, 530 & 705. Sed & ad Succeſſorem Michaelem Angelum Presbyterum Cardinalem de Comitibus, a Legatione Portugallica ad Auximanum Pontificatum evocatum, eſt una Tom. I p. 551.

Tomo II p. 48 Pontifex juſtiſſima Glorioſiſſimæ memoriæ Joſephi Imperatoris pro vindicandis Imperii in Italia Juribus ſuſcepta conſilia reſcindi atque inverti vult, ut ejus animæ hac ratione conſultum ſit; de novi autem Imperatoris Electione, quæ Eminentiſſimis Sereniſſimisque S. R. I. Electoribus longæva conſuetudine commendata, parum aut nihil ad Romanum Epiſcopum ſpectare videtur, valde ſollicitus, p. 55 ſeqq. non modo Electorum, ſuam in ſacris autoritatem agnoſcentium, unumquemque literis fatigat, ſed Colonienſi etiam Bavaroque rem iſtam commendat, &, quæ ad Bavarum ſunt verba, *ut eam deliberationem ſua ſententia ſuoque ſuffragio promovere velit*, hortatur, ac ſi graviſſimæ in iſtos Electores latæ ſententiæ fulgura fuiſſent e pelvi; viciſſim Acatholicorum, ut loqui amat, Principum Electorum Jus in dubium vocare non veretur, & absque populi Germanici ſuffragio creatus arbiter, omnes Electionis Cæſareæ defectus ſupplet. Sunt ipſa Pontificis p. 62 verba: *Quamvis igitur inter Electores forſan* (immo certo certius) *intervenirent Acatholici, ac etiam alias legitimo jure eligendi minime ſuffulti*, (qui vero illi, ſi diceſſeris ab Acatholicis, an Colonienſis Bavarusque, ſi ſpreta Imperiali ſententia Electores eosdem admittere maluiſſent: ſed ad eos ut legitimo jure ſuffultos dudum dederat literas) *electioni tamen eandem vim, firmitatem & robur eſſe volumus, ac ſi ab habentibus legitimum eligendi jus, & ipſis quidem Catholicis, recte atque ordine facta fuiſſet: Nos enim hos defectus omni efficaciori ac validiori ratione, qua poſſimus, plane ſupplemus.* Quanta ſit autoritas primi inter Polonicos Pontifices Præſulis, Gneſnenſis Archi-Epiſcopi, quanta poteſtas, latere poteſt neminem, ſed ille cum exiſtimaret, ſibi hunc honorem a Nuncio Apoſtolico

Digitized by Google

ſtolico deberi, ut primus inviſat, eoque nomine copioſiſſime ad Pontificem reſcripſiſſet, omnis reſponſi loco hæc habet p. 133. *Sed*, iis non obſtantibus, *adhuc decere & æquum eſſe arbitramur, ut Fraternitas Tua ipſi Nuntio primæ viſitationis honorem omnino tribuat, nec Tuæ dignitati quidquam eo officio detractum iri exiſtimamus, cum in ejus perſonæ Nos ipſos & Apoſtolicam ſedem, quam ille repræſentat, reſpicere Tibique proponere debeas.* Ita ſtat pro ratione voluntas, aut ſi verbis iſtis rationem ineſſe credas, eadem ſui momento adverſus Reges & Imperatores eſt valitura.

Patris communis & univerſalis Eccleſiæ Chriſtianæ Paſtoris nomen affectare Præſulem Romanum, in vulgus notum eſt, quid autem ex his Epiſtolis eo referri poſſimus, non facile invenimus, niſi literas quibus liberiores Ducis Mantuani mores T. I p. 40, atque iterum Prælati cujusdam ἀνωνύμου reprobum cum femina quadam commercium lenibus admodum verbis caſtigat; totus potius in eo eſt, ut Reges & Principes, ſcriptis non ad ipſos modo, ſed ad conjuges, liberos, vicinos, cardinales, miniſtros, confeſſionarios Epiſtolis de ſua ſuorumque autoritate, dignitate, opibus fortunisque conſervandis, augendis, reſtituendis obtundat; famoſiſſimam illam: *Unigenitus Dei Filius* Conſtitutionem obtrudat & inculcet; Epiſcopos atque Clericos ad vindicandam libertatem immunitatemque Eccleſiaſticam incitet, ſegnes impellat, audaces firmet, mala ideo paſſos ſoletur, obedientes Poteſtatibus ſecularibus increpet, negligentes præveniat; nunc levia nonnulla Laicis Principibus non ſine multa ſuæ benevolentiæ prædicatione concedat, nunc alia majora, aut ſaltim eadem iterum, nullo niſi Canonum, in quos tamen immenſum jus ſe habere, ait & reapſe exercet, autoritatis obtentu neget. Ita Tomo I p. 160 Petro Portugalliæ Regi diſpenſationem in primo affinitatis gradu, pro Illuſtribus ſine dubio perſonis, negat, quam olim ipſe ab Apoſtolica ſede in cauſa valde dubia promtiſſime impetraverat. Nec absqueſtupore utique legimus Tomo II p. 207 ad Antonium Ulricum Ducem Brunſvicenſem & Luneburgenſem ſequentia: *Ceterum qui votis Tuis, quantum nobis licet, ſatisfacere omni tempore vehementer cupimus, non niſi ægro animo audire potui-*

mus, facultatem ſub utraque ſpecie communicandi rurſus a te poſtulari: *Nos enim in re tam gravi diſcedendum nobis non eſſe ducimus ab exemplo ſanctiſſimi Pontificis Pii V, Prædeceſſoris noſtri, qui in ea ſemper ſententia fuit, ut ejusmodi facultas nemini concederetur. — — Quamobrem — — te hortamur, ut ab ejusmodi deſiderio, quo plus æquo incenſus videris, diſcedere omnino velis, animæque tuæ hoc qualecunque ſolatium libenter ſacrifices atque ſubjicias Catholicæ Eccleſiæ Legibus ac Inſtitutis, quæ antiquiſſimum atque ſanctiſſimum hunc ritum, ut Laici atque etiam Clerici non conficientes, ſub Panis tantummodo ſpecie communicarent, ſolvi atque immutari minime patiuntur, qua in re novum etiam Pietati Tuæ meriti incrementum accedet, cum in divinis literis ſcriptum ſit: Melior eſt obœdientia quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum. Animadvertere præterea debes, quod ubi expetita facultas a nobis Tibi concederetur, non tamen adeo occulte ea uti poſſis, ut rumor & fama, quæ Principum Virorum acta ſemper rimatur & nunciat, ad multos facile non manaret: qui deinde factum potius quam mentem tuam expendentes, obloqui poſſent, ideo te ſub utraque ſpecie communicare, quod perſuaſum adhuc Tibi ſit, integrum Chriſtum ſub una panis ſpecie nequaquam ſumi. Id autem primum Catholicis magno ſcandalo eſſet, deinde hæreticis occaſionem præberet opinandi, quod ea in re cum ipſis etiamnum ſentires, ac demum eos, qui relicta hæreſi Orthodoxam fidem amplexi ſunt vel de cætero amplectentur, alliceret ad retinendam falſam, damnatamque opinionem, quod ſumtio utriusque ſpecici univerſis Chriſti fidelibus neceſſaria ſit ad ſalutem.* Maluimus ipſa Pontificis verba adſcribere, ut cum enixa Principis prudentiſſimi doctiſſimique voluntas, tum exiguum ſane negantis rationum robur eo luculentius certiusque intelligatur. Vigilantiſſimum fuiſſe Pontificem, & finium regni ſui propagandarum ſtudioſiſſimum, loca docent infinita, quamvis magnificas aliquando ſpes, ut Tom. I p. 498, de Eberhardo Ludovico Duce Wurtembergico, ſeu, ut communiſſimo exteris σφάλματε & hic audit, Witebergenſi, & T. II p. 104, de Czarowizia conceptas, in caſſum iviſſe concidiſſeque videamus. Unum magnopere commo-

vit

vit animos noſtros, quod tam aperta ſententiæ Romanenſium hic ſe prodant veſtigia, qua ſacroſancta fidei datæ jura, æternumque ac immutabile Pactorum conventorum robur, quod gentes a religione omni atque humanitate fere averſæ tamen ex ea lege, quæ apud omnes gentes peræque cuſtoditur, ſibi non violandum eſſe, norunt & ſtatuunt, a primo Chriſtianitatis Epiſcopo nullius eſſe autoritatis omnique carere obligatione, primaque quavis occaſione impune fallendum infringendumque eſſe pronuntiatur, niſi Eccleſiæ Romanæ incrementum utilitatemque iſta pacta contineant. Ita Tom. I p. 358 Pax Weſtphaliæ *damnoſa illa Chriſtianæ Reipublicæ & omni bello deterior* audit, quam, quotquot ſunt, qui communi patriæ bene cupiunt, trium Religionum maximi, medioxumi, infimi libertatis ſacræ & profanæ palladium venerantur. A. 1711 Joannes Conradus Epiſcopus Baſileenſis cum nobiliſſimo Pago Helvetiorum Bernenſi tranſegit, at Pontifex noſter T. II p. 140, poſt vehementem Epiſcopi ejusdemque S. R. I. Principis objurgationem *ea omnia* pronuntiat *nulla & invalida, nullius roboris aut momenti, neque Epiſcopum aut alium quempiam ad illorum ſeu cujuslibet illorum, etiamſi ratificata & juramento firmata ſint, obſervantiam teneri.* De Altranſtadienſibus Pactionibus, ſacra Sileſiorum anchora, ad quam Chriſti in illis regionibus Navicula ſub benigniſſimo Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI Imperio portum tenet, Pontificis noſtri Tom. II p. 179 hæc horrifica eſt ſententia: *Majeſtati Tuæ* (eidem puta glorioſiſſimo Cæſari Carolo VI) *per præſentes denuntiamus, ac inſimul tradita nobis ab omnipotente Deo autoritate declaramus, prænarratas dicti Tractatus Altranſtadenſis pactiones, cæteraque in eo contenta, quæ Catholicæ fidei, divino cultui, animarum ſaluti, Eccleſiæque autoritati, jurisdictioni, libertati ac juribus quibuscunque quomodolibet officiunt, — — cum omnibus & ſingulis inde ſecutis & quandocunque ſecuturis, ipſo jure nulla, irrita, invalida, injuſta, reprobata, inania, viribusque & effectu penitus ac omnino vacua ab ipſo initio fuiſſe, & eſſe, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum ſeu cujuslibet illorum, etiamſi pluries ratificata, ac juramento vallata ſint, obſervantiam tenere* &c. &c. Ejusdem fere naturæ ſunt, quæ de Receſſu

Pala-

Palatino Tom. II p. 217, 284 & 735 leguntur. A. 1718 Pax Helvetiæ reddita est, per ea, quæ inter Tigurinos Bernensesque & Josephum de Rodulphis Abbatem Monasterii S. Galli Ordinis S. Benedicti convenere, de quibus cum Abbas ad Pontificem retulisset, Clemens XI Tom. II p. 678 hæc rescripsit Abbati: *Easdem itaque Literas* (in quibus se in simili forma Brevis de omni illa Pacificatione opportune statuisse dixerat) *ad perpetuam rei memoriam in Archivio Monasterii prædicti custodiri curabis, ac interim, juxta illarum tenorem pro comperto habeas, Te Successoresque Tuos ad ea, quæ in prædicta infausta Tractatione conventa fuerunt, observanda, perinde ac si nunquam conventa fuissent, nullo modo teneri.* Aderant ad manus plura, & quæ non minus mirari poterat Lector; verum hæc illi in ipso opere evolvenda relinquimus.

DE VITA ET REBUS GESTIS NONNI Alvaresii Pyreriæ, Lusitaniæ Comitis - Stabilis, Libri II; Autore ANTONIO RODERICIO COSTIO, Regiæ Academiæ Socio.

Olisipone Occidentali, apud Paschalem a Sylva, Regis ac Regiæ Academiæ Typographum, 1723, fol.
Alph. 2 plag. 9 fig. æn. 2.

Si quis est populus, inquit Noster in ipso Operis sui exordio, *cui citra ambitionem queri liceat de inopia scriptorum, eum profecto Lusitanum esse, minime dubitandum; ejus quippe res gestæ memoria ceteroqui dignissimæ a tam paucis melioris notæ scriptoribus memoratæ sunt, ut haud dubie dicendum sit, quemadmodum plerasque nationes armis vicit, haud secus omnes hac etiam infelicitate superasse.* Nos nobis tantum non sumimus, ut Lusitano Viro supellectilis, quæ domi est, gnarissimo temere obloquamur; nulli tamen dubitamus, Regiam illam Academiam, cujus Noster Socius est peregregius, sub Augustissimi literarumque amantissimi Principis sanctis auspiciis vires & robur capientem, propediem effecturam, ut illarum querelarum lætus & subitus sit finis; maxime cum gens Lusitana eo ad

Histo-

Historicam vim sit ingenio, ut jam nunc, si minus multitudine, præstantia tamen cum multis non infeliciter contendere possit. Quis quæso magno illi *Osorio* excellentibus de vita Emanuelis Regis Commentariis partam gloriam unquam reddidit dubiam? Quantum post fata Joannes II Rex maximus Illustrissimo scriptori *Emanuelli Telleſio Sylvio Marchioni Alegretenſi* debeat, neminem historiarum studiosum latere potest; &, si Triumviratum cupis, nostrum hunc *Antonium Rodericum Coſtium* adjicias, scriptorem ut eloquentissimum ita prudentissimum; qui, dum conquiritur materia & conficiuntur commentarii Historiæ Sacræ Transmarinæ, cujus scribendæ provincia Nostro Illustrissimæ Academiæ placito data est, ut aliquo modo interea Academiæ instituto satisfaciat, nec in communi omnium Academicorum labore cessare ac desidere videatur, Nonni Alvaresii Pyreriæ res gestas primoribus Lusitanorum adolescentibus exempli causa dicatas, (rem levem existimes, quod non est,) Latinis literis nitidissime consignatas edidit. Libri II sunt splendide etiam impressi, nisi quod aliquoties correctorum majorem industriam desiderare possis, adjecta duplici Nonni imagine, altera, ut Comes Stabilis bella ciere fuit solitus, altera, ut Deo sacratus Monachi specie pietatem coluit, quæ, utpote artifici Picarti manu effictæ, non leve decus edito operi conciliare videntur. Sed satius est, ut nos, quod liber ante triennium quidem excusus in Germania tamen nostra sit futurus rarissimus, Nonni quandam imaginem ex pulcerrima Costil nostri tabula exiguis lineis descriptam sistamus.

Nonnus natus est anno Domini CIↃ CCCC X, patre Alvaro Gonsalio Pyreria, Viro magno, Equitibus Rhodiensibus pro Magistro, qui genus ad regium Gothorum sanguinem referebat, & matre Irene Gonsalvia Carvaliele, femina haud obscuris natalibus, quæ passa per aliquod tempus ab Alvaro stupri consuetudinem, tam postea caste vitam instituit, ut inter Beatricis, Ferdinandi Regis filiæ, cubicularias sit allecta. Annum agebat Nonnus quartum decimum, cum, orto inter Ferdinandum Lusitanum Henricumque Bæticum bello, hostem patris jussu intrepide cauteque explorando mereretur, ut puer adhuc a Regina Eleonora solemni ritu armis indue- p. 6.

p. 10. retur. Patris etiam voluntate factum est, ut matrimonium, a quo natura abhorrebat, cum femina primaria & divite, Eleonora Albina, iniret anno ætatis septimo decimo, ex qua liberos suscepit, duos virilis stirpis statim amissos, tertiam sequioris sexus, Beatricem, Joannis nothi notho filio Alphonso, Ducum Brigantinorum hodiernorumque adeo Regum progenitori, in matrimonium postmodum collocatam. Quamprimum licuit per ætatem, fidelem Nonnus operam Regi in bello Bætico præstitit, Olisiponem urbem, quam classis Bætica premebat, sub Fratris sui imperio defendit; & cum audisset instare prœlium, invito fratre erupit, viamque sibi cum comitibus per milites ad urbis portam excubias agentes & fratris jussu Nonnum exire prohibentes, stricto ferro faciens, ad castra regia pertendit, magna virtute sed incassum; non enim prœlium sed pax secuta est, pacemque Ferdinandi Regis morbus & mors. Cognitissima sunt ea, quæ mortem Regis insecuta sunt, quomodo Regina Vidua rerum summæ fuerit præposita, quanta apud eandem & quam suspecta gratia floruerit Anderius Comes, quid ausus sit facinoris Joannes Avisienses Magister, Nonno imprimis instigante, ita ut dici possit, Lusitaniam, occiso Anderio, pulsa Regina, suam libertatem duobus adolescentibus debere.

Sectatus est Nonnus Joannis Avisiensis, quem sua factio Defensorem regni constituerat, partes suo consilio, cum fratres ejus, imprimis Alvarus Rhodiensium Magister, Reginam Bæticosque colerent. Audita Anderii nece, mox advolavit Olisiponem, &, ut arx dederetur, partim ostensa vi, partim verborum lenociniis effecit; adventante Bæticorum rege, ut urbi de cibariis prospiceretur, negotium datum est Nonno, quod non absque periculo nec sine laude bellica curavit; deerat Transtaganæ Dux impiger & acer, qua in causa Comiti Alvaro Pirio Castrensi prælatus Nonnus summa diligentia administravit provinciam, suos sæpe dubios confirmavit, hostilium urbium alias tentavit, alias partibus adjecit suis, apud Fronteriam etiam cum fratre Alvaro conflixit, & exiguis cum copiis longe majorem hostium vim propulit fugavitque, capta mox nova Arrucitana, Alecretaque in partes traducta. Omnis spes Olisiponensibus erat reposita in classe, quæ Por-

Portucale parabatur, quod opus ut urgeret Nonnus, juſſu Joannis cum comitibus eo ire cœpit; ſed quod hujus rei nuncium præmiſerat, Gondiſſalvus, qui iſti curæ hactenus intentus, noluit illius expeditionis gloriam cum Nonno communicare, & nondum ſatis a milite armisque inſtructus, tamen ante e portu ſolvit, quam Nonnus adeſſe potuiſſet, quod ubi hic accepit, in provinciam reverſus eſt. In itinere ad Scalabim hoſtium manum fudit; mox Caſtanedium intra Pacis Auguſtæ mœnia ſe recipere compulit; ad Odivorum rivulum ſuis, quod fame vigiliisque per biduum eſſent vexati, dilabentibus, aliquid damni accepit. Mox ut urbi obſeſſæ opem ferret, & Palmellam & Almadam ad Tagi ripam expugnavit, auditoque Regem Bæticum, quod peſtilentia exercitum fere peſſumdediſſet, ſolviſſe obſidionem, ipſe una navicula per mediam hoſtilem claſſem Oliſiponem trajecit, eo conſilio, ut, perſequendum eſſe Regem Bæticum, Joanni perſuaderet, quod cum ei per reliquos Conſiliarios, tutiora ancipitibus præferentes, non licuiſſet, ad Transtaganos ſuos remeavit. Ibi Portellam cepit, Villam viſoſam bis fruſtra tentavit, (fuit enim fere impatiens moræ in obſidendis urbibus) tulit tamen ſuppetias Joanni, Turres veteres obſidenti, quamvis & hæc obſidio urbe non capta iterum ſoluta ſit. Imminebat autem res major, Comitia regni a Defenſore Conimbricam indicta, quæ quod celebraverint Civitates, quod Regem maluerint, quam externam dominationem aut paucorum potentiam, quod denique plurimi, in unum Joannem conſenſerint, Nonni potiſſimum fuit opus, cui novus Rex collato Comitis Stabilis honore, qui proximus eſt a Regio faſtigio gradus, promeritam retulit gratiam, militari ſummæ poteſtati etiam aulæ ſuperaddita præfectura. Poſt tantam rem confectam alia læta accidere novo Regi multa virtute Nonni, capta ſunt Neivæ caſtellum & Viana urbs, Cerveriani & Monſanenſes in verba Joannis juraruntque; quod & Bracharenſes fecerunt, arce etiam a Bæticis recepta; paulo poſt Nonnus junctis cum Rege copiis Pontilimæum oppidum vi cepit. Hic primi Libri finis eſt.

p. 56. 59. 61. 65. 69. 74. 81. 90.

Inſtabat Rex Bæticus cum validiſſimo exercitu Oliſiponem regni caput graviſſima obſidione iterum cincturus; quod mali 97.

Digitized by Google

genus experti Olisiponenses omni modo detrectabant; adstipulabatur Nonnus, quod pugnas fortes, quam lenta illa obsidia mallet; alii contrariam sententiam tenebant, ut vel Nonno adversarentur; dubia mens Regi & ad tutiora & lentiora fere proclivior; quod ubi animadvertit Nonnus, cum iis quos adduxerat, solus perrexit in hostem. Joannes vel isto animi ardore pene divino excitatus, vel pudore compulsus, vel metu, ne tantum ducem cum fortissimis temere perire sineret, commotus, Nonnum secutus est. Castra iterum juncta sunt ad Thomarum, pugnatumque cum Bæticis ad Aliubarotam A. CIↃ CCC LXXXV.
p. 110. Mira res: a septem hominum millibus magnam partem inermibus, bellique expertibus, triginta armatorum millia, in quibus Bæticæ juventutis & nobilitatis flos erat, superata & concisa sunt. Joannes Bæticus a paucis stipatus fuga se Scalabim recepit, mox cimba ad classem suam delatus, Prætoria nave consensa, propere Hispalim profectus est. Ita Nonnus sua virtute felicique au-
114. dacia Joannis recens regnum firmavit, Comitis Aurenensis dignitate eo nomine ornatus. Redux ad Transtaganos suos, col-
121. lectis copiis fines hostium ingressus, Extremaduræque Bæticæ agros longe lateque depopulatus, hostibus etiam ad Vallem Viridem fusis fugatisque, incolumis & cum præda insigni ad Helvios reversus est. Interea Joannes Rex Aquas Flavias obsedit, quo cum & Nonnus cum expedita manu venisset, urbs dedita
132. est, & Nonno a Rege in præmium reportatæ apud Extremaduranos victoriæ attributa. Rebus ita Joannis magis quam ante firmatis, de disciplina sollicitus Nonnus e sua legione scorta feminasque omnes expulit, quod licet ægerrime ferrent viri militares, persuasit tamen Nonnus Regi, qui idem in exercitu, quod
134. ille in legione sua, edixit. Regi videbantur res Lusitanæ ita convaluisse, ut ultro Bæticas urbes oppugnatum ire posset; & tentata est Coriæ urbis obsidio, sed absque fructu, forte quod Nonnus, in quem fortuna fere inclinare videbatur, eo bellum gerendi
141. genere non delectaretur. Ea tempestate Dux Lancastrius Joannes ad litus Calaicum appulit, cum quo, ut expediebat, Joannes Lusitanus & consilia, & fœdus, & castra junxit, &, ut firmiora essent novæ amicitiæ jura, Britanni Ducis filiam natu majorem

jorem Philippam sibi conjugem pepigit. Castra mota sunt, obsessum Beneventum, sed re iterum infecta inde discessum est. p. 147.
Paulo post Nonnus evocatus est Bracharam ad Regni Comitia, ubi, dum Nobilium majora & excellentiora jura appetentium causam, sed frustra, apud Regem prudentissimum agit, nuntius affertur de uxoris morte, quam constantissime tulit; cum vero 152.
ad novas easque nobilissimas conditiones in aula urgeretur, naturæ obsecutus abnuit, & ut ingratos sermones evitaret, propere in Transtaganam suam se recepit, oblata statim rem bene gerendi nova occasione. Viticariam diripuerant hostes & prædam omnem ad novum Fraxineti oppidum avexerant; Nonnus cum pauciſſimis insecutus, in oppidum irrupit, hostes, præter paucos in arcem confugientes, cecidit, omnemque prædam non exiguam numero recepit. Rex Joannes expugnavit Melgassum, & Nonno comite Campum majorem, & post bimestres inducias absque fructu elapsas Tudem urbem, quibus damnis fractus Bæticus tandem in sex annorum inducias serio consensit.

Bello ita prorsus aut saltim in longum tempus confecto, Non- 159
nus nobiles viros, omnesque illos, qui secum bello egregiam operam navaverant, convocavit, collaudatisque ingentem pecuniæ vim, quam ex prædivitis uxoris dote attributisque sibi a Rege vectigalibus & oppidis, in omni vita decenti parsimonia usus, confecerat, quin & præcipuis amicorum ipsa illa oppida & reditus distribuit, qua regia largitione & sui admirationem apud plerosque auxit, & obtrectatoribus novam criminandi occasionem objecit. Rex de Nonni fide plane securus, alium rei modum adhibere statuit, & exsequi cœpit, quæ dudum mente agitaverat restituendæ Regiæ potestatis gratia. Scilicet convocatis Nobilitatis principibus & Præfectis, postulavit, ut vectigalia publica oppidaque sibi pretio redimere liceat, alia immodice donata sponte sibi restituerentur; simul ut ne cui præter Regem milites oppidanosve in sua verba adactos habere liceret. Cum ea re Nonnus unus omnium maxime peti videretur, & a reliqua etiam nobilitate, ut cui Rex & optime cuperet, & plurimum deberet, communis causæ patronus deligeretur, gravi & composita oratione multum agendo, suadendo hortandoque cum Rege collocutus est,

quem tamen, sui consilii certum, a proposito dimovere non potuit. Quod cum perspiceret, insalutato Rege in suam præfecturam se recepit, convocatisque contubernalibus bellorumque sociis Stremotium, profectionem e regno, in qua cum dignitate amplius vivere non posset, Rege nihil læso, suasit; quod consilium cum omnes, uno excepto, comprobarent, distributis lautissimis viaticis iter parare jussit, adornavitque serio ipse. Rex de his rebus certior factus, valde commotus est, quod tanto Viro carere non posset, simul quod vereretur, ne maximorum beneficiorum a Nonno acceptorum parum memor haberetur; quare primum Pontificis Conimbricensis, sodalium principem, mox Magistrum Equitum Avisiensium ad Nonnum misit, & cum nec hic quidpiam proficeret, Pontificem Ebornensem, magnæ autoritatis virum, qui tandem effecit, ut Nonnus certos homines ad Regem mitteret, quorum interventu ita tandem transactum est, ut & Rex & Nonnus nonnihil de sua sententia decederent. Regi suum jus servatum est illibatum: Nonnus oppida & vectigales agros, amicis donatos, invitus licet, recepit: Rex fidem interposuit suam, egregiam illorum in bello præstitam operam a se remuneratum iri: Nonnus oppida ad libitum Regis accepta dimisit, donata in perpetuum illibata retinuit. Hoc exemplum alios imitari oportuit, quo ipso tamen multorum e Nobilitate animi sunt alienati, qui, coorto post induciarum finem cum Bæticis bello, ad hos defecerunt, & Dionysii, Petri Regis Filii, regnum a Joanne armis repetentis, castra secuti sunt. Sed hanc, quam diximus, a Dionysio excitatam belli tempestatem sui nominis autorita'e Nonnus profligavit. Recruduit bellum, sed cum nec Bæticis in Lusitania, nec Lusitanis in Bætica, imprimis ad Alcantaram, res succederent, utrosque serio belli piguit. Joannes Rex Bæticus dudum obierat, obierat & Henricus Filius: cum Joanne adeo impubere Henrici Filio induciæ factæ sunt in decennium A. CIↃ CCCVII, eædemque, annitente imprimis Catharina Bæticæ Regina, Philippæ Lusitanæ Sorore, in pacem A. CIↃ CↃ XII conversæ.

p. 165.

177. Pacatis in Europa rebus, Joannes magno animo de expeditione in Africam suscipienda cogitare cœpit, de qua quæ fuerit Nonni sententia, non constat. Comitatus tamen est Regem, cum

tribus

Digitized by Google

tribus filiis in Africam tendentem, capta eſt Septa M.CCCCXV, Nonno bellicorum operum ultimum, cum annum ætatis ageret quinquageſimum quintum. Septem inde annos privatus vixit, rebus domeſticis & perficiendo ſumtuoſiſſimo templo Deiparæ Carmelitanæ in urbe Oliſipone intentus; quo perfecto, illud Inſtituti Carmelitani ſodalibus, & ſe ipſum eidem ſodalitati tradidit, in qua per integrum decennium ſanctiſſime vixit mendicantis ſpecie, donec IV Idus Majis A. M. CCCXXXII diem extremum placidiſſime obiret. p. 183.

Qui hæc a nobis exſangui ſermone tradita, apud eloquentiſſimum Coſtium autem prudentiſſime explicata & conſignata, leget, facile fatebitur, Nonnum fuiſſe Virum omnino magnum, multis & excellentibus virtutibus conſpicuum, & cum omnibus illis, quos vetuſtior ſolet celebrare ætas, componendum; licet indomitam illam virtutem, fontemque illius minus limpidum, fabularum, res heroum ultra fidem humanam tradentium, lectionem non æque laudaverimus. Sed affuit fortuna cœptis & experientia militaris ætasque confirmatior iſtos impetus ignesque coercuiſſe videtur. Unum ſupereſt quod moneamus, excidiſſe prudentiſſimo Viro, ubi de Comitum dignitate diſſerit, ſequentia: *Vulgato vero nomine* (Comitis) *& Gentilibus omnibus in Germania & in Italia communicato, quorum plerisque opes decrant, quibus ſe honeſte tolerarent, nedum ſplendorem tuerentur, cœpit apud eas gentes illuſtriſſimum Comitis vocabulum, ut ſunt res humanæ, obſoleſcere. Non ita tamen apud Hiſpanos præcipuosque apud Luſitanos, ſemper enim apud ipſos magnum quid & excellens præferebat.* Nemo eſt inter nos rerum patriarum tam imperitus, qui (ut Italiam ſeponamus) neſciat, Comitis nomen in noſtro Imperio non Illuſtriſſimum modo, ſed ejus dignationis eſſe, quæ proxime ad Principis Imperii majeſtatem accedit; ipſosque Comites iis juribus eſſe conſpicuos, ea autoritate præditos, ut non habeant, in quo aliarum gentium omnium Comitibus concedere debeant. Quare nec opus videbatur iſtud moneri, niſi exiſtimaſſemus, fieri poſſe, ut hæc Oliſipone, & ab ipſo Illuſtri noſtro Scriptore forte fortuna legerentur; quod ſi contingat, ut ſiniſtrum illam de Comitibus Imperii Germanici imminutoque in noſtris regionibus Comitum honore 116.

Digitized by Google

honore opinionem ſibi eripi a nobis patiatur, quam decentiſſime rogamus. Petimus etiam a doctis Luſitanis vel Hiſpanis, ut, ſi quid in lucem produxerint eximium, de quo Reip. Litterariæ conſtare intereſt, id Viro S. R. *Dominico Capaſſo*, e S. J. Uliſipone credant, qui pro incredibili literarum propagandarum ſtudio recte ad nos omnia curabit.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB A. D ad MD. LUDOV. ANT. MURATORIUS collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomus VIII.

Mediolani, ex typogr. Societ. Palatinæ, 1726, fol. Alph. 6 pl. 21.

POſtquam de Tomo ſeptimo diximus nuper in Supplementis, jam de octavo dicendum. Fulget vero hic Tomus in fronte ſplendida Dedicatione ad modernum Inſubriæ Moderatorem, *Wirricum Phil. Laurentium* S. R. I. Comitem & Dom. de & in *Daun, Theani* Principem &c. in quo Fabii patientiam & Scipionis impetum prædicat Cl. Argelatus, cui Dedicationes omnes nomine Sociorum Palatinorum conſcriptæ debentur. Sed pergimus ad ſcripta hic contenta, in quibus exſtat *I Gerardi Mauriſii*, civis & judicis Vicentini, *Hiſtoria de rebus geſtis Eccelini de Romano* ab A. 1183 ad 1237, jam antea cum Albertino Muſſato a Felice Oſio, ſeu potius (illo jam A. 1631 defuncto) a Dominico Molino Venetiis 1636, iterumque a Leibnitio Script. rer. Brunſv. T. II edita, de qua bene monet Noſter, non ideo pro ſuſpecta habendam, quod Autor in rebus Eccelini, quem conſtat crudelem admodum, maxime in Patavinos, exſtitiſſe, enarrandis ea tantum tradat, quæ in ejus laudem vergunt, cum nondum pervenerit ad ea tempora, quibus virtutis ſemina abjecit. Succedunt *II Antonii Godi*, Nobilis Vicent. ejusdem fere methodi & argumenti *Chronica*, ab A. 1194 ad 1260; ut & *III Nicolai Smeregi*, Notarii Vicent. *Chronicon*, illis affine, ab A. 1200 ad 1279, cum Anonymi continuatione ab A. 1279 ad 1312; tum *IV* Anonymi *vita Ricciardi Comitis*

Digitized by Google

Comitis S. Bonifacii, cui multum cum Eccelinis fuit negotii; *V Laurentii de Monacis Ezerinus III; VI Rolandini Patavini de factis in Marchia Tarvisina Libri XII* ab A. 1180 ad 1260, cum nominibus Episcoporum & Magistratuum Patavinorum; quæ omnia ex Osiana illa Editione descripta sunt, ita tamen ut multa rectius atque auctius edita compareant. Certe & *Godum* & *Smeregum* Cl. Saxius cum MSptis Ambrosianæ suæ conferre ac plurimis locis emendare gravatus non est, qui & de Godio singularia in præfatione collegit; idemque Codices suppeditavit *Rolandini*, a Cl. Argelato collatos, quibus accessit Estensis, subinde, maxime in libris duobus postremis, longe locupletior & a ceteris diversæ multis in locis lectionis, quam diligenter adhibuit Muratorius, qui & inter alia, exemplo hujus Autoris, cujus si primæ syllabæ e libris XII colligantur, hæc emergunt: *Chronica Rolandini facta Paduæ*, observat, sæpius in usu fuisse veteribus, nomen suum Libris inserere per acrostichos, ut si forte e fronte operis excideret, illud ex ipso opere colligere possent Lectores. Sequitur *VII Chronica parva Ferrariensis*, ab origine Ferrariæ ad A. 1264, quæ nunc primum prodit e Codice Ferrariensi, autore Anonymo, Gibellinis partibus addictissimo, eoque Principibus Atestinis parum æquo. *VIII Historia de rebus gestis Friderici II Imp. & filiorum* ab A. 1210 ad 1258, cum *Supplemento* ab A. 1258 ad 1265, ab Ughello primum Italiæ S. Tomo IX, iterumque ex illo A. 1723 a Cl. Eccardo Tomo I Historicorum medii ævi, & eodem anno a Carusio Bibl. Sic. Tomo II, lacunis quibusdam e Messanensi Codice suppletis, edita. Obtigit vero ea felicitas Cl. Muratorio, ut & *Historiæ* & *Supplementi* autorum nomina detegeret, illam quippe vindicans *Nicolao de Jamsilla*, Gibellinorum partibus dedito, inscriptione Codicis, quem Illustriss. D. Vincentio de Miro debet, confirmatus, hoc vero compilatori ex *Saba Malaspina*, Guelphis addicto, cujus Chron. de rebus Siculis integrum paulo infra dedit, quamvis & hic addere excerpta illa non dubitavit, quod paucula subinde interspersa essent, aliunde petita. *IX Parisii de Ceretа Chronicon Veronense* ab A. 1117 ad 1278, quo vita excessisse videtur, ab aliis ad A. 1375 continuatum, quod unicum ex vetustis de rebus Veronen-

fium, e Codice Eſtenſi nunc protraxit Editor. *X Monachi Patavini Chronicon* de rebus geſtis in Lombardia præcipue & Marchia Tarviſina ab A. 1207 ad A. 1270, primo ab Urſtiſio inter ſcriptores rerum Germ. atque inde ab Oſio cum illa Muſſati hiſtoria editum, & nunc cum Codice Ambroſiano a Cl. Argelato diligenter collatum. Benedictini Ordinis monachum in monaſterio S. Juſtinæ Patavino exſtitiſſe autorem, facile patet; & hanc forte cauſam putat Noſter, quod nomen non expreſſerit, cum hujus ordinis Monachis non paucis in more poſitum ſit, propterea quod humilitati ſtuderent, in libris a ſe compoſitis ſuum reticere nomen. *XI Hiſtoria Sicula ab ingreſſu Normannorum in Apuliam usque ad A. 1282*, autore *Anonymo*, quem *Vaticanum* Noſter vocat, quod & a Caruſio ex Vaticano Codice primum edita Bibl. Sic. Tomo II, & nunc cum alio Vaticano collata prodit. *XII Sallæ* ſive *Sabæ Malaſpinæ*, gravis ſcriptoris, *rerum Sicularum Libri VI* ab A. 1250 ad 1276, a Steph. Baluzio Miſcell. T. VI inſerti, quibus jam Raynaldus cum fructu uſus, qui nomen tamen Autoris, a Baluzio demum detectum, ignoravit. *XIII Ricordani Malaſpini Hiſtoria Florentina* ab initiis urbis ad A. 1281 Italice ſcripta, cum continuatione *Jachetti*, ex Franciſco fratre Ricordani nepotis, ad A. 1286, pariter Italice. Etenim primum hunc vocat Noſter, qui Hiſtoriam Italica lingua ſcripſerit, quam quidem laudem in Tomo præcedenti, ut monuimus, vindicaverat Spinello. Et prodiit antea liber ille Florentiæ 1568, iterumque 1718, 4, in qua utraque editione omiſſa eſſe ea obſervat Cl. Muratorius, quæ Autor ad A. 1274 notavit, nempe Thomam Aquinatem eo anno, *dum Lugdunum ſe conferret ad Concilium, ut deſtrueret ordinem Carmelitarum*, in Monaſterio Foſſæ Novæ defunctum: forte quod iſta pietati viri præjudicio viderentur, id quod tamen minime metuendum Noſter operoſe demonſtrat. Excipit hæc *XIV Synodus provincialis* A. 1287 habita Mediolani, cum Conſtitutionibus Guifredi Legati Apoſtolici, quæ in nulla hactenus Conciliorum Collectione obvia, e Codice Ambroſiano deſcripſit Muratorius. Tandem exhibetur *XV* Anonymi Regienſis, qui circa A. 1288 vixit, *Memoriale* ſeu Chronicon *Poteſtatum Regienſium* ab A. 1154 ad 1290, prætermiſſis, quæ de rebus inde a N. C. ad

A. 1154

A. 1154 præmiserat, quippe Eruditis parum profuturis; additis vero ex eodem Codice Estensi *versibus Merlini*, opere ridiculo, & *Syllabis Abbatum S. Prosperi & Episcoporum Regiensium.*

GRATIANI DECRETORUM LIBRI V, Secundum Gregorianos Decretalium libros titulosque distincti per JOANNEM A TURRECREMATA, Ord. Prædicat. S. R. E. Episcop. Card. Sabinum. Nunc primum prodeunt ex Codice Bibliothecæ Barberinæ, cum præfatione, scholiis & indicibus, cura JUSTI FONTANINI, Archi-Episc. Ancyrani.

Volumina II.

Romæ, typis & sumtibus Hieron. Mainardi, 1726, fol.

Alph. 13 pl. 9.

REviviscit ad posteritatem, auspiciis Benedicti XIII Pont. Max. opera Celeb. Fontanini, diligens Gratiani Decretorum interpres & novus Architectus, Joannes a Turrecremata, Hispanus, ex Magistro Sacri Palatii inter purpuratos Patres ab Eugenio IV cooptatus. Maximo olim pretio habiti operosi ejus in Decreta commentarii, quos, dum Romæ Gratianum ab anno 1449 inde ad viginti quinque annos publice interpretaretur, edidit, prius Nicolao V P. M. oblatos, postea Calixto III inscriptos, & qui in V volumina distincti, sed VI tomis comprehensi, primum Lugduni apud Jo. de Jonvelle A. 1519, deln Jo. Bœrii notis summariisque locupletati, ibidem A. 1555 IV tomis ex officina Blasii Guidonis prodiere. Ante vero quam commentarios hos appararet, (non post editos illos, quod Doctiss. Fontanino videtur,) conatu novo, labore improbo, totum Decretorum ædificium ab se resolutum, ad formam & ordinem librorum ac titulorum in Decretalibus Gregorii IX servatum, ex integro egessit & Nicolao V dedicavit. *Cupienti mihi*, inquit, *Pontifex Maxime, ex studiorum meorum laboribus aliquid offerre ac dedicare Sanctitati Tuæ, obtulit se liber Decretorum, nuper a me ex confusione quadam & tumultu-*

multuaria rerum congerie, non sine magna, ut existimo, lectoris utilitate, redactus in ordinem. Nam etsi is liber variis sacrorum Conciliorum canonibus, Pontificum decretis, sanctorum Patrum regulis ac Imperatorum legibus refertissimus sit, ut non modo utilis Ecclesiæ Dei, sed pene necessarius videri possit, nostra tamen sententia, ordine minus recto contextus, plurima incomposita, locisque incongruis continens: quæ inordinatio plurimos a studio ac lectione sui deterret ac retrahit. Cumque Gratianus luculentiorem & libris Decretalium convenientem ordinem induere aliter non posset, quam si rubricæ adderentur, ac subinde immutarentur, & capitula secarentur bene multa, quibus integris ob diversa, quæ complectuntur, sub uno titulo apte locus haud foret; utrumque solertissime præstitit Turrecremata. *Palea* vero & inter eas quoque *c. 14, Constantinus, dist. 96* prorsus omisit, manifesto indicio, nullius exstitisse illo tempore valoris & autoritatis, neque Gratiano fuisse adscriptas. Ceterum per fecit hoc opus adhuc Cardinalis S. Xysti, *vexantibus ipsum*, ut ait, *undique agrotationibus suis*, dicavit & obtulit Pontifici Cardinalis jam factus S. Mariæ trans Tiberim. Haud abs re credimus, eum in publica Decretorum interpretatione hoc ipso opere usum esse, quod post fata laboriosissimi senis (octuagenarius enim sub Paulo II A. 1468 decessit,) manibus excidere & in bibliothecis delitescere cœpit. Ejus exemplar chartaceum, in forma folii scriptum, servat bibliotheca Barbarina, jam a Nic. Antonio commendatum in Bibliotheca Hispana veteri *libro X c. 5 §. 525.* Codex, *Turris aurea Decretorum*, a librario, ut videtur, inscriptus fuit post Turrecrematam ad Episcopatum Sabinum e titulo S. Mariæ trans Tiberim evectum. Cujus codicis notitia olim perlata ad Vincentium Mariam Ursinum, in utroque ordine, Prædicatorum & S. R. E. Cardinalium, Turrecrematæ collegam & fratrem, jam Benedictum XIII P. M. cupido ejus animum incessit Barberinum exemplar in usus juris canonici studiosorum, præcipue inter clerum sedi Beneventanæ, cui præerat, subjectum, publicandi. Doctissimo Fontanini recognoscendi & typis excudendi codicis, annuente Eminent. Card. Francisco Barberino juniore, descripti, data est solicitudo, quam per sedecim menses gessit, ita, ut singulorum

Digitized by Google

lorum canonum citationes probas a ſpuriis diſcerneret ac ad priſtinos fontes, ubi licuit, ſecundum præſtantiores editiones recenſeret, ad editionem vero Romanam pariter omnes exigeret, & commoditatis ergo partitionem ac numeros vulgatæ editionis Gratiani ad oram ſingulorum canonum adnotaret. Adjecit brevia perſæpe poſt ſingulos canones ſcholia, quæ de ſuſpectis monent, perperam in dubium vocata, non raro adductis autoribus, tuentur. *Pitbœorum curæ*, ait, *multa nobis ſubminiſtrarunt. Ex iis non ſine criſi ſelegimus, quæ ad rem noſtram facere videbantur, ſcriptorum, unde teſtimonia proferuntur, expreſſis ætatibus atque epochis certioribus, locorum etiam nominibus, ubi opera, quæ laudantur, conſcripta & quo interdum miſſa.* Quinque Indices appoſiti, primus librorum, titulorum, rubricarum & canonum, alter canonum tantum, principiis eorum ordine literario ita recenſitis, ut & huic & reliquis editionibus accommodetur, tertius rerum, quartus hiſtoricus, poſtremus Geographicus & Hiſtoricus. Neque vulgare addit ornamentum docta Editoris diſſertatio præmiſſa de collectionibus canonum, præſertim illa Gratiani, de autoritatis decretorum cauſis & progreſſibus, de emendatione Gratiani autoritate Pontificum ſuſcepta, de Turrecrematæ demum opera in Gratianum collata. Multum ſibi obſtrinxit Celeb. Fontaninus juris canonici ſtudioſos, quod non in bibliothecarum canonicarum decus ſolum, ſed in commodiorem etiam Decretorum cum Decretalibus collationem, & in uſum accuratæ & præſtantioris Decretorum editionis, hoc opus apparaverit.

SEX. AURELII PROPERTII ELEGIARUM libri IV, ad fidem veterum membranarum curis ſecundis JANI BROUCKHUSII ſedulo caſtigati. Accedunt terni Indices, quorum primus omnes voces Propertianas complectitur.

Amſtelædami, apud Wetſtenios, 1727, 4.
Alph. 3 plag. 10.

DE Obſervationibus Viri elegantiſſimi *Jani Brouckhuſii* in Sex. Aur. Propertium, cum earum prima editio in lucem prodiiſſet, in his Actis A. 1702 M. Jul. p. 296 ſq. diſſeruimus. Eam ob cauſam, & quod non modo Propertius, ſed etiam Tibullus, ab eodem ingenio eadem ratione ornatus, diu eruditorum manibus verſatus eſt, otium nobis factum videmus inſtitutum præclariſſimi viri pluribus proponendi. Notum eſt omnibus, quod non minus ex recentioribus, quam vetuſtis autoribus exempla poeticæ elegantiæ collegerit: quod varii generis obſervationes in unum corpus redegerit: quod denique paullo audacius receptas lectiones repudiaverit, novasque in contextum admiſerit. Igitur de *ſecundis* tantummodo *curis* dicemus. Debemus eas V. Clar. *P. Vlamingio*, qui Codicem Propertii ex auctione ſupellectilis literariæ David. Hoogſtratani ſibi comparavit, cui Cl. *Brouckhuſius* ea augmenta adeo nitide adſcripſerat, ut facile appareret, iterandæ editioni deſtinata eſſe. Ea, cum Wetſtenii expeterent, publicæ utilitati haud negavit. Et cum ad manum haberet obſervationes fratris ſui in hunc Poetam & alia quædam, nihil tamen, niſi *Brouckhuſiana* dedit, eaque per ſe libro, quod vel ex numero plagularum patet, ſingulari augmento fuerunt. Quanquam, nemine monente, quilibet ſecum conſtituet, longe uberiores futuras fuiſſe has *δευτέρας φροντίδας*, ſi ipſi *Brouckhuſio* hanc editionem curare licuiſſet. Id, quod ex prima ſtatim pagina patet, ubi duo additamenta inſeruntur. Alterum hoc eſt: *Super nominibus Poetæ noſtri ſuaviter nugatur Joannes Goropius in Vertumno pag. 30.* Alterum hujuscemodi: *Antimachi Lyde. Parrhaſius Epiſt. pag. 199.* De priore nihil addimus: at poſterius additamentum nunquam ita nude, ut erat *Brouckhuſius* diſertiſſimus, adjeciſſet. Ad Lib. I Eleg. 1 princip. duæ notæ ex Barthii Animadverſionibus in Statium acceſſerunt, prior, quod *Cynthia* Propertiana nupta fuerit, quod ad Lib. II Eleg. VI v. 1 pluribus docet *Brouckhuſius*; poſterior, quod Propertius primus homoioteleuta ejus generis, cujus eſt: *ſuis . . . . ocellis* in Elegiam invexerit. Ibidem ad v. 4 obſervatio de corporibus hoſtium devictorum conculcatis a victoribus augetur teſtimonio Valer. Flacci, & deinde accedunt autores, Barthius in Adverſ. lib. III cap. 14.

Longe-

Digitized by Google

Longepierre *sur la seconde Idylle de Bion* p. 50, l'Arioſto XXIII *del Furioſo*, 66, & teſtimonium S. S. ex Joſua X, 22 ſeqq. Ad v. 8 nova comparet annotatio, quæ hæc eſt: ADVERSOS) Seneca Troad. v. 28: *Teſtor deorum numen adverſum mihi.* Quæ itidem contra morem primi editoris eſt concepta. At quantivis pretii eſt annotatio ad v. 13: PERCUSSUS VULNERE RAMI) *nervi* malebat Heinſius in notis nondum editis. Recte. Ovidius II Art. Amat. 191:

Senſit & Hylæi contentum ſaucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.

Notæ ſuper v. 20 nunc ſubjungitur: *v. Douza ſchediaſm. ſuccid. pro Tibullo p. 62.* Vſ. 21 nova obſervatione ornatur. Citavit enim Valla *Vos agedum . . . convertite*, pro *En agedum*. Eum in libros omnes peccare docet Autor, & exemplis Ciceronis & Valerii Flacci confirmat, *agedum & age* cum Plurali numero conjungi: quod in Indicem etiam Annotationum recte relatum eſt. Notæ ad v. 24 inſeritur exemplum ex ipſo Propertio. Verſui 26 nudus locus ex Seneca adſcriptus eſt: quomodo v. 8 ornatum nunc demum eſſe, modo diximus. Atque hæ ſunt acceſſiones Notarum in Elegiam I. Non quidem tam larga augmenta omnibus locis animadvertimus: paſſim tamen ſimilia, aut etiam majora conſpicere licet. Ad Lib. II Eleg. XXIV v. 12 Ciceronis autoritas frequentior eſt, quam olim. Circa quam obſervationem utinam erudito Autori videre licuiſſet, quæ poſtea monuit Jac. Gronovius ad Minucium Felicem! fortaſſe, iſto fremente, plura loca in rem præſentem advocaſſet. Sic ad lib. III Eleg. II v. 28 Senecæ, Naſonis & præterea Areoſti Itali autoritate antiqua obſervatio de verbo *pendere* in locis exſtructis aut altis deſcribendis corroboratur, & Goralli, qui nonnulla ex hac obſervatione ſublegerat, impudentia caſtigatur, verbis adeo mordentibus, ut facile agnoſcas ab ingenio Brouckhuſii omnia profecta eſſe. Ita ad ejusdem libri Eleg. IX v. 53 tres acceſſiones deprehendimus, ubi nempe additur Solinus, Montfaucon & Vigneul-Marville. Quo loco, ut & aliis aliquot, id ſimul obſervamus, ſi Autor ipſe hanc editionem procuraſſet, eum imagines antiquas, ut in Tibullo factum, fuiſſe additurum. Interim etiam ſine his lenociniis Proper-

Digitized by Google

pertius hicce gratus erit eruditis atque acceptus, eo magis, quod nitidiſſima & facile atramentum admittente charta, quam hodie in multis Batavorum libris deſiderari videas, ſit expreſſus, & ſatis emendate deſcriptus. Monent præterea bibliopolæ, proſtare apud ſe non modo Tibullum eadem ratione illuſtratum, & *Brouckhuſii* ipſius Poemata eademforma impreſſa, ſed brevi ſeſe etiam daturos *Catullum* ejusdem generis annotationibus ornatum.

M. TULLII CICERONIS ACADEMICA. Recenſuit, Variorum Notis ſuas immiſcuit, & Hadr. Turnebi, Petrique Fabri Commentarios adjunxit JOANNES DAVISIUS, Coll. Regin. Cantabr. Præſes.

Cantabrigiæ, ſumptibus Corn. Crownfield, 1725, 8. Alph. 1.

QUi jam tot præclaris ingenii monumentis ſuam eruditis operam probavit Cl. *Daviſius*, in eo omnium maxime de literaria re bene mereri videtur, quod tantam expoliendis Ciceronis Philoſophicis curam impendere ſatagat; quippe quæ & pro argumenti difficultate, & nata inde librariorum corruptione, tanti viri manus auxiliatrices vel imprimis deſiderabant. In qua provincia ornanda quam felici ſucceſſu provectus fuerit, alibi Acta noſtra docuere. Reſtare jam videbantur ad pertexendam, quam exorſus eſt Vir Cl. telam, quæ exhibemus, Ciceronis Academica. Ita enim reſtituere inſcriptionem, ex Nonii, Marciani Capellæ, & duorum MSptorum autoritate, Noſtro placuit, cum vulgo ſub Academicarum quæſtionum titulo circumferantur. Textui Tulliano Victorii, Camerarii, Manutii, Lambini, & Urſini integras notas, ſeorſim antea editas, nec non Franc. Guyeti ſtricturas ex ora editionis Gruterianæ, Pariſiis in Jeſuitarum Bibliotheca aſſervatæ, deſcriptas ſubjicit. His ſuas animadverſiones immiſcet, quibus tum hiſtoriam & dogmata Philoſophorum, adhibitis antiquorum monumentis, explicat, tum textum ſuæ integritati reſtituit, duodecim MSptorum copia, & ſuo ingenio abunde adjutus. Ad calcem textus in Acad. primum Hadr. Turnebi

nebi integer Commentarius ex Commelini editione 1597 expressus exhibetur, in quo, cum posthumus fœtus sit, autoris limam Noster desiderat. Hunc excipiunt Petri Fabri in utrumque Academicum observationes, olim Parisiis 1611, jam vero Nostri cura correctius editæ; quæ nimiam in vulgata lectione tuenda sollicitudinem prodere Cl. Davisio videntur. Qua occasione quorundam eruditorum errorem refellit, qui hunc Petrum Fabrum, Arvernum, in Collegio Rupellensi Hebraicæ linguæ Doctorem, circa A. 1615 mortuum, cum Agonisticῶν autore, qui Tolosonus, Senatus patrii Præses, decessit A. 1600, confuderunt, patria adeo, muneribus, & ingenii monumentis facile a se invicem distinguendos. Agmen claudunt addenda, quorum majorem melioremque partem Amico culdam, cujus nomen reticet, deberi, non sine ejus præconio fatetur. Nos, Cl. Davisio, ejusque Amico, ingenii ubertate Nostri simillimo, quid debeatur, ut comprobemus, aliquot emendationes exhibebimus, unde de reliquarum indole facile lectori judicium erit. L. I C. I: *Atque illum complexi, ut mos amicorum est, satis cum longo intervallo ad suam villam reduximus:* Noster sine Codd. adjumento legit, *ut mos amicorum est* SE VISENTIUM LONGO INTERVALLO, hæc verba interpunctione a subsequentibus divellens, quod longo intervallo Varronem ad villam reducere non licebat, qua se paullum abfuisse, cum eum ad se venientem viderint, superiori commate Cicero dixerat. Idcirco *intervallum*, non loci distantiam sed temporis spatium, quod interceserat, ex quo se non viserant, hic interpretatur. Circa finem ejusdem cap. *& id studium, totaque ea res longe ceteris & studiis & artibus antecedat:* in addendis cum Amico suo opinatur, sermonem recte non procedere, nisi pro *artibus, rebus*, restituatur. C. II: *Nihil apta interrogatione concludunt:* Amicus in add. *argumentatione* reponit, cum interrogatio nihil unquam concludat. C. IX: *Post argumentis, & quasi rerum notis ducibus utebantur ad probandum*, sola verborum μεταθέσεις eleganter refingit Noster, *& rerum notis, quasi ducibus, utebantur*, ut Cic. Fin. l. V c. XXV rerum notas dicit. In add. Amicus ingeniose conjicit, *quasi rerum nodis*, cum argumenta sint quasi nodi, quibus conclusio connectitur. C. XIII: *Ut contra omnium sententias dies jam plerosque deduceret,*

Noſtro hiare oratio videtur, quamvis deducere dies idem ſignificare ac abſumere, concedat. Hinc Lambini conjecturæ ſubſcribens pro *deduceret* legit *diceret* ; & cum *dies plerique* eum quoque offendant, *dies etiam totos diceret*, ſubſtituit. In add. ab Amici conjectura non alienus eſt, qui legit: *ut contra omnium ſententias diebus alternis diceret*; quæ, quamvis ſequentibus apte ſatis conveniant, ex recepta tamen lectione vix exſculpuntur. L. II C. XV: *Cum animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quæ nullæ ſint, ut iis, quæ ſint:* voci *inaniter* litem movet Noſter, *frequenter*, reſcribens, cum ſane iis, quæ ſunt, haut *inaniter*, ſed *vere* moveamur; quamvis Chimærarum imagines interdum æque vividas concipiamus. C.XXII: *Et ut ii, qui ſub nube Solem non ferunt, item ille, cum æſtuaret, veterum ut Mantanorum, ſic Academicorum umbram ſecutus eſt* : abſonum eſt, eos, qui ſub nube Solem non ferunt, umbram ſectari, cum apricari potius cupiant. Hinc Noſter cum Joanne Clerico reponit ; *qui ſine nube Solem non ferunt*. Aliam, ſed minus nativam conjecturam in add. exhibet: *qui, ſudum dum eſt, Solem non ferunt:* facilior eſt Amici divinatio: *qui ſubinde ſolem non ferunt*. C.XXV: *Maneant illa omnia: lacerat iſta cauſa; veraces ſuos eſſe ſenſus dicit.* Lacero huic & corrupto loco Noſter ita medetur: *blaterat iſte tamen, & veraces ſuos eſſe ſenſus dicit.* C.XXVI: *Sed ut minuam controverſiam; videte, quæſo, quam in parvolis ſitis.* Noſter paullo durius : *quam parum diſſentiatis*, in add. felicius : *quam parva litis ſit.* Hæc Davifianæ operæ experimenta ad guſtum ſufficiant. Nos exantlatum Cl. Autori laborem, quem Ciceronis Philoſophicis adhuc non ſine eruditorum plauſu impendit, gratulamur.

CATALOGUS PLANTARUM HORTI PISANI, Autore MICHAELE ANGELO TILLI, in Piſano Athenæo Simplicium Lectore, & Horti Cuſtode.

Florentiæ, apud Tartinium & Franchium, 1723, fol. Alph. 2 pl. 4 Tabb. æn. 52.

Hor-

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. II ad A. 1724 M. Maj. p. 219.

Fig. 2.



Fig. 1.

Digitized by Google

HOrtum Medicum Piſanum, cujus hic Catalogum exhibemus, condidit A. 1595, ut ex inſcriptione ejus diſcimus, Ferdinandus Medices M. Dux Etruriæ, primosque illi cultores Lucam Ghinium, ejusque magni inter Botanicos nominis diſcipulum Andream Cæſalpinum conſtituit, cujus laudes Cl. Autor in præfatione potiſſimum commemorat, ſimulque proxime appendicem plantarum ſynonymarum Cæſalpiniano operi adjungendam exſpectare jubet, cui Petrus Ant. Micheli, omnes in nativis locis a Cæſalpino indicatis ſollicite perquirens, manum admovit. Plantæ in ipſo opere neque ad certas claſſes ſunt revocatæ, neque deſcriptiones earum adjectæ, ſed ſola duntaxat nomina maxime recepta una cum uſitatioribus autorum ſynonymis ſecundum alphabeti ſeriem collocata, brevibus ſubinde ſcholiis ſubjectis, comparent. E quibus nonnulla notatu digna annotabimus.

Tab. 3 Agaricum ſquamoſum fœtidum ſuperna limbi parte ramoſa ſupra Balenæ oſſa adhuc pinguedine referta natum exhibet. Scilicet cum A. 1713 immanis belua per mare Tyrrhenum excurrens in Plumbini ac Populoniæ maritimis interierit, oſſaque ejus juſſu Ducis Piſas eſſent translata, ea ad expurgandas carnis & ſanguinis ſordes in horto terra tegi curaverat, atque ſuper eadem præter expectationem autumnali tempore triginta circiter fungi & ipſi fœtentes tanquam inter ſe proliferi ſunt enati. Inter aurantia aliquod Hierichuntium cortice tenuiore, medulla dulci, rubente & veluti ſanguinea, tanquam rariſſimum commemorat. Cinaræ ſpeciebus plantam Tunetanam acaulon, ab incolis Taſga dictam, in aridiori utplurimum ſolo reperiundam, flore magno, ſuaviter olente, anguſtis foliis non ſpinoſis annectit, eandemque forte unam ex cinaris orientalibus moſchatis Tournefortii cor. 31 eſſe, ſuſpicatur. De cranio quoque humano cruſta lapidea tenuiſſima æqualiter circumdato, quod inter rariora muſei Piſani aſſervatur, mentionem injicit. Multi tanquam ſingulare prorſus admirati ſunt coralloidem ſupra illud enatam, quos inter Mangetum in Biblioth. Muſeum Kircherianum, Donzellum Theatr. Pharmac. Muſeum Coſpianum nominatim recenſet. At vero Autori non tam coralloidis excreſcentia mira videtur, cum

TAB. I. Fig. 1. p. 4. 21. 41. 48.

Digitized by Google

corallii matrix fruticosa facile cum quocunque corpore solido queat concrescere, sed Illud potius tanquam rarum annotat, quod petrescens illa materia totum undiquaque cranium circumderit, quæ dein super syncipit aliquantulum excrescens, tandem
p. 64. in coralloidem superemineat. Fungum typhoidem Liburnensem describit, eundemque simili cum Melitensi virtute in cohibendis humoribus e corpore manantibus gaudere, experimentis hunc in finem institutis compertum esse testatur. Qua occasione Bocconium notat, qui duplicem facit fungum typhoidem, alterum absque fibris, alterum fibris donatum ligneis; cum tamen neutrum fibris gaudere instituto accuratius examine deprehenderit. Quæ vero Bocconio illuserint, radicum, quas fungus circumdederat, fuisse fibras, quales etiam in hoc Liburnensi detexerit, utque eo rectius de tota controversia lectori constet, ejusdem & radici adhærentis & utrorumque a se invicem separatorum
Tab. II. figuram Tab. 25 exhibet. Graminum occasione catalogum eorum
Fig. 2. locupletem a D. Micheli sibi æque ac multis aliis Botanicis cum
p. 69-76. seminibus communicatum inserit, in quo tum locorum natalium notitia tum variæ annotationes & synonyma eorum adjecta
97. sunt. Inter rariora Musei Pisani, quæ ad regnum vegetabile spectant, non ultimum concedit locum ligno pretiosissimo, quod cum æquali sæpe auri pondere permutatum est, quod Lignum Aloes seu Xylaloe, seu Agallochum Indicum, Agallochum Arabiæ officinarum præstantia longe superans, dicit, & cum Agallocho præstantissimo C. Bauhin. Pin. 393 idem esse censet: describit vero illud tanquam lignum durum, grave, pingue, sapore amaricante, cum quadam acrimonia aromatica, suavissimum spirans odorem, insignique proceritate conspicuum, quod ultimum inter prima præstantiæ signa in ipso solo natali referri, referunt rerum naturalium scriptores. Annexa est sub finem Julii Pontederæ, Botanici Patavini, Epistola, in qua de nonnullis stirpibus suam explicat sententiam. Cum Lapathum & Acetosam nonnisi sapore differre crediderint Botanici ad unum omnes, his eas sejungit signis. „Illæ quatuor foliis oblongis instructæ, quas natura in „fructiferam & sterilem distinctas creavit, Acetosæ nomine in„dicentur. Quæ vero folia subrotunda gignentes, flores & sta-

„mina

„mina apicesque ut Lapatha ferunt, quis prohibet Lapathis adji„cere ac Lapatha nuncupare?„ De ulva itidem, ad quod genus referenda sit, quærenti Tillio, ad cyperoides pertinere, respondet. In hoc enim ab Anguillara & a Casparo Bauhino se discedere fatetur, quibus typha veterum ulva esse traditur, cum ulvam palustrem typham aquaticam fuisse, ex autorum, quos allegat, locis pateat; ulvamque potius eandem cum carice esse, ex usu non minus domestico communi, quam promiscuo harum vocum apud Virgilium usu colligit.

DELL'USO E DELL'ABUSO DELLE BEVANDE e bagnature calde o fredde.

i. e.

ANTONII VALLISNERI, PROF. PUBL. PRIMARII Medicinæ Theoreticæ Patavii, & Medici Cameræ Sacr. Cæs. Cathol. Majest. Epistola de Usu & Abusu Balneorum & Potuum frigidorum vel calidorum.

Mutinæ, typis Antonii Capponi, 1725, 4.

Alphab. 1 pl. 1.

SEx præterlapsi sunt anni, cum Clariss. *Johannis Baptistæ Davini* de Potu Vini Calidi Dissertatio latine scripta in publicum produceretur, cujus nunc nova conspicitur Editio, quæ tamen, si verum fateri liceat, eadem cum priori est, novo saltem pallio induta & Epistola, quam jam præ manibus habemus, Cl. *Vallisnerii* locupletata. De Davini Dissertatione ut aliquid dicamus, non attinet, a nobis in Actis A. 1721 Mens. Martio pag. 124 satis laudata; de Vallisnerii vero Epistola pauca nunc commemorabimus. Diversæ sunt Autorum sententiæ circa potulentorum & balneorum usum, aliis frigida, calida aliis commendantibus, utrisque juxta suam hypothesin illis mediantibus valetudinem conservaturis & adversam profligaturis. Quibus suum interpositurus judicium Clariss. Vallisnerius primo loco illorum evolvit argumenta, qui frigide, imo frigidissime bibere sanitati

proficuum esse perhibuerunt. Quorum promachus cum fuerit Nicolaus Monardus, Hispalensis Medicus, qui in Tractatu de Nive ejusque efficacia, a Carolo Clusio latinitate donato, aquam frigidam, imo nive & glacie refrigeratam etiam atque etiam commendavit: rationes ejus singulas examinat Noster, easque refutat. Nec tamen negat, dari casus, ubi potus frigidus non solum utilis sed & necessarius judicandus sit, quando scilicet fibræ partium solidarum per diuturnas molestias & calorem vehementiorem ita fuerint relaxatæ, ut tensionem naturalem ac virtutem energeticam amiserint. Et licet potus frigidus ad apoplexiam, paralysin, asthma, malum hypochondriacum, colicam, tympanitidem, vigilias nimias, chylosin læsam, ardores, venena calida & corrosiva, ad præoccupanda mala ex sale & sulphure exaltato metuenda, & ad phrenitidem potissimum laudetur; nullus tamen asserere dubitat, tutius & absque ullius periculi metu efficaciorem effectum in hisce morbis præstituram esse aquam calidam, siquidem in primis viis suam potissimum vim frigidam aquam exerere existimat, per membranarum & nervorum continuitatem interioribus visceribus communicandam, ad massam sanguineam vero delatam sicque tepefactam, nonnisi humiditate sua præstare, quicquid ab ea præstari creditur. Totus igitur in eo est, ut potus calidi, vini potissimum, summam utilitatem deprædicet. Quodsi enim pars resinosa bilis a viscido & tenaci humore ligata & in actione sua propter sal alcali fixum & volatile depressum impedita fuerit, vinum calidum egregiam præstat operam, digestionem juvando, acidum infringendo, & secretionem chyli a fœcibus promovendo. Mediante enim spiritu suo oleoso volatili (bili analogo) per calorem actuato in ventriculo non solum vim suam exerit, sed & profundius penetrat, & bilem quam maxime, non solum quantitatem ejus augendo, sed & principia exaltando, actuat. Observavit siquidem Clar. Vallisnerius, calculos vesicæ felleæ, quæ nihil aliud sunt, quam resinosa & salino-terrestris pars bilis, a nullo spiritu melius quam a vino, terebinthina & similibus dissolvi. Idem etiam statuendum esse putat, si reliqui humores primarum viarum in glandulis, loculis, alveolis suis hæreant, & saporem peregrinum contraxerint, aut si reliquiæ cibo-

Digitized by Google

ciborum salsaginosorum vel acidorum in ventriculi cavitate fuerint collectæ ; sitim etiam sistere pronuntiat vinum calidum, quatenus salivæ portas hactenus obstructas aperit, & subito ad sanguinem pergens lymphæ defectui succurrit. Et cum magna insit vis aquæ calidæ herbis confortantibus infusæ, multo præsentiorem sperandum credit effectum a vino calido, vi corroborante prædito. Et licet objiciatur, Protoplastos aquam, eamque frigidam hausisse, adeoque potum hunc hominibus pariter atque cæteris animalibus maxime naturalem & universalem extitisse; putat tamen, tum temporis mundum in statu juvenili, naturam robustam, cibumque simplicem assumtum fuisse, cum e contrario ille jam ætate prematur senili, natura labefactata sit, & terræ incolæ ciborum varietate & compositione delectentur. Negat autem, frigidum potum reliquis animalibus præ calido esse amicum; siquidem pecora aquas thermales æque ac aquam frigidam hauriant, & animalia carnivora, terrestria pariter ac volatilia, sanguinem calidum & fumantem avide assumant. Et cum juxta diæteticas regulas cibi calidi deglutiendi veniant, cur potus calidus sit interdicendus, penetrare haud potest. Gustu etiam, addit, potus calidi saporem melius dignosci posse, quam frigidi, torporem & stuporem inducentis. Non enim credendum esse, frigus calorem stomachi concentrare, & concoctionem promovere ; cum calidi innati, humidi radicalis & antiperistaseos nomina sint vana, calor primaria chylificationis causa haud existat, & frigus caloris gradum potius imminuat. Concedit quidem, Septentrionales populos ob clima frigidius robustiores esse, aliam tamen putat actionem esse frigoris habitum ambientis, ac interiora subeuntis. Sanum igitur corpus conservaturum illum esse pronuntiat, qui mane infusa Theæ, salviæ vel melissæ cum aromatibus dulcibus & saccharo imprægnata sorbillet, prandii vero tempore vinum calidum hauriat ; siquidem calidus potus fibras roboret, humores superfluos & noxios dissipet, ac glutinosos resolvat, frigido vero primus horum effectuum saltem competat. Sed ad balnea calida & frigida nunc progredimur, quorum illa his pariter præfert. Quanquam enim Hippocrates & Avicenna aquæ frigidæ usum externum commendaverint,

rint, morem tamen hunc nobis haud imitandum esse inculcat; siquidem aqua in climate eorum tepida potius, in nostro frigida magis existat; metuendum etiam esse, ne si forsan aqua frigida in convulsionibus, cephalalgia, catarrhis, aliquid juvaminis afferat, reliquis sui qualitatibus noxam inducat. Inde etiam esse, quod veteres ægros ex balneo frigido egressos oleo fricari jusserint, donec cutis incalesceret, ut scilicet eo ipso pericula e frigore expectanda arceantur. Concludit tandem, cum potus & usus externus aquæ frigidæ sua habeat commoda, suaque incommoda, generalem aliquam regulam circa hanc Diætetices partem præscribi haud posse, suam potius facit sententiam Celsi: *Ego*, inquientis, *experimentis quemcunque in se credere debere, existimo, calida potius an frigida utatur.* De cetero methodum, qua utuntur Medici quidam Neapolitani circa aquæ frigidæ usum describit.

Der aufrichtige ASTRONOMUS.

hoc est:

ASTRONOMUS INGENUUS, DOCENS VARIA ad doctrinam Sphæricam, motum Cometarum & observationes Astronomicas spectantia &c. Autore JOANNE LEONHARDO ROSTIO, Societ. Reg. Boruss. Sodali.

Norimbergæ, apud Petrum Conradum Monath, 1727, 4. Alph. 2 pl. 2 Tabb. æn. 14.

CL. Autor, rerum Astronomicarum peritissimus, A. 1718 edidit *Manuale Astronomicum*, in quo, præmissa versione Germanica Tractatus Astronomi eminentis *Dominici Cassini* de ortu & progressu Astronomiæ, problemata primi mobilis exemplis versis illustravit, observationibus usus observatoris celeberrimi, *Wurtzelbaueri*; instrumenta præterea Astronomica eorumque usum in observandis stellarum culminationibus, altitudinibus, distantiis, azimuthis, amplitudinibus ortivis & occiduis, maculis Solaribus, Mercurio in Sole, eclipsibus utriusque luminaris atque satelli-

Digitized by Google

tellitum Jovis, occultationibus fixarum & planetarum a Luna factis, tranſitu Lunæ prope planetas & fixas, ortu & occaſu ſiderum, Cometis, ſtellis novis aliisque phænomenis cœleſtibus deſcribit; modum quoque computandi beneficio ephemeridum occultationes planetarum & fixarum a Luna & hujus tranſitum prope planetas atque fixas ſub dato meridiano, nec non beneficio Tabularum *Caſſinianarum* reformatarum eclipſes primi Satellitis Jovis edocet, tandemque uſum obſervationum aſtronomicarum in Aſtronomia, Geographia & arte navigandi monſtrat. Quoniam vero poſtea plurima ſeſe obtulerunt, quæ de iisdem argumentis non ſine fructu adjici poterant, Supplementum Manualis Aſtronomici edere conſtituit, cui Autoris deſiderio ſatisfacturus *Aſtronomi ingenui* nomen impoſuit.

Primo itaque loco problemata quædam primi mobilis per Trigonometriam ſphæricam ſolvit & exemplis veris illuſtrat, ac in *Manuali* tradita hinc inde emendat atque perficit. Concernunt illa potiſſimum ortum & occaſum verum atque apparentem Solis & planetarum, nec non horum ortum & occaſum heliacum, durationem apparitionis & culminationem, initium & finem crepuſculorum, altitudines & profunditates Solis atque fixarum una cum Azimutho, conjunctionem planetarum cum fixis ſecundum aſcenſionem rectam atque appulſum ad parallelam datæ fixæ, & alia his agnata. Progreditur inde Cl. Autor ad Cometas: ubi, poſtquam problemata *Jo. Regiomontani* a *Tychone* atque *Hevelio* ad Cometas ſui temporis applicata de determinanda longitudine & latitudine ex diſtantiis a fixis obſervatis, declinatione & aſcenſione recta, motu diurno, interſectione æquatoris & eclipticæ ab orbita facta exemplis illuſtravit, methodum *Caſſinianam* declarat prædicendi loca Cometæ ad futuros dies tribus locis per obſervationem datis, quam ſub titulo: *Theoriæ motus Cometæ anni 1664* publici juris factam *Gaudentius Robertus* Miſcellaneis ſuis Phyſico-Mathematicis inſeruit & *David Gregorius* in Elementis Aſtronomiæ Phyſicæ & Geometricæ expoſuit, R. P. *Nicaſius Grammaticus* in Exercitatione de Cometa A. 1723, Ingolſtadii 1724 edita, illuſtravit. Supponitur in ea methodo cum *Keplero* in libellis de Cometis trajectoria linea recta: theoriam

vero veram, quæ orbitis parabolicis nititur, hac vice seponit. Tricis calculi expeditis, in eorum gratiam, qui illius tædia devorare vel non possunt, vel nolunt, absque calculo per geometricas constructiones ope cujusdam scalæ in 1000 vel 10000 partes divisæ factas problematis de Cometis satisfacere docet. Affert deinde problemata varia miscellanea, quæ in observationibus Astronomicis usum habere possunt, v. gr. de motu horologii ex observationibus Solis atque fixarum rectificando, de vera Lunæ altitudine ad datum tempus determinanda una cum angulo, sub quo circulus verticalis orbitam Lunarem secat, de azimutho Solis atque stellarum, de diametro Solis apparente ex transitu ejus per meridianum elicienda, de positione macularum in disco Solari, de phasi Lunæ ad datum tempus delineanda, de linea Solis meridiana per altitudinem Solis unicam quovis anni tempore invenienda. His absolutis eclipses Satellitis primi Jovis tum juxta Tabulas *Cassinianas* correctas, tum juxta accuratiores *Jacobi Pound*, Angli, in Transact. Anglic. num. 361 publicatas, sola additione computare docet. Totus deinde est in illustranda nobilissima Astronomiæ practicæ parte, quæ de eclipsibus luminarium agit. R. P. *Nicasius Grammaticus* A. 1720 Friburgi Dissertationem publici juris fecit, in qua proposuit methodum absque calculo ope regulæ & circini eclipses Lunares hujus seculi usque ad A. 1750 geometrica constructione repræsentandi, ut earum phænomena tam accurate innotescant, quam tædioso calculo tabularum theoricarum subsidio determinantur. Eam igitur dignam judicavit Cl. *Rostius*, quam ad captum tyronum perspicuam traderet. Subjecit præterea methodum aliam eclipses lunares per geometricam in plano constructionem absque calculo repræsentandi una cum calculo earundem eclipsium trigonometrico. Ut igitur methodi mechanicæ hujus, quam vocat, præstantia appareat, momenta calculi pro eclipsibus Lunaribus A. 1722 per eam determinat & cum iisdem per trigonometriam erutis confert, ubi differentia plerumque nonnisi paucissimorum secundorum deprehenditur. Solvit deinde alia problemata ad eclipses Lunares spectantia, scilicet quomodo loca telluris determinanda, in quibus eclipsis conspicua erit non minus per calculum, quam ope globi terrestris

&

Digitized by Google

& quomodo exploretur, num eclipsis Lunaris in dato quodam loco sit conspicua futura. Ab eclipsibus Lunaribus ad Solares transit. Hic denuo primo loco eclipses Solares hujus seculi usque ad A. 1750 absque calculo per projectionem orthographicam determinare docet, quomodo generaliter in superficie Telluris sint apparituræ. Eidem subnectit methodum aliam faciliorem, sed quam cum acribia calculi trigonometrici contendi non posse, ultro fatetur. Sequuntur problemata alia ad doctrinam eclipsium Solarium illustrandam necessaria, scilicet quomodo in eclipsi Solari longitudo & latitudo viæ centri umbræ in milliaribus Germanicis determinetur; quomodo eclipses Solares ab A. 1721 usque ad A. 1750 speciali delineatione pro dato loco absque calculo trigonometrico exhibeantur; quomodo in disco Telluris situs dati loci pro quolibet temporis momento dato & situs centri penumbræ determinetur; quomodo eclipsis Solis in camera obscura accurate observanda. Explicat quoque methodum uberius, quam *Keillius* in Introductione ad veram Astronomiam proposuit, eclipses Solis computandi absque tædioso calculo parallactico. Docet modum observandi eclipses per micrometra & ex chorda defectus & partibus lucidis observatis phases delineandi. Quamobrem cum *Philippus de la Hire* imperfectam dederit in Tabulis Astronomicis micrometri sui descriptionem, a Cl. *Doppelmeyero* versioni Germanicæ Tractatus *Bionis* de instrumentis Mathematicis insertam; frater vero Autoris *Joannes Carolus Rostius*, Astronomus clarus, viderit micrometrum *Labirianum*, quod Cl. *de l'Isle* secum Petropolin attulit, cum per Germaniam iter faceret, sibique artis mechanicæ peritissimus simile construxerit, ipse accuratam dedit ejusdem descriptionem. Ultimo demum loco phases Veneris delineare & diametrum planetæ in Sole visi vel a Luna tecti per calculum trigonometricum determinare docet.

PHILIPPI DAVIDIS SCHROEDELII, S. S. Theol. & Phil. Prof. Ord. Quæstiones & Responsiones de existentia & virtutibus Dei, in gratiam quorundam Auditorum suorum adornatæ.

Hanoviæ, typis Joannis Georgii Winsheimeri, 1726. 4.
Alph. 1 plag. 1½.

COmpendium hoc Theologiæ Naturalis methodo erotematica atque facili, ſtylo ſimpliciſſimo & perſpicuo conſcriptum, ut argumenta maxime ardua & intricata lectoris patientiam non fatigent. Præmiſſis prolegomenis de Theologiæ & religionis naturalis definitione, autoritate, utilitate, principio cognoſcendi, ad exiſtentiam Dei demonſtrandam primo loco ſeſe convertit. Etſi enim concedat, omnes homines opinionem habere de Dei exiſtentia; philoſophi tamen eſſe agnoſcit, ut in cauſas aut, ſi mavis, rationes inquirat, cur omnes eam habeant; voluntati divinæ id conforme judicat, quod Deus per multa opera ſeſe nobis manifeſtare voluerit; immo idem neceſſarium eſſe exiſtimat, quod ſubinde inveniantur athei, contra quos robuſtiſſimis pro exiſtentia Dei argumentis opus ſit, quodque ipſimet convicti eſſe debeamus de veritate, quæ fundamentum omnium ſcientiarum, æternæ felicitatis omnisque ad eam ducentis revelationis. Quamobrem cum dubitatio *Carteſiana* de re nondum ſatis clara ideo admitti debeat, ut conquiſitis argumentis opinio in ſcientiam vertatur, Deoque ipſi placeat, ut de exiſtentia ejus convicti ſimus per argumenta certiſſima; de quibusdam argumentis pro exiſtentia Dei afferri ſolitis dubitari poſſe ultro largitur, nec ſollicitam argumenta colligendi curam acerbe exagitandam eſſe pronunciat. Urget ipſe primo loco argumentum *Carteſii* de idea Dei, quam eſſe innatam eamque veram adſtruit: hoc enim admiſſo, neceſſario ſequi, Deum exiſtere, non modo quod ipſa illa idea exiſtentiam neceſſariam contineat, verum etiam quod verus & realis cauſæ effectus exiſtere non poſſit, niſi ejus quoque cauſa exiſtat. Secundo exiſtentiam Dei probat ex intuitu mentis & facultatum ejus. Quamobrem de natura & facultatibus quoque mentis huic inſtituto proficua docet. Voluntatem ad bona per intellectum propoſita deſideranda immutabiliter determinatam agnoſcit, ſeu generaliter ad bonum eſſe determinatum, propria uniuscujusque conſcientia patere defendit, & exinde hominis dependentiam & contingentem exiſtentiam deducere nititur. Imprimis autem ex unione mentis cum corpore exiſtentiam Numinis elucere exiſtimat.

Digitized by Google

mat. Disputat hic contra Cel. *Clericum* & ejus sequaces, qui attributa mentis & corporis eidem subjecto inesse posse defendunt, nec animam in ipso somno actu cogitare concedunt, propterea quod confusarum perceptionum, cessante actu reflexo, non sit sibi conscia. Negat, corpori competere potentiam naturalem commovendi mentem; negat, mentem naturaliter motus in corpore producere posse. Utriusque substantiæ operationes ob naturarum immutabilitatem in conjunctione immutabiles permanere, neque adeo conjunctionem mentis cum corpore collocari posse nisi in mutua relatione inter corpus ac mentem & utriusque actiones, ut existentibus in mente talibus cogitationibus, desideriis voluntatisque decretis, tales & tales in corpore oriantur motus; vicissim positis his illisve corporis motibus, oriantur in mente respondentes eis cogitationes. Cum neutra pars hominis admirabilem hunccе consensum instituere potuerit, neutra in hoc fœdere sui juris sit; Dei voluntate harmoniam hanc institutam infert. Cum sic delabatur ad harmoniam præstabilitam *Leibnitianam*, suum de hoc invento, quod a nonnullis pro divino, ab aliis pro *Spinozismo* aut saltem gradu ad illum haberi ait, judicium interpositurus monet, hanc sibi superesse difficultatem, cum in isto systemate unaquæque substantiarum independenter ab altera agat, quod suum est, quomodo nosse queamus, corpus nostrum existere re ipsa extra ideam ejus, si non sit mutua operatio partium invicem, aut quomodo sciamus, alios homines mente re ipsa præditos, si corpus easdem actiones exercere posset sine mentis auxilio; *certissimum* tamen *esse* profitetur, *quod mens non substantialiter influat in corpus, nec corpus in mentem; sed fiant actiones & passiones reciprocæ, sola interposita Dei voluntate, cujus velle sit efficere: sive ergo hæc unio, quæ sit intercedente voluntate divina, physica vocetur, sive metaphysica, sibi perinde esse.* Ceterum cum *Leibnitium*, tum *Wolfium* a *Spinozismo* quam longissime abesse, his argumentis probat, quod 1) uterque corpus & mentem consideret ut substantias a se invicem distinctas & diversissimas, 2) actionum corporis & mentis duplicem seriem statuat, 3) mentes & corpora substantias a Deo diversas affirmet, 4) Deo intellectum & ideas mundorum possibilium infinitorum

& liberam unum ex iis eligendi, qui produceretur, optionem tribuat, nec non 5) libertatem, qua ex infinitis rerum ordinibus possibilibus hunc ut optimum elegerit & ad demonstrandas omnes virtutes suas accommodatissimum: cum e contrario *Spinoza* 1) unicam duntaxat fingat substantiam, 2) unicam saltem admittat rerum seriem simul natura existentem, non solo tempore, 3) mentes & corpora habeat pro modificationibus substantiæ divinæ; 4) unicam duntaxat somniet rerum possibilium & futurarum catenam, ita ut alius mundus per ipsum Deum esse nequiverit, quam qui ex infinitis causarum successionibus & bruta fatalitate fluxit, Deoque 5) auferat omnem libertatem. Quod posito semel Dei decreto liberrimo, actionum mentis & corporis eventus necessarii (*hypothetice* scilicet) admittantur; omnes Theologos Reformatos ipse Theologus Reformatus, quod verum sit, fateri observat: perinde vero esse, sive actiones certæ evadant per harmoniam, sive per influxum physicum. Sufficere, quod cum *Wolfio*, tum *Leibnitio* fateatur, actiones fieri libere & imputari posse: quod impudenter neget *Spinoza*. Quomodo libertas voluntatis humanæ, illa scilicet *indifferentiæ*, cum decreto Dei immutabili consistere queat, id hactenus neque per harmoniam, neque per influxum physicum se explicatum vidisse. Monet tandem, se non perspicere, quomodo *Leibnitio* atque *Wolfio* imputari queat subordinatio causarum contingentium in infinitum, qui Deum credunt esse causam liberam, primam & independentem. Provocat ad *Leibnitii* Theodicæam & *Wolfii* scripta varia, præsertim ad Commentationem de differentia nexus rerum sapientis & fatalis necessitatis. Omnia in mundo ita esse concatenata, ut ratione eventus sint maxime necessaria, ab eo negari non posse, qui præscientiam æternam eamque infallibilem in Deo agnoscat. Originem vero idearum, quibus res in organa sensoria agentes repræsentantur, nec vi corporum speciem sui menti imprimentium, nec vi in objecto & organo simul existenti, nec facultati mentis ejusmodi visionem efficiendi, nec effluviis ex objectis egredientibus; sed cum *Cartesio* soli Deo autori tribuit, cujus voluntate nexus ille inter operationes mentis & corporis subsistat. A mente digreditur ad contemplationem structuræ hujus mundi

ac

ac inde argumentum pro existentia Numinis confirmanda petit, cujus excellentissimas virtutes eadem palam loquitur. Finit tandem hanc de existentia Dei pertractationem quæstione, num dentur athei theoretici? Eam se alibi satis superque probasse ait, nunc unico *Spinozæ* exemplo confirmat. Inter attributa Dei primo loco ponit, quod sit spiritus seu substantia cogitans: qua data occasione urget, quam periculosa & pernicioſa sit ea sententia, quæ cogitationes mentis vel corporeas facit, vel saltem cogitationis subjectum corporeum esse posse ponit, cum inde via proclivis sit ad errores circa essentiam Dei abominabiles. Ex eo, quod Deus sit mera cogitatio, infert invisibilitatem, impalpabilitatem, ineffigiabilitatem & immobilitatem, atque *Spinozæ* errores perstringit. Infert porro ex eo, quod sit spiritus, vitam Dei, nempe perpetuam actuositatem ex interno principio: ubi quoque de vita mentium agit ejusque a vita Dei differentiam delineat. Sed hic quoque errores *Spinozæ* confutat. Operationes Dei vitales sese exerunt per intellectum & voluntatem. Noster igitur, postquam evicit, Deo intellectum esse tribuendum, objecta ejus considerat, quæ sunt Deus ipse & res omnes, quæ realitatem quandam extra eum involvunt. Derivat rerum possibilium omnium cognitionem in Deo ab idea potentiæ suæ, quæ cum ipsi naturalis sit, illam quoque Deo naturalem esse debere, contra *Poiretum* concludit, a liberrimo & indifferentissimo Dei beneplacito ideas rerum in Deo derivantem. Etsi autem hac ratione rerum essentias seu ideas, ab intellectu divino divelli nescias, æternas & immutabiles esse debere ultro confiteatur; in æternum tamen fieri non posse judicat, ut *fatum* ideo *Stoicum* ex eorum sententia extundatur, qui omnium rerum possibilium ideas Deo naturales statuunt: sufficere enim agnoscit ad arcendum illud, si liberrimum & indifferens in Deo decretum agnoscant, quo ex infinitis illis possibilibus quædam selegit, & in statum simplicis futuritionis tandemque subjectivæ existentiæ seu actualitatis transtulit. Omnes difficultates, quas *Poiretus* nectit, ex falsis suppositis nasci, quod ideas rerum possibilium consideret tanquam a Deo diversas & essentiæ ipsius aliunde supervenientes, atque possibilitatem conceperit tanquam attributum rerum extra Deum. Suppositis

istis

iſtis gratuitis ſublatis, cum ſponte ſua ruant omnia *Poireti* argumenta, ea nullus dubitat Noſter, exemplo *Pungeleri*, Theologi *Herbornenſis* celeberrimi (quem data opera *Poiretum* confutaſſe & contrariam eſſentiis arbitrarlis ſententiam de ideis rerum omnium Deo naturalibus antecedenter ad decretum in intellectu divino concipiendis ſolide adſtruxiſſe, commemoravimus Supplem. T. V Sect. XI p. 497 & ſqq.) *ſtraminea & ficulnea* appellare, ex quibus argui poſſit, quam fuerit *Poireti* cerebrum *placitis imperioſis* fœcundum. Notandum vero, Cl. Autorem ideam potentiæ divinæ talem concipere, quæ omnium poſſibilium ideas una comprehendat: unde concludit, Deum non poſſe ſe cognoſcere tanquam potentiſſimum, n ſi *neceſſario* cognoſceret res omnes per potentiam poſſibiles. Inter argumenta, quibus futurorum omnium cognitionem Deo vindicat, provocat etiam ad nexum inter omnes res hujus mundi, quo unum ſemper pendet ab altero & quidem maxima ſæpe a minimis, cum a minimis haud raro circumſtantiis pullulent fata Eccleſiæ & ingentium regnorum mundi. Multum deinde diſputat contra ſcientiam mediam *Jeſuitarum* & contra *Socinianos*, omniſcientiam Dei negantes. Diſputat etiam contra *Limborchium*, præſcientiam ex ſcientiæ divinæ altitudine repetentem. Dum vero addit: *Nonne multo ſapientius naturæque Dei convenientius eſt ſtatuere, ipſum ab æterno*, per ſimplicem intelligentiam, *infinitos rerum ordines, nexus & concatenationes infinitas poſſibiles vidiſſe, in quibus ipſi non ſolum bona, ſed etiam mala obverſata fuere; deinde vero per liberam voluntatis determinationem unam ex illis, virtutibus ſuis omnibus demonſtrandis accommodatiſſimam elegiſſe, quam ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis transferre decreverit, & quidem ea ratione, ut nonnulla ſaltem permittere*, ſcilicet mala, *nonnulla vero ipſe efficere, ut omnia* naturaliter & moraliter bona, *voluerit?* ecquis non videt, quod electionem mundi optimi attributis divinis dignam nec libertati adverſam ſtatuat? Ubi de ſapientia Dei agit, inter alias rationes, cur Deus ſancte permiſerit malum, hanc etiam allegat, quod per opus gratiæ multo ſe perfectius, elegantius & glorioſius exprimit, quam ſi in ſolo naturæ opere ſubſtitiſſet. Ab intellectu Dei ad ejus voluntatem digreditur. Poſt-

quam

Digitized by Google

quam igitur oſtendit, Deo competere voluntatem, & ejus ab humana differentiam expoſuit, controverſiam expendit, quæ de libertate voluntatis divinæ inter *Wittichium* atque *Roellium* interceſſit. Ille ſcilicet *libertatem ſpontaneitatis*; hic *libertatem indifferentiæ* quoad res creatas defendit. Dicitur autem *libertas ſpontaneitatis*, qua quis agit ob certas & evidentes rationes, ut nullam quidem coactionem externam ſentiat, tales tamen rationes objectas habeat, quæ determinationem voluntatis ratione eventus neceſſariam faciunt: *libertas* vero *indifferentiæ*, ubi vel nullæ rationes, vel ab utraque oppoſitorum parte æquales ſunt, quæ non magis in hanc, quam in aliam partem trahunt, adeoque *determinationem* ipſam prorſus *arbitrariam* reddunt. Utriusque partis argumentis in medium prolatis, neutri victoriam concedit, cum uterque non invenerit, quod quæſiverit. Conſultius ipſe judicat, ſi quis & *ſpontaneitatis*, & *indifferentiæ* libertatem Deo ſimul tribuat, nempe quicquid in utraque perfectionis eſt, ut voluntas quidem divina motiva habeat, nulla tamen re indigeat. Potentiam Dei duplici modo conſiderat, *antecedenter* nimirum & *conſequenter* ad decretum. Priori reſpectu *abſoluta* dicitur, poſteriori *limitata* vel *ordinata*. Illius objectum ſunt ea omnia, quorum Deus naturaliter ideas habet; hujus vero nonniſi ea, quæ decreto divino ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis deducta. Quoniam igitur libertas Dei circa res creatas in eo ſolum conſiſtit, quod quasdam ex iis pro arbitrio ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis & actualitatis traducere potuerit; hinc conceptu facillimum judicat, quomodo Deus res, rerumque modos & accidentia aliter per decretum ordinare non potuerit, quam qualiter in immutabili poſſibilitatis idea ipſi obverſata fuere. Monet hinc, reſpectu idearum rerum poſſibilium *impoſſibile* dici, quicquid contradictionem involvit; reſpectu vero decreti divini *impoſſibilia* dici merito, quæ eodem non continentur, & poſſibilia appellari nonniſi ea, quæ vel olim extitere, vel exiſtunt, vel extitura ſunt, quemadmodum factum a *Wolfio* in Coſmologia. Etſi autem Deus decreto ſuo res omnes futuras certo & immutabili cuidam orbi incluſerit, non tamen ideo neganda eſſe miracula, probat, quod eadem quoque ſapiente Dei decreto una

sint determinata, quando & ubi ea Deus patrare velit. Quæ porro doctissimus Autor de Dei simplicitate, infinitate, incomprehensibilitate, beatitate, unitate, existentia necessaria, æternitate, primitate, independentia, omnipræsentia, immensitate, potestate, sanctitate, justitia, veracitate, bonitate atque gloria tradit; de iis ut specialiora in medium proferamus, opus non esse judicamus.

JO. SALOM. BRUNNQUELL, D. CURIÆ Prov. Saxon. commun. Advoc. ordinar. Historia Juris Romano-Germanici, in usum auditorii adornata.

Jenæ, apud Jo. Frid. Ritterum, 1727, 8. Alph. 1 pl. 20.

STrenuos in Germania nostra historiæ & antiquitatum Juris Romani patriique cultores tulit felix illa meliorum literarum cum studio legum conjunctio, quæ nostra ætate unanimi cordatiorum suffragio verum & præstantem efficit Jurisconsultum. Tamque numerosa humanioris Jurisprudentiæ monumenta & specimina, quæ vel hoc seculo prodiere, & quorum complura in Actis nostris extant, satis comprobant, esse nostratium ingenia, rectis instructa præsidiis, acria satis aptaque non ad examinanda solum atque perpolienda aliorum inventa, sed ad invenienda quoque & eruendum, quicquid elegantiorum observationum antiquitas recondit. Quo vero studio in Academiis hodie tractetur historia Juris, documento sunt, quæ inde ab aliquot annis ediderunt viri docti, eam vel ex instituto explicantia, vel partem ejus aliquam, aut argumentum nobilius illustrantia scripta. Præter Ill. Hofmanni historiam juris, in usum auditorum editam, nondum tamen habuimus concinnum aliquod compendium, quod cum prælectionibus Academicis subjici, tum juris cultorum industriæ privatæ inservire posset; quale nuper dedit doctissimus *Brunnquellius*, subnatum sibi in scholis, quas cum plausu aperuit juvenibus ad solidiorem Jurisprudentiam adspirantibus. His ut, quænam sint genuina legitimæ scientiæ subsidia, luculenter mon-

Digitized by Google

monſtraret, diſſertationem de linguarum, philoſophiæ, antiquitatum, & hiſtoriarum ſtudio cum Jurisprudentia jungendo, præmiſit, docta & accurata Autorum ad has literas pertinentium cognitione apprime commendabilem. Ipſam hiſtoriæ juris Romano - Germanici delineationem quatuor diſtinxit partibus. In prima parte hiſtoriam Juris Romani ante Juſtinianum executus, ſingulis capitibus egit de Legibus Regiis, de ſtatu Legum Romanarum poſt ejectos Reges, & ſub Decemviris, de conditione Legum XII Tabularum, de interpretatione prudentum & diſputatione fori, de Jurisprudentia formularia, de Legibus atque Plebiſcitis, de Prætoribus & Ædilibus horumque Edictis, de ſtatu Legum Romanarum ſub Auguſto ejusque ſucceſſoribus ad Hadrianum usque, in primis de Lege Regia & Senatusconſultis, de Jureconſultis eorumque reſponſis, de ſtatu Legum Romanarum ſub Hadriano & de Edicto perpetuo, de Conſtitutionibus Principum, de collectionibus Conſtitutionum Imperialium, in primis de Codice Gregoriano & Hermogeniano, de Codice Theodoſiano, nec non Theodoſii & ſubſequentium Imperatorum Novellis, de fatis denique Jurisprudentiæ Ante - Juſtinianeæ, in primis Codicis Theodoſiani. In ſecunda parte hiſtoriam juris Juſtinianei, librorumque ad jus illud pertinentium, paulo exactius conſideratam, quam vulgo fieri ſolet, recenſet. Dixit proinde de Imp. Juſtiniano, ejusque in componendo Juris Corpore adjutore Triboniano, de Codice Juſtinianeo, de Digeſtis ſeu Pandectis, de illis, quæ præter meritum & merito in Digeſtorum libris reprehendi ſolent, de Pandectarum editionibus, de editione Pandectarum Florentina & MSpto Florentino, de Inſtitutionibus Juſtinianeis, de Imp. Juſtiniani L. Deciſionibus, de Codice repetitæ prælectionis, de Authenticis, Novellis Juſtiniani, variis harum verſionibus & editionibus, aliisque Imp. Juſtiniani Conſtitutionibus, de præcipuis Corporis Juris Juſtinianei editionibus. Tertiam partem in duo diviſit membra, quorum primum Juris Juſtinianei fata in Oriente exponit, & de verſione Juris Juſtin. in linguam Græcam, Theophili paraphraſi Inſtitutionum ejusque variis editionibus, de Conſtitutionibus Imperatorum Orientis ad Baſilium usque Macedonem, de hujus & filiorum Conſtantini ac

Leonis Constitutionibus, nec non libris Basilikῶν, variisque illorum editionibus, Novellis Leonis Imp. earumque in foris nostris autoritate, de glossis, scholiis, commentariis & compendiis in Basilica conscriptis, de Constitutionibus subsequentium Imperatorum ad eversum usque a Turcis Orientale Imperium, de necessaria conjunctione Juris Græci cum Juris Justinianei studio, tractat; alterum membrum juris Justinianei fata & vicissitudines in Occidente sistit, & quidem primum ante tempora Lotharii II Imperatoris; dein veras restaurati illius juris in scholis Italiæ occasiones atque causas aperit; inde differit de schola Irneriana seu de doctoribus juris civilis ab Irnerio ad Accursium usque, deque illorum sectis & controversiis, de Legistis & Decretistis, de Franc. Accursio, Glossæ collectore & ordinatore, deque glossæ autoritate & glossatis juris corporibus, de schola Accursiana, Bartolina, Cujaciana, sive doctoribus, qui elegantiores literas cum studio juris civilis conjunxerunt, de schola JCtorum Ramistica: tandem quo tempore, ex qua causa, quomodo & in quantum Jus Justinianeum in foris Germaniæ receptum sit, solide monstrat, & usum pariter atque dignitatem illius juris contra dissentientes & obtrectatores defendit. In quarta parte Legum Germanicarum tam publicarum, quam privatarum series & historia a primis Reip. Germanicæ initiis ad nostra usque tempora enarratur. Hinc secundum distinctas juris Germanici periodos explicatur conditio Legum Germanicarum ante seculum V, & post illud ad seculum usque IX, recensentur Leges Regum Francorum, Capitularia dictæ, Leges Germanicæ a seculo X usque ad famosas Speculi Saxonici & Suevici collectiones; insertum est caput de jure Germanorum manuario, von Faust- und Kolben-Rechte, tum vero Speculi Saxonici & Suevici compositio, nævi, autoritas & editiones, item jura civitatum Germaniæ statutaria, vulgo Stadt-Recht, Will-kühr, jura statuum Imperii provincialia, Landes-Ordnungen und Constitutionen, exacte indicantur, & brevi tractatione de Recessibus Imperii libro finis impositus est. Singula hujus operis capita eleganti ordine quamvis partem historiæ utriusque juris positionibus brevibus delineatam sistunt, indicatis fontibus, unde haustæ sint, & autoribus, a quibus Noster profecit: & fontium qui-

Digitized by Google

quidem antorumque notitia textui subjecta est, insperſis hinc inde haud poſtremæ notæ obſervationibus. Uſus eſt Vir doctiſſimus magna diligentia in conſulendis florentiſſimorum noſtri ævi JCtorum commentariis & obſervationibus: ceterum ſe ad exemplum optimorum hiſtoriæ juridicæ ſcriptorum, qua tractandi methodum, compoſuit ubique, aliis prætermiſſa, aut levi digito ſaltem tacta, ſtudioſe collegit & ad modum compendii elaboravit, controverſias attigit & diſſenſiones, judicium tulit modeſte, autorum vero & librorum, etiam rariorum, notitiam copioſe accurateque ſuppeditavit. Eadem vero methodo conſcriptam juris Canonici atque Eccleſiaſtici hiſtoriam, ac præterea Jurisprudentiam criminalem breve tempus expectare nos jubet.

CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI, S.R.BOR. Maj. Conſil. intimi & Facult. Jur. in Academia Viadrina Ordinarii, Hiſtoria Juris Romano-Juſtinianei.

Volumen II.

Lipſiæ, apud hæredes Jo. Groſſii, 1726, 4.
Alph. 3 pl. 7.

POſtquam de inſtituto Ill. Autoris primum Volumen (cujus proxime novam editionem, paſſim emendatam & Juris publici Romani delineatione auctam, pollicetur) recenſentes, diximus in Actis A. 1719 M. Sept. p. 381, par eſt, ut alterius quoque Voluminis, duabus Partibus diviſi, nonnullam mentionem faciamus. Exhibetur vero hic primo in priori Parte loco *Collectio Legum Regiarum & Fragmenta Juris Papiniani*, ubi id egit Noſter, ut primo Legem cujusque Regis, deinde Autores idoneos, qui ad legem illam provocant, mox ſententiam legis & denique uſum ejus in jure poſteriori oſtendat, eo imprimis fine, ut Juris recentioris origo ex veteri luculenter pateat. Cum vero & multa Romani petierint e legibus Græcorum, hinc ſecundo loco *Leges Atticæ* e Sam. Petito, & *Lacedæmoniorum* e Nic. Cragio petuntur, quibus Ill. Autor ſuccinctam nec inelegantem *Legum Græcarum, imprimis Atticarum, Hiſtoriam* præmiſit. Subjecit his tertio

Fragmenta XII Tabularum, quæ post tot alios, quos eleganter recenset, ex restitutione Jac. Gothofredi, notis illustravit, quibus Legum sensus verborumque illis contentorum significatio investigatur, atque cum jure Attico confertur, ususque, quem hæ leges in Jurisprudentia recentiori habent, ostenditur; persuasus quippe, in hac vix ullum aliquod insigne momentum occurrere, quod non ex fœcundissimo XII Tabularum fonte queat derivari. Atque his subjecit ordinem harum Legum, tum e *Lud. Charondæ*, tum e *Franc. Hotomanni*, *Theodori* item *Manilii* & *Fulvii Ursini* recensione. Denique quarto dedit *Fragmenta Edicti perpetui* in Corpore Juris Justinianei dispersa, & ex *Guil. Ranchini* collectione, adjectis aliorum observationibus, recusa & emendata; quibus etiam seriem librorum Edicti perpetui, prout illam Jacobus Gothofredus concinnavit, addidit. In altera hujus Voluminis Parte duo opuscula exhibet Ill. Editor, quæ rariora hactenus, certe non facile historiæ Juris cupidis parabilia, ac lectu utilissima censuit, nempe *Caroli Breti Ordinem per antiquum Judiciorum Civilium eorumque solennia*, Paris. 1604 iterumque a Cl. Salengre in Thesauro Antiqu. Rom. qui tamen ob molem ab omnibus comparari non potest, editum: qua occasione simul de aliis scriptoribus, qui Historiam fori Romani exposuerunt, docte præfatur; & *Renati Bottereau Hadrianum Legislatorem*, Pictavii 1661 vulgatum. Ceterum spem aliquam facit continuandæ pluribus Voluminibus hujus Juris Historiæ, quibus similes libellos non ubivis obvios, qui ad materiam hanc spectant, addere constituit, quo rem Lectoribus admodum gratam facturum Virum optimum, minime dubitamus.

LA CRITICA D'OGGIDI O SIA L'ABUSO DELla Critica odierna.

i. e.

DE ABUSU CRITICÆ HODIERNÆ DISsertatio, Autore JACOBO LADERCHIO, Congregationis Oratorii Romanæ sacerdote.

Romæ, apud Hieron. Mainardum, 1726, 4. Plag. 15.

Sæpius

SÆpius jam in Actis noſtris de *Jac. Laderchio*, variis ingenii monumentis inter eruditos claro, facta eſt mentio: ita ipſius *vitam S. Petri Damiani* A. 1703 p. 482, *diſſertationem hiſtoricam de ſacris Baſilicis SS. Martyrum Marcellini Presbyteri & Petri Exorciſtæ de Urbe*, A. 1706 p. 281, *Acta* denique *paſſionis SS. Creſcii & Sociorum Martyrum aſſerta & illuſtrata*, A. 1709 p. 97 recenſuimus. Nunc aliud nobis ejusdem Viri *de hodierna Critices abuſu* exhibetur meletema, quod jam inde A. 1710 ab Autore compoſitum, a variis in privatos uſus deſcriptum, eruditorum manibus Neapoli, Mediolani, Bononiæ atque alibi circumlatum eſt, & a multis avide perlectum. Movit hæc res *Hieronymum Mainardum*, typographum Romanum, ut, quod Neapoli ſibi transmiſſum acceperat, Schediaſmatis exemplum prelo ſuo ſubmiſſum in vulgus edere inſtitueret, non exiguum, quod ſperabat, lectoribus beneficium facturus.

Placuit vero Clariſſ. *Laderchio* integram ſcriptionis ſuæ telam quadraginta paragraphis definire, & quid ſibi de plurimorum ſeculi noſtri Criticorum audacia videatur, ediſſerere. Equidem id ſibi minime eſſe animi ſubinde inculcat, ut omne plane Critices exercitium ſublatum velit; quin probare ſe ait & commendare vehementer Critices ſobriæ ac modeſtæ uſum, illius ſcilicet, quæ genuinum a ſpurio, verum a falſo ſagaciter diſcernendo priſtinum veritati honorem, priſtinam lucem reſtituat, & corrigat circumſpecte, quod vel temporum injuria, vel hominum malitia, vel incuria amanuenſium corruptum, interpolatum depravatumque ſit. Gravem etiam illis dicam ſcribit, qui eximio judicii defectu laborantes, inconſulto animo omnem plane Criticam contemnunt floccique faciunt, dignosque judicat, qui ſtupiditatis, credulitatis ſupinæque ſuæ ignorantiæ pœnas dent. At enimvero cum largus admodum ævo noſtro proventus ſit eruditorum, qui, ubi Criticos agunt, aureum illud: *ne quid nimis*, neutiquam, uti par erat, in oculis habent; quin potius, de aliorum ſcriptis, ſententiis, rebusve geſtis judicandi modeſte libertate in peſſimi exempli licentiam converſa, quoties ipſis fuerit viſum, ſtatuendi, corrigendi quidvis, vel rejiciendi penitus aut in dubium vocandi minimum, poteſtatem ſibi arripiunt, quem

p. 11.

5.

8. 9.

abuſum

abusum utique graviter reprehendendum duxit. Hanc autem instituti se rationem constituisse sibi affirmat, ut de eo magis sollicitus sit, ut lectoribus suis genuinam Critices, qualis quidem nostris temporibus exerceri utplurimum consuevit, faciem repræsentet,

§. 5. & quantum *in modo*, quantum *in tempore*, quantum etiam *in personis*, quod *nimium* est, plerumque committi soleat, ostendat; quam ut morem hunc data opera impugnet, & quæ in causæ suæ defensionem obtendi communiter consueverunt a Criticis, operose diluat: cum majorem hæc res industriam, diffusamque magis

§. 36. eruditionem postularet, & ipse persuasus esset, non opus fore ut multa adversus rem dicantur, a qua probatus quisque facile abhorreret. Interim tamen hoc sibi commodi atque emolumenti hac ex tractatione promittit Cl. *Laderchius*, ut, qui quid rei sit Critica, quibusve illa cancellis contineatur, ignorarunt hactenus, edoceantur, mediumque tenere, si volunt, condiscant, ne in alterutram extremarum partium prolapsi, aliud semper statuant de illa quam statuere debebant, & vel cane pejus & angue ipsam averseantur, vel Palladium literatæ civitatis existiment, quo sublato, pessima quæque fata literis imminerent. Abuteremur certe Lectorum otio, si plura ex hoc libro decerpta exhibere institueremus. Cum enim non nisi trita & ab aliis vel centies dicta hic proponantur, merito nos labore hoc supersedere posse credidimus: id tantum notandum duximus, eodem quo *Laderchius* anno, scilicet 1710, operi huic elaborando insudavit, prodiisse etiam Parisiis R. P. *Laubrusselii* eruditam *de abusu Critices in Theologia* commentationem; quam, elegantius quippe conscriptam, libentius forsitan evolvent, qui instrui in hoc eruditionis capite desiderabunt. Tacendum quippe nobis haud est, nimium fuisse Autorem nostrum in conglomerandis Ecclesiæ Patrum, Ciceronis etiam interdum atque Senecæ, allegationibus, quæ dimidiam, vel ultra, scriptionis partem efficiunt, tantoque majori lectoris tædio utraque lingua appositæ leguntur, quanto minus ille sæpissime, licet omnem ingenii nervum intendat, divinare potest, cur factæ eædem fuerint. Et bene admodum habet, quod ipse sive Autor, sive Editor peculiari præfatione monendum hac de re Lectorem esse censuerit.

):(o):(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXVII.

WESTMONASTERIUM, OR THE HISTORY and Antiquities of the Abbey-Church of St. Peters Weſtminſter.

h. e.

HISTORIA ET ANTIQUITATES ABBATIÆ & Templi S. Petri Weſtmonaſterienſis; Autore JOHANNE DART. Acceſſit ejusdem Autoris Poema de Abbatia Weſtmonaſterii.

Tomi II.

Londini, apud Jac. Cole, ſculptorem, Joſ. Smith & alios Typogr. fol.

Alph. 3 pl. 18 Tabb. æn. maj. 136.

OPus ſiſtimus ſplendidum & jucundum, quod Principi Walliæ GEORGIO AUGUSTO conſecratum, quamvis annum impreſſionis nuſpiam additum habeat, primum tamen ejus Tomum, cui alter mox ſucceſſit, abhinc fere biennio prodiiſſe conſtat. Uti vero cuncta, quæ ad templum Weſtmonaſterienſe pertinent, antiquitates, capellæ, Epitaphia imprimis, quæ A. 1723 ſive integra ſive paſſim exeſa exſtabant, ſumma arte ad vivum delineata & æri inſculpta hiç exhibentur, quæ facile omnium oculos allicere poſſunt; ita nec Cl. Autor, qui & aliis ſcriptis, poeticis maxime, amatoriis, dramatibus inclaruit, ulli labori pepercit, ut & hiſtoriam Abbatiæ, in qua jam olim *Sulgardus*,

Digitized by Google

Matthæus West, *Sporley* aliique laborarunt, elucubratissimam daret, consultis imprimis monumentis ineditis Harlejanis; & lapidum sepulcralium inscriptiones, quas *Henr. Keepe* & *Camdenus* admodum imperfectas dederant, integras promeret & ex
p. I. XLII. historia civili & literaria eleganter illustraret. Præmisit Operi Poema heroicum, quo Abbatiæ faciem eleganter expressit, inter alia fata Mariæ Stuartæ, illic sepultæ, graviter deplorans, & Elisabethæ Reginæ minime parcens, libertatemque Anglicæ gentis passim extollens. Opus III Libris dividitur, quorum duo priores primi, tertius una cum Vitis Abbatum Westmonasteriensium secundi Tomi Partem priorem constituunt, epitaphiis utrique Tomo ex æquo Parte II subjectis. Libro I de fundatione templi *C. I* de ejus instauratione prima sub Eduardo Confessore *C. II*, & de altera sub Henrico III *C. III*; Libro II de reliquiis illic custoditis *C. I*, de Capellis & Altaribus vetustis *C. II*, de missarum solemnibus & anniversariis *C. III*, de veteri consuetudine piscatorum offerendi Ecclesiæ salmonem *C. IV*, (quod caput legi imprimis meretur,) de oblationibus (*Shrine*) S. Eduardo factis *C. V*, quibus conspectus architecturæ templi modernæ annectitur; Libro III de actis vetustis Ecclesiam concernentibus *C. I*, de coronis Regum & coronationibus in illa celebratis *C. II*, de Sanctuario ibidem olim constituto *C. III*, de moderno Ecclesiæ statu *C. IV* disseritur. His subjunguntur, ut diximus, Vitæ Abbatum inde ab *Orbritho*, qui primus A. 604 ad Abbatiam pervenit, usque ad *Franciscum Atterbury*, qui hodie eidem magna cum laude præest. Cum vero singula recensere nimis prolixum futurum sit, rem non ingratam nos facturos arbitramur historiæ litterariæ cupidis, si, ne specimen desit, eruditorum virorum dies annosque emortuales, qui in Dictionario Eruditorum Menckeniano, quod omnium hodie instructissimum est, vel omissi vel secus annotati sunt, ex ipsis eorum epitaphiis, certissimis quippe documentis, depromptos, hoc loco indicemus, eo quidem ordine, quo a Cl. Autore nostro exhibentur. Nimirum *Edmun-*
T. I. p. 75. *dus Spencer*, Poeta Anglus, natus A. 1510, obiit 1598. *Wilhel-*
76. *mus Shadwell*, Regum Wilhelmi III & Mariæ Poeta & Histori-
79. cus, decessit 1692 d. 20 Nov. anno æt. 55. *Samuel Butler*, qui rebelli-

bellium ſui temporis hypocriſin poemate ludicro, *Hudibras* inſcripto, graphice depinxit, natus 1612, mortuus eſt 1680, epitaphium demum nactus 1721. *Matthæus Prior*, Poeta, rebus gravioribus a Wilhelmo III & Anna Regina adhibitus, dum ſui temporis hiſtoriam moliretur, rebus mortalibus ereptus eſt d. 18 Sept. 1721. *Johannes Philips*, qui in Epicis, Georgicis & Lyricis multum præſtitit, n. 1676 d. 30 Dec. e vivis exceſſit 1708 d. 15 Febr. *Galfridus Chaucer*, pater Poetarum Angl. cujus vitam prolixiorem Noſter nuperæ ejus Operum editioni præmiſit, natus Londini A. 1328, denatus eſt Oct. 25 A. 1400. *Johanni Dryden* monumentum ad latus Coulæi, illius Pindari, Horatii & Virgilii Anglici (prout in epitaphio vocatur) anno 1720 poni juſſit Jo. Sheffields, Dux Buckinghamienſis, cum buſto ejus & paucis verbis: *I. Dryden, natus 1632, mortuus Maji 1 1700. Thomas Sprat*, pater, Epiſcopus Roſſenſis, cujus ſunt eximia in linguam Anglicam merita, d. 20 Maj. 1713, anno æt. 77, & filius ejusdem nominis, Patris æmulus, d. 10 Maj. 1720 anno æt. 41 deceſſerunt. *Carolus* Comes *Montague*, Marchio de *Halifax*, qui inter eruditos & Mœcenates Angliæ noſtro tempore primus exſtitit, vitam finivit d. 19 Maj. 1715 anno æt. 54. *Joſephus Addiſon*, de cujus operibus, nuper editis, & vita iis præmiſſa, dicemus alio tempore, ſepultus eſt in hoc templo d. 26 Jun. 1719. *Johannes Spotiswood* Archi-Ep. S. Andreæ in Scotia, qui hiſtoriam Scotiæ omnium optime deſcripſit, diem obiit 1640 Londini, quo ſe receperat ob motus Scoticos. *Robertus Stapylton*, qui Dramata & verſionem poeticam Juvenalis edidit, d. 11 Jul. 1669, & qui ei proximus tumulo, *Wilhelmus Outram*, Theologus incomparabilis, Scripturis & Patribus plane immerſus, d. 23 Aug. 1679, anno æt. 54, exſpirarunt. *Antonius Horneck*, S. Theol. Profeſſor Regius, libris aſceticis clarus, vivere deſiit prid. Cal. Febr. 1696 æt. 56. *Thomas Knipe*, S. Th. D. in promovenda pietate pariter ac eruditione indefeſſus, 8 Id. Aug. 1711 æt. 73, *Henr. Wharton*, Autor Angliæ Sacræ, cujus vitam Noſter prolixius exponit, d. 5 Mart. 1694 æt. 31, & *Guil. Sanderſon*, qui vitas Mariæ Scoticæ, Jacobi I & Caroli I Regum Angliæ ſcripſit, d. Jul. 15, 1676 nonagenarius, mundo valedixerunt. *Guil. Johnſoni*, S. T. P. d. 4 Mart.

Conf. T. II. p. 61. 83. 86. 90. Conf. T. II. p. XLIII. 144. 147. 175. T. II. 54. 57 ſq. 62. 79. 95. 125.

Mart. 1666 æt. 57 defuncti Epitaphio adduntur verba: *Imaginem cujus si velis, illius librum consule. Aphara Behn*, quæ Dra-
p. 126. matibus & poematibus aliis inclaruit, e vita excessit d. 16 Apr.
133. 1689. *Richardus Gouland*, primus Collegii Westmonast. Bibliothecarius, qui & lectissimos libros Bibliothecæ legavit, vitam finivit d. 10 Nov. 1659. Ceterum adduntur ultimo Cromwellius, Ireton, Bradshaw & reliqui infandæ rebellionis autores, qui in hoc templo olim sepulti, sed post restitutionem Caroli II effossi, aliisque in locis minus honoratis, vel infamibus, iterum defossi
144. sunt, e quibus in nostrum censum pertinent *Wilhelmus Twisse*, D. Th. strenuus disputator A. 1641 in Arminiana controversia, de-
145. functus A. 1645, & *Thomas May*, Lucani interpres & variorum carminum Autor, qui a Carolo I, cujus pariter ac regiæ conjugis gratia fruebatur, ad rebelles transiens, & ab his Historiographi munere donatus, obiit A. 1650.

MEMORIE CONCERNENTI LA CITTA DI Urbino, dedicate alla S. R. M. GIACOMO III Rè della Gran Bretagna.

h. e.

COMMENTARII AD HISTORIAM CIVITATIS Urbinatis spectantes, JACOBO III R. M. B. inscripti.

Romæ, apud Jo. Mar. Salvioni, Typogr. Vatic. 1724, fol. Alph. 1 Tabb. æn. 148.

PAucæ admodum sunt Italiæ urbes, reliquis vel Principum gloria, vel civium toga sagoque illustrium litterisve ac vitæ integritate celebrium virorum fama, vel ædificiorum, divitiarumque splendore præstantes, quarum non typis publicis vulgata exstet historia, memoriæque posterorum sit commendata. Est inter has Ducatus Urbinatis metropolis, ejusdem cum provincia nominis, Principali olim, jam Episcopali sede nobilis, quæ, duobus licet abhinc, quæ præterlapsa sunt, seculis, uno vel altero gavisa fuerit civium, qui hoc præstiterit patriæ pietatis atque officii, ut data quavis occasione urbem illam vel publicis quo-

quoque scriptis celebraret; perfectam tamen numerisque suis absolutam sui historiam, qua tot aliæ superbiunt civitates, hactenus desideravit. Movit hæc res *Clementem XI*, Pontificem Ecclesiæ Romanæ maximum, cum Urbinati is adhuc Episcopus præesset cœtui, ut sollicito, quo quippe in patriam ferebatur, studio illorum, qui de ipsius rebus ac laudibus scripserunt, Commentarios conquireret, luci aliquando publicæ tradendos. Æri simul is eleganter incidi curavit operum anaglyphorum, machinarum militarium, antiquarum pariter atque recentiorum, instrumentorum itidem varii generis mechanicorum, quæ Principis palatium magnifice ornant, typos. Enimvero & Pontificalis fastigii negotia, & mors deinceps impedimento fuerunt Clementi, quo minus destinata efficeret. Ipsius itaque necessarius ac civis Card. ANNIBAL de Sto Clemente manum operi adjecit, curamque publicandorum, quos diximus, Commentariorum suscepit. Constitutum autem ipsi est quatuor distinctis Tomis syntagma illud scriptorum comprehendere, quorum primus, nunc editus, illos complectatur, qui vel generalem aliquam urbis notitiam suppeditant, vel de situ atque structura commentati sunt civitatis: secundus vitas Principum continebit, qui sedem ibi aliquando fixerunt: tertius eos commendabit cives, quos vel res pace belloque fortiter ac præclare gestæ, vel vitæ innocenter actæ exemplum, vel litterarum studia a reliquo populi grege distinxerunt: quartus denique opera eorundem ipsa referet, quibus nomen illi suum memoriæ perpetuitati addixerunt: copiosum etiam, coronidis loco, illorum indicem exhibebit, qui extra urbem nati, fortunarum ibi suarum sedem constituerunt, suaque arte vel ingenio, æquali cum civibus ardore, famam civitatis amplificare allaborarunt.

Prima hæc est, quam manibus tenemus, operis pars, Jacobo III a Collectore dicata, qui paullo ante quam prelo illud liberaretur, per menses aliquot Urbini in Palatio Apostolico fuit commoratus. Dedicationem præfatio sequitur, cujus præcipua, quæ instituti rationem declarant, momenta modo excerpta dedimus. Ipsi post hæc variorum Commentarii legentium oculis fisuntur. Agmen ducit inter hos *Bernardini Baldi*, Abbatis p. 1.

Guaſtallenſis, Urbinatis, Encomium patriæ, nativa eloquentia conſcriptum, & coram Principe Franciſco II ultimo Urbini duce, ſeculo decimo ſexto ad finem jam vergente, publice recitatum. Sequitur ejusdem Autoris deſcriptio Palatii Ducalis, a Friderico Principe (cujus vitam peculiari quodam ſcripto daturum ſe p. 40 pollicetur) ad omnem, quæ concipi poteſt, magnificentiam exſtructi, ad Card. de Aragona A. 1587 data, & ſeptemdecim capitibus plenam illius ideam complexa. Tertium occupat locum *Franciſci Bianchini*, Veronenſis, Benedicti XIII & qui illum anteceſſerunt, Pontificum duorum Camerarii, *Spiegazione delle Scolture contenute nelle LXXII Tauole di marmo, e baſſi rilievi collocati nel baſamento eſteriore del palazzo di Urbino*. Latino primum idiomate concepta fuit hæc anaglyphorum marmoreorum deſcriptio, plurium machinarum bellicarum ſive antiquioris ſive recentioris ævi, aliorumque id genus inſtrumentorum imagines exhibentium, ſed Collectoris hujus ſyntagmatis precibus in Italicum ſermonem ab ipſo autore translata eſt. Varia heic, quæ & antiquitatibus lucem commodent eximiam, & Architecturæ civilis ac militaris æſtimatoribus jucunda & utilia ſint obſervatu, reperias licet. Acceſſit denique ejusdem Bianchini *Notizie e Pruove della Corografia del Ducato di Urbino, e della Longitudine e Latitudine Geografica della città medeſima*, &c. ſpecimen Geographiæ Italiæ, quam pridem is meditatur, abſolutioris elegantiſſimum. In eo determinat altitudinem poli Urbinatis ope gnomonis palmorum Roman. 151 unc. $4\frac{48}{86}$ ex obſervationibus ſolaribus 43° 48′ 32″ ex Lucida Lyræ 43 48 34; ut intra 2″ de latitudine conſtet. Longitudinem ex angulis poſitionum ad meridianum Urbinatem captis, & ſuo tempore cum omnibus huc pertinentibus prodituris, elicit talem, ut Romano $6\frac{1}{4}$ mill. Italicis orientalior ſit, cujus poſitionem alibi declarabit; deinde ex obſervationibus Eclipſium Lunæ & Satellitum Jovis intra 50′ temp. verſus orientem a Romano diſtantiam Urbinatis confirmat.

RELAZIONE DELLA STATUA EQUESTRE di Carlo Magno.

Digitized by Google

h. e.

RELATIO DE STATUA EQUESTRI CAROLO M. in porticu Vaticani posita; accedunt carmina quædam Etrusca.

Senis, apud Franciscum Quinza, 1725, fol.

Plag. 12, cum figura statuæ æneæ.

POsuerat Alexander VII P. M. glorioſæ Conſtantini M. Imperatoris memoriæ ſtatuam marmoream, eandemque in porticu templi Vaticani ad dextrum latus collocari juſſerat. Hinc Clemens XI, uti erat in hujus generis delitias animo propenſiſſimo, ſociam Imperatoris imagini ad lævam portæ partem Caroli M. ſtatuam equeſtrem poni voluit, ſculptorique artis ſuæ callentiſſimo Auguſtino Cornacchini illius effingendæ provinciam demandavit. Perfecta autem illa demum eſt anno MDCCXXV ſub Benedicto XIII & hac epigraphe: p. 2.

CAROLO MAGNO
ECCLESIÆ ROMANÆ VINDICI
ANNO IUB. M. DCC. XXV.

characteribus æneis deauratis inſignita. Nummus etiam cuſus eſt hanc in rem, ex omni metallorum genere, cujus altera facies Benedicti Pontificis imaginem, altera ſtatuæ typum refert. Summa hæc eſt relationis, vix ſex paginas implentis. Addita vero ſunt a typographo variorum Academiarum Italiæ ſociorum epigrammata quadraginta, Pontificum partim, Clementis & Benedicti, partim *Violantæ Beatricis* Hetruriæ Principis, quæ prima ſcilicet ſtatuam hanc perfectam & abſolutam conſpexit, honoribus atque laudibus, Italæ gentis more dicata; quæ & ab autorum ingenio & typorum nitore atque elegantia lectoribus ſe commendant.

PUBLII OVIDII NASONIS OPERA OMNIA, cum integris JAC. MICYLLI, HERCULIS CIOFANI & DAN. HEINSII Notis, & NIC. HEINSII curis

Digitized by Google

curis secundis, & aliorum in singulas Partes, partim integris, partim excerptis, Adnotationibus, cura & studio PETRI BURMANNI, qui & suas in omne opus notas adjecit.

Volumina IV.

Amstelodami, apud Wetstenios & Waesbergios, 1727, 4. Alphab. 23.

TAnta fuit apud meliorem partem eruditorum visendi *Ovidii Burmanniani* exspectatio, ut solo nuncio, tandem aliquando hoc opus claustra, quibus tam diu coercitum est, perrupisse, lætitiam communem & publicas gratulationes nos excitaturos esse confidamus. Non opus est addere, satisfactum esse tantæ exspectationi. Qui enim Burmannum norunt, quique in aliis ejusdem monumentis viderunt, quam sæpe ad has in Ovidium adnotationes lectorem remittat, erudita omnia & elaborata non possunt non animo & opinione præcipere. Inanissima illa obtrectatorum natio, qui nihil, nisi quod ipsi fecerunt, rectum putant, quorumque mens nugis, aut invidia obsessa, tenebrisque oppleta veram litterarum majestatem non recipit, adspiciat, &, nisi plane periit pudor, erubescat. Gaudeant amici, & litterarum cultores, arripiant thesaurum, in quo pleræque omnes elegantioris litteraturæ observationes, & quidquid in secretiori doctrina est admirabile, non tam reconditum, quam diligentia Celeb. Burmanni communi usui est expositum. Batavi singulatim colant ac observent venerandum hoc caput, quod solum fere, cum duobus aut tribus aliis, & dignitatem litterarum, & gloriam, qua olim iste terrarum tractus ad sidera sese extulit, tuetur. Sed & nos familiarem lætandi causam habemus. Non pauci enim, qui adhuc inde ad nos perlati sunt libri per quorundam non optimæ notæ pædagogorum, pæne dixerim, ineptias adeo corrupti fuerunt, ut Hercules tertium decimum laborem sibi venisse putare potuisset, si ex eorum adnotatiunculis aliquid dignum hac charta & lectoris patientia in medium proferendum esset. In hoc vero Ovidio tot egregia singulis paginis nobis occurrunt, ut nullo negotio, nulloque habito selectu, plu-

Digitized by Google

plurimas obſervationes, emendationes, illuſtrationes lectori afferre poſſemus, quibus de opera ab Cel. Burmanno optime collocata convincatur. Verum res poſtulat, ut per partes enumeremus, quid nova hæc editio contineat: deinde pauca eruditionis Burmannianæ ſpecimina dabimus: tandem, quid lector in hoc opere, ſine ulla doctiſſimi editoris culpa, deſiderare poſſit, ſubjungemus. Primum quidem in univerſum opus habemus integras notas *Jacobi Micylli*, *Herculis Ciofani*, *Dan.* & *Nicolai Heinſiorum*. Et Micylli quidem adnotationum in ſolam Ibin excerpta, ob nimiam Commentatorum copiam, in reliqua opera integræ, ut diximus, exhibentur: Nicolai autem Heinſii ex curis ejus ſecundis minimum tertia parte auctiores apparent. Deprehendet autem lector, virum illuſtrem hæc obſervationum augmenta non modo ex vetuſtioribus, ſed etiam recentioris ævi ſcriptoribus, v. gr. Gunthero, aliisque depromſiſſe, &, qui mos ejus erat, ſæpe membranarum, non editionum lectiones repræſentaſſe beneque multos autores obiter emendaſſe. Ex aliorum autem commentariis acceſſere ad *Epiſtolas Heroidum* Jo. Baptiſtæ Egnatii adnotationes; ad *libros Amorum* & ad *Medicamina Faciei* ſelectæ ex commentario Dominici Marii Nigrini; ad *Halieuticon* Conradi Geſneri Scholia, qui hoc poema illuſtravit in libellis tribus novis de piſcibus & aquatilibus, ſive in progymnaſmatibus in hiſtoriam aquaticûm; adduntur etiam, quæ Janus Vlitius in Venatione novantiqua ad hoc ſcriptum attulerat. In *Epicedion Druſi Cæſaris* non omiſſa ſunt, quæ Pithœus, Scaliger & Lindenbrogius notarunt. *Nux Elegia*, præter alias, Georgii Fabricii notis illuſtratur; ſed *Sabini Epiſtolæ* nullo novo augmento, nec reperiebantur digna, honoratæ ſunt. Hæc de primo Tomo. Tomus ſecundus complectitur libros *Metamorphoſeon*, illique, præter communes illas obſervationes, Jacobi Conſtantii Fanenſis & Henr. Lor. Glareani integras notas, ſelectas autem Raphaelis Regii, Pontani aliorumque additas habent. Deinde non modo *Series Compendioſa Metamorphoſeon* ex Guilielmi Canteri novis lectionibus, quam & in Heinſiana editione legimus, præmittitur; ſed etiam ſingulis Fabulis *Argumenta Lactantii*, notis Munckeri & aliis quibusdam illuſtrata, præfixa ſunt: & fini in-

tegræ *Jo. Guilielmi Capoferrei Animadversiones* adjiciuntur. In tertio Tomo ad libros *Fastorum* non magnam rationem habuit Cl. Editor Fanensis & P. Marsi, sed integram Car. Neapolis Anaptyxin ceteris observationibus inseruit. Ad libros *Tristium* nihil singulare ceteris observationibus est adjectum: sed ad libros *Epistolarum ex Ponto* accessisse videmus quasdam observationes Georgii Fabricii, & Autoris Electorum Etonensium, qui selecta quædam Ovidii poemata, in usum Scholæ Etonensis in Anglia, eruditis adnotationibus illustravit. Et cum hæ curæ paullo serius in manus Celeb. Editoris pervenerint, his quidem Epistolis statim subjungi potuerunt, reliquæ vero in Addenda conjectæ sunt. In quarto Tomo primo occurrit *Ibis*, cui multorum aliorum notæ, & integer commentarius Dionysii Salvagnii Boessii subjungitur. Sequuntur pauca quædam fragmenta Ovidii: deinde *Appendix*, in qua primum *Vita Ovidii* a variis autoribus conscripta legitur, sed omnium optime per *Joannem Masson* ordine Chronologico digesta: cui subnectitur ejusdem Massonii *Dissertatio de antiquo Veidii Pollionis Nummo*, quem viri docti Ovidio Nasoni adscripserant. Mox excipiunt *Dedicationes* & *Præfationes* eruditorum, qui Nasonem ediderunt, & *Testimonia* atque *Judicia* veterum. Postea Addenda & Emendanda locum habent. Agmen claudunt Indices, tam rerum in adnotationibus expositarum autorumque ibidem emendatorum aut vindicatorum, quam omnium, aut potissimarum locutionum Ovidii, quem postremum *H. Dreux* confecit, & longe meliorem illo a Maittairio confecto judicat Celeb. Burmannus. De opera Celeb. Editoris hoc testamur, quod non modo omnia ista eleganter disponi & ordinari curaverit, sed etiam, præter memoratas observationes, passim *Naugerii*, *Merulæ*, *Bersmanni* aliorumque, & inedita adhuc *Jani Douzæ* & *Petri Francii* notas subjecerit. Deinde judicium suum de his omnibus interposuit, neque tantum de illis, qui ex instituto in Ovidium scripserunt, sed etiam qui obiter in aliis autoribus illustrandis, aut aliud agendo Nasonem tentarunt, citarunt aut illustrarunt. Quo loco omittere non debemus, illa etiam, quæ in his Actis A. 1717 & alibi in Ovidio tentaverunt viri docti, probe ab Celeb. Editore expensa & docte plerumque con-

confutata esse. In contextu Poetæ secutus est quidem editionem Heinsianam A. 1668, sed ita secutus est, ut libere ab Heinsio recedat, veteremque lectionem præferat, ubicumque ille nimia novandi libidine abstractus est. In notis ipsis pluribus sæpe exemplis, pro diffusa sua eruditione, rationem reddit lectionis suæ, dubia confirmat, obscura illustrat, aut conjecturas suas de locis dubie sanis profert, aut etiam obiter, quod in aliis suis operibus paullo rarius fecit, varios autores emendat, atque adeo in omnem partem officio boni Critici satisfecit. Sic ad 1 statim Epist. Heroid. v. 3 pro vulgato:

Troja jacet certe *Danais invisa puellis*,

ex sola conjectura melius putat, si legatur:

Troja jacet per te *Danais i. p.*

& v. 9 ex duobus MSS.

— — Spatiosas *follere* noctes,

pro *spatiosam noctem*, moxque ad v. 24 demonstrat, quando Poetæ singulari numero, pro plurali, utantur. Deinde ad v. 25 ritum, quo ob felicem reditum & victoriam ubique altaria disponebant & diis sacrificabant, illustrat. Ad v. 28 de *fatis majoribus* & *minoribus*, de *fatis victis* & *victricibus* erudite & copiose egit. Ad v. 41 repetitionem illam *nimium nimiumque oblite* illustrat, & v. 42, melius Heinsio, *tangere castra* interpretatur. V. 75 elegantem provocabuli *qui* usum cum aliis agnoscit, & illustrat. V. 86, ubi bene de verbo *frangere*, mallet Criticus:

— *& vires temperat* inde *suas*,

Vulgo: *ipse suas*; Heinsius: *ira suas*; Francius:

— *& voces temperat ipse suas.*

V. 104 *curam* accipit, pro eo, qui curam gerit, & v. 111, *Est mihi, fitque*, illud *fitque* explicat *fitque diu*. Ad v. 114 de verbo *sustinere* proba habet. Hæc & plura ad unam eamque breviorem Epistolam. Similiter se gessit in reliquis. Lib. I, Amor. Eleg. III v. 8 legit:

— si *nostri sanguinis autor eques*,

ubi male Heinsius ediderat: nec *nostri s. autor eques*. Ovidius enim ex equestri stirpe erat. Ad lib. II Amor. II v. 29 ostendit, quid sit *versare domum*, cum Heinsius frigidiuscule, *servatque*

domum, pro *versatque* reponere tentasset. Ad lib. II Art. Amat. v. 81 observationem Heinsii, quod sæpe verbum plurale præmittatur, cui subjungantur duo nomina singularia, insigniter auxit. In Remed. Amor. v. 593 verbum *referre* vindicat. In Elegiam de morte Drusi per imperitiam nuperi Editoris plures egregiæ observationes subnatæ sunt Celeb. Burmanno, quæ illis, qui genuinum verborum sensum amant, & ad interiora penetrare cupiunt, non poterunt non esse gratissimæ. Sed neque aliis locis Clerici peccata impunita omisit, ut ad lib. II Trist. v. 507; Remed. Amor. v. 383, & alibi. Ad Metamorph. lib. II, v. 220, cum in uno MS. reperisset:

Ardet in immensum geminatis viribus *Aetne*,

pro vulgato: *ignibus Ætna*, elegantius illud τῷ πάνυ visum, quam quod ab librario proficisceretur, quia apud Ovidium & de Ætna, & de igne *vires* sæpius dicuntur. Ad lib. VII Metam. v. 90 recte Regium reprehendit, qui *summissa voce* acceperat pro *suppressa*, ostenditque *summissa* esse hic supplici: versu autem 129 *effecta*, pro *perfecta*, probe tuetur. Sed finis non esset, si animo nostro obsequi vellemus, & eas in medium ex Burmanni observationibus proferre, quæ eruditionis ejus singularis sunt egregia specimina. Pauca sufficiant, eaque, uti diximus, sine delectu ex tanto thesauro descripta. Restat, ut de his, quæ lector in hac editione desiderare posset, quædam dicamus, quæ vero omnia illis, quorum sumtibus liber exscriptus est, tribuenda esse, res ipsa docet. Primum enim eorum rixis, & deinde voluntate, permotus brevissimam tantummodo Præfationem præmisit Celeb. Editor, cum longissimam haberet paratam, quam vero isti homines publici juris fieri noluerunt, quia in se quædam durius viderent dicta. Et qui ingenium Burmanni norunt, aut Præfationem ejus eruditissimam in Valerium Flaccum legerunt, ii profecto hunc defectum ægerrimo animo ferent, si inde conjecturam capere volent. Ita sane multi lectores, ut alia taceamus, ignorabunt, quos MSS. Codices ipse Burmannus contulerit, & quid de earum fide & ætate sit statuendum: ignorabunt etiam multa de Hubertino, Aarone Battaleo aliisque autoribus, quorum notæ & emendationes passim proferuntur. Deinde nec typis, nec char-

chartæ ea cura eſt adhibita, quam olim Batavi in libris ſuis deſiderari non patiebantur; præſertim Tomis poſterioribus. Sed, quod vix timere quisquam potuiſſet, operarum ſphalmata tanto numero occurrunt, ut non modo ſenſum ridicule ſæpe pervertant, ſed tædium legentibus & odium ereent. Pædagogus enim Amſtelodamenſis, cui operarum emendatio permiſſa fuit, tam ſomnolenter & ſtupide officio ſuo functus eſt, ut Celeb. Editor ne monere quidem debuiſſet, alius hanc provinciam fuiſſe & Amſtelædami opus excuſum eſſe, cum & tirones hoc facile deprehenſuri ſint. Ea fortaſſe cauſa fuit, cur Burmannus ſecundas curas, & quæ alia in Præfatione monenda fuerint, occaſione magis favente, ſeſe cum eruditis communicaturum promiſerit. Fatetur etiam, de quibusdam locis ſeſe nunc aliter cenſere: quamobrem ea, quæ dubia nobis viſa ſunt, memorare merito ſuperſedimus. Sufficit, Celeb. Burmannum vel ſic monumentum exſtruxiſſe ære perennius, & de re litteraria optime eſſe promeritum. Nos longum & tædii plenum laborem ipſi exantlatum gratulamur, exſpectantes interim avide non modo quæ de Ovidio promiſit, ſed & Phædrum, Catalecta Pithœi, Claudianum, hunc quidem curis tertiis Heinſii, omnes novis ipſius ornatos, quosque partim affectos habere Virum diligentiſſimum, fama ad nos pertulit.

THE WORKS OF WALTER MOYLE.

h. e.

GUALTERI MOYLII, BAKA-CORNUBIENSIS, Armigeri, Opera poſthuma.

Volumina II.

Londini, apud J. Darby, A. Bettesworth, &c. 1726, 8.

Alph. 2 pl. 7.

QUod Lucianus in Hæreſibus de Phidia ſtatuario narrat, eum inſpecto leonis duntaxat ungue, quantus eſſet totus leo, perpendiſſe, totumque ex indicio unguis effinxiſſe; idem facile continget æquo ingeniorum æſtimatori, quicunque hæc Moy-

lii opera perluſtraverit. Pauca ex ſunt & miſcellanea; ſed quæ Autorem non minore animi virtute, quam vegeto ingenio & acri judicio præditum, tum plurimarum rerum ſcientia & varia lectione ornatum produnt. Vir probus optimusque civis, antiquitatum tam Græcarum quam Romanarum maxime peritus, tum etiam artis Criticæ, Hiſtoriæ, Chronologiæ, rei numismaticæ, Politices, Phyſices & Botanices gnariſſimus ubivis Moylius apparet, ut merito doleamus, hoc reipublicæ literariæ lumen in ipſa meridie ætatis, cum vix annum 49 impleſſet, d. 9 Junii 1721 occidiſſe. Sed opus, quod præ manibus habemus, recenſere aggrediamur.

In *Volumine I*, poſt epiſtolam dedicatoriam, quæ Joſepho Moylio, Autoris fratri, ab Editore, *Thoma Sergeant*, inſcripta eſt, poſtque tabulam contentorum utriusque Voluminis, conſpicitur elegans Diſcurſus politicus, *de Imperio Romano*; quo eruditionis & civilis prudentiæ ſpecimine Autor imprimis cauſas internas, cur Imperium Romanum, a ſtatu Monarchico limitato in Ariſtocratiam, ab hac in gubernationem popularem, & hinc in tyrannidem delabi oportuerit, inveſtigat & demonſtrat. Sequitur Autoris pia ac morata *Oratio*, qua glorioſiſſimæ quondam Annæ Reginæ de excitanda virtute, ſupprimendis vero vitiis, impietate & malis moribus, *Proclamationem*, ſummis judicibus juratis (*the Grand-Jury*) Leſcardiæ, A. 1706 aperuit & commendavit. Porro continentur hoc Volumine ſedecim Epiſtolæ varii argumenti, ad Guilielmum Musgravium a Moylio datæ, quarum *prima* & *ſecunda* inſcriptionem quandam Balneis (*at the Bath*) inventam, quæ *Julii Vitalis Fabricienſis* cujusdam epitaphium eſt, explicat & a mendis lapidicidæ reſtituit. *Tertia* & *quarta* Cippum in Cornubia, prope oppidum *Fowey*, in medio agro ſtantem, cum hac inſcriptione: *Ceruſius hic jacet Cunomori filius*, graphice deſcribit. Epiſtola *quinta*, cum duabus ſequentibus, columnam ſepulcralem in parochia Maddernenſi humi jacentem, cui hæc verba inſculpta ſunt: RIOLOBRANCVNOVAL-FIL-depingit. *Octava* maniam illam epidemicam, circa A. 1713, per ſeditioſas *Sacheverelii* prædicationes in Angliam invectam, cum morbo Abderitarum, cujus Lucianus

memi-

meminit in exordio Regularum scribendi historiam, & cum possessione dæmonica, quæ omnem populum Ægypti quondam exagitavit, si Victori Tunetensi fides habenda, facete comparat. In epistola *nona* & *decima* lis erudita Musgravium inter & Cuperum orta, *de materia Aquilarum Romanarum*, an scilicet ex solido auro vel argento conflatæ, an vero his metallis tantum obductæ fuerint, expenditur: & quidem in epistola nona Autor noster contra Cuperum demonstrat, vocabulum *aureus* non semper apud antiquos scriptores significare rem quandam ex auro puto puro confectam, eumque in finem adducit distichon *Ovidii* de arte amandi l. 3:

Aurea quæ pendent ornato signa theatro,
Inspice quam tenuis bracteа ligna tegat.

In decima autem epistola non tam minutas Aquilas, ut intra baltei latebras a signifero geri potuerint, ceu *Florus* lib. 4 c. 12 referre videtur, sed ingenti mole conspicuas fuisse, ex scriptis nummisque veterum docte evincit. Huic epistolæ adjunguntur notæ quædam in *Getam Britannicum* Musgravii, qui hanc dissertationem, priusquam in publicum ederet, cum Moylio communicaverat. Eædem notæ continuantur per epistolam *undecimam*, ubi statuas illustrium virorum, licet publica autoritate destrui jussas, non raro tamen servatas & restauratas esse, exemplis Saturnini, Cassii, Bruti, Pompeji, Syllæ, Neronis aliorumque probatur. Duæ epistolæ sequentes, *duodecima* scilicet & *decima tertia*, iterum quasdam inscriptiones antiquas in Cornwallia obvias repræsentant. Epistola *decima quarta*, veneratione & affectu in GEORGIUM Regum optimum plena, de rebellione Prestonienſi agit, quam A. 1715 Jacobitæ excitaverant. *Decima quinta* in Musgravii *Belgium Britannicum*, *ultima* vero in Haymii *Thesaurum Britannicum* sive collectionem numismatum veterum, Britanniam concernentium, observationes exhibent, quæ de Autoris notitia haud vulgari antiquitatum reique numismaticæ abunde testantur. Sequitur in eodem Volumine Dissertatio epistolica ad Dn. K—— *de vera ætate Philopatridos*, Dialogi, vulgo Luciano attributi, quem nec Luciani esse, nec sub Neronis, nec Trajani, nec Antonini, nec Severi, sed sub Diocletia-

cletiani imperio, & quidem anno Christi 302 conscriptum, contra Marcilium, Micyllum, Bullium & Dodwellum docte, & nisi omnia nos fallunt, solide Autor comprobat. Juncta est huic dis-
p. 312. sertationi alia Dodwelli de eodem argumento, sententiæ quidem diversæ, dum hunc Dialogum sub Gallieno A. C. 261 compositum esse statuit, eruditione autem & profundis meditationibus Moyliana minime inferior. Sed & hanc Noster modeste
367. examinat, & solita eruditione refutat. Corollidis loco huic volumini primo additur fasciculus Epistolarum ad familiares, quibus diversa argumenta tractantur, præsertim ad historiam naturalem spectantia, e. g. de Aurora boreali, de Meteoro quodam insueto, quod M. Mart. 1718 in aere visum & auditum est, de ave quadam marina, vulgo *Petrel* vocata, de nonnullis avibus & plantis rarioribus, quæ in Anglia, præsertim vero in Cornwalliæ provincia, inveniuntur. Tandem, ne dubitemus, quin Autor noster in historiæ Ecclesiasticæ adyta quoque penetraverit, elegantissima ejus Epistola ad Neylorium, *de origine Fanorum vel templorum inter Christianos*, suadet. Atque hæc de Volumine primo sufficiant.

Volumine II duo tantum Tractatus continentur, quorum alter animadversiones quasdam in *Humphridi Prideaux Connexionem V. & N. Testamenti* exhibet, alter de *Legione fulminatrice* agit. Prior sex epistolis Autoris & quatuor Pridæi (liceat ita nomen inflectere) responsionibus conficitur. Pridæus Part. I L. I, *omne rerum commercium*, inquit, *quod regiones mundi occidentales, ab eo tempore* (quo Ptolemæi prævalebant in Ægypto) *cum Persia, India & Arabia, cumque oris occidentalibus Africæ, habebant, per mare rubrum & os Nili unice gerebatur.* Huic sen-
3. tentiæ Moylius in Epistola prima contradicit, non tantum quod Strabo, a Pridæo citatus, addit: ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, sed quia Appianus, Marcellinus, Plinius & Tacitus contrarium quoque referunt. Verum Pridæus se *de commercio maritimo* solum, non de terrestri, loqui respondet. In Epistola secunda ea, quæ Pridæus P. I L. 4 *de Zoroastre* narrat, Moylius impugnare aggreditur, illumque, vel diu ante regnum Darii Histaspis vixisse, vel duos Zoroastres fuisse, tanto ratiocinum & auctoritatum cumulo demon-

monſtrat, ut Pridæus, poſtquam diu repugnaverat, tandem ſe in Autoris noſtri ſententiam non ire, ſed rapi, jamque credere fateatur cum Plinio Lib. XXX C. I, duos fuiſſe Zoroaſtres, alterum fundatorem ſectæ Magicæ, reformatorem alterum, hunc que ultimum eſſe Perſarum *Zerdusht*, & tempore Darii Hyſtaspis floruiſſe. Inter multa alia Pridæus P. I Lib. V in *Joſepho* & hoc reprehendit, quod Artaxerxem Longimanum pro penultimo Perſarum Rege habuerit, qua occaſione & reprobat emendationem Iſaaci Voſſii, qui in Joſephi Antiqu. Lib. XI C. VII pro: τῷ λαῷ Ἀρταξέρξῃ, legendum eſſe putat: τῷ ἄλλῳ Ἀρταξέρξῃ. Moylius vero in *Epiſtola* hujus tractatus *tertia*, ſepoſita p. 22. Voſſii lectione, locum Joſephi nihilominus mendoſum, & στρατηγὸς τῷ λαῷ Ἀρταξέρξῃ, non Græcam, ſed barbaram phraſin, & Joſephi elegantia indignam, exiſtimat: legendum ergo credit: Βαγώσης ὁ στρατηγὸς τῷ Ὤχῳ Ἀρταξέρξῃ. *Bagoſes* autem ipſi eſt Bagoas, famigeratiſſimus Artaxerxis Ochi amicus. Hanc correctionem ſibi in mentem veniſſe confitetur, cum in Scaligeri Συναγωγῇ ἱστοριῶν p. 379 legeret: στρατηγὸς τῷ Ἄχῳ &c. quæ lectio, neſcio in quo MSto a Scaligero reperta, ſenſu caret, unius autem literulæ mutatione convertitur in στρατηγὸς τῷ Ὤχῳ. Ad hæc Pridæus nihil reſpondet; fortaſſe, quia in *Connex. V. & N. T. l. c.* jam dixerat, verba Joſephi nec de Mnemone, nec de Ocho Artaxerxe commode poſſe intelligi. In 26. *Epiſt. quarta* Autor celebrem illam narrationem de Alexandri M. *itinere Hieroſolymitano*, quam Pridæus P. I L. VII multa verborum gravitate profert, una cum duplici ſomnio Alexandri & Jadduæ, explodit & inter *ſacras fabulas* numerat. Pridæus quidem 64. Plinii autoritate ſe tueri contendit: at in *Epiſt. ſexta* Moylius 65. fortius adhuc inſiſtit, & neque Plinium adventum Alexandri in urbe Hieroſolyma affirmare, neque Alexandrum in ullam regionem Judææ, ſtricte ſic dictæ, unquam veniſſe, compluribus argumentis probat. Tandem in P. II Connex. L. VII, *edit. prima*, Pridæus dixerat, *Octaviani poſteritatem nunquam imperaſſe*: ſed Moylius, Agrippinam filiam Juliæ, filiæ Auguſti, 76. fuiſſe matrem *Caligulæ* & Agrippinæ, matris *Neronis*, adeoque Caligulam neptis Auguſti filium, Neronem vero neptis ejus ne-

potem fuiſſe monet. Hunc errorem in ſequentibus editionibus
p. 77. correctum eſſe putamus; Pridæus certe in literis ad Moylium, quæ hunc tractatum claudunt, ſenilis capitis ſui vitio ſe erraſſe ingenue fatetur. Sed & in eo erravit optimus ſenex, quod ſe iſtam hiemem pervivere non poſſe, confidenter hic aſſerit, cum tamen tredecim annis poſt adhuc ſuperſtes fuerit. Obiter enim notamus, ex hac Pridæi epiſtola, quam d. 6 Sept. 1711 exaravit, veram ejus ætatem poſſe cognoſci. Namque ſcribit, ſe tunc annum vitæ ſuæ ſeptuageſimum finiiſſe: igitur cum d. 13 Nov. 1724 ex hac vita excederet, 83 annos, 3 menſes, 7 dies natus fuit. Tra-
81. ctatus hujus Voluminis ſecundus, ad Dn. K——, per quem & hic, & ſupra Vol. I p. 285 *Kingium* intelligi, ex Epiſtola quarta Moylii ad Musgravium ſuſpicamur, narrationem illam Euſebii Hiſt. Eccl. V, 5, *de Legione* Marci Antonini Pii, quam in bello contra Quados ſuis precibus tempeſtatem & fulgura in hoſtes concitaſſe, atque hinc *fulmineæ* vel *fulminatricis* nomen retuliſſe perhibent, examinat. Rem totam quinque articulis Autor noſter conficit, quorum argumenta tantum dabimus. Art. I. *In Antonini exercitu non fuiſſe integram Legionem Chriſtianorum, imo vero paucos vel nullos plane Chriſtianos ſub hoc Imperatore militaſſe.* Art. II. *Legionem fulminatricem nomen hoc non accepiſſe ab iſto miraculo.* Art. III. *Antoninum nunquam hoc miraculum precibus Chriſtianorum tribuiſſe.* Art. IV. *Poſt hoc miraculum Antoninum nunquam publicaſſe ullum edictum in favorem Chriſtianorum; ſed potius gravi perſecutione eos vexaſſe.* Art. V. *Liberationem exercitus Romani, quantumlibet veriſſimam, non fuiſſe miraculum.* Singula hæc argumenta doctiſſime ab Autore pertractantur, ſingulis pari eruditione a Kingio reſpondetur, reſponſiones iſtæ a Noſtro discutiuntur, diſcuſſæ a Kingio defenduntur, defenſæ a Moylio denuo impugnantur, ita ut nihil docta hac diſceptatione poſſit eſſe lectu jucundius.

OF THE THUNDERING LEGION.

h. e.

TRACTATUS DE LEGIONE FULMINATRICE,

trice, sive de miraculosa liberatione exercitus Marci Antonini per preces Christianorum; nec non de Alexandro M. summo Pontifici Judæorum obviam eunte; occasione operum Moylii nuperrime editorum conscriptus a GUILIELMO WHISTONO, *M. A. Mathematum quondam in universitate Cantabrigiensi Professore.*

Londini, apud J. Senex, W. Innys J. Osborn &c. 1726, 8. Plag. 8¾.

QUasi non satis de *Legione fulminatrice* Moylium inter & Kingium disputatum esset, post pugnam pugnatam Whistonus quoque in arenam descendit, & clypeo & gladio instructus.

Præmittit scilicet complura testimonia & monumenta veterum ad hanc rem spectantia, scuti 1) Marci Antonini Imperatoris *Epistolam* ad S. P. Q. R. ex Justini Martyris Apologia in fine; 2) *Nummum* eodem anno, quo hoc miraculum contigit cusum, caput Antonini laurea cinctum cum epigraphe: MARCUS. ANTONINUS. AUG. facie altera autem Mercurium, qui dextra calicem, sinistra virgam tenet, repræsentantem, cum lemmate: RELIG. AUG. 3) *Apollinarii* testimonium ex Eusebio & Nicephoro; 4) *Columnam* striatam in honorem Antonini erectam, res gestas hujus Imperatoris, interque eas hoc miraculum referentem; 5) historiam martyrii Apollonii sub Commodo, ex *Euseb. Hist. Eccl. V*, 21; 6) *Tertulliani* testimonium *Apolog.* §. 5, 40 & *ad Sap.* §. 4; 7) *Dionis*, historici, narrationem ex Xiphilini Lib. LXXI; 8) testimonium *Lampridii* in *Heliogab.* §. 9; 9) testimonium *Julii Capitolini* in *vit. Aurel.* §. 24; 10) *Eusebii* testimonium in Chronico ex versione Hieronymi, nec non ejusdem Eusebii testimonium in *Eccl. Hist. V*, 5; 11) *Gregorii Nysseni* testimonium in oratione ad 40 Martyres *Op. Vol. III p. 505, 506*; 12) testimonium *Themistii* in oratione ad Imp. Theodosium *ap. Vales. Not. in loc. Euseb.* 13) *Claudiani* testimonium in *VI Consulat. Honorii*; 14) *Orosii* testimonium Hist. VII, 15; 15) testimonium *Suidæ* in *Arruphis & Julianus*; 16) testimonium *Xiphilini* in *Lib. 71 Dionis*; 17) testimonium *Zonara*,

nara, Annal. in Marc. 13) Denique *Nicephori Callisti* testimonium, *Hist. Eccl. IV*, 12.

Hac testium nube Whistonus, uti credit, satis munitus, historiam secundum genium suum adornat, & pro veritate hujus miraculi, quod plagis Ægypti Exod. IX, 23, 24, ac pluviæ Eliæ, 1 Reg. XVIII, 41. 46 æquiparat, cum Moylio, jam vita defuncto, conflictat. Hac ergo causa, tantis utrinque patronis, usque ad *quadruplicat* deducta, nunc jam licebit judicibus Reip. literariæ competentibus, discessione facta dinumeratisque sententiis, quæ pars major videatur, pronunciare.

Ut vero Alexandrum M. Hierosolymas perveniisse & summum Judæorum Pontificem ibi salutasse probet, eadem fere methodo Autor noster procedit. Primo enim adducit celebratam illam relationem *Josephi Antiq. Lib. XI, 8* suis parenthesibus & interpolationibus ornatam; tum *Origenem* contra Celsum V p. 265; porro *Eusebii Chronicon* secundum versionem Hieronymi; tandem quoque Judæorum Talmud, Josephum *Ben Gorion* & recentiores *Rabbinos* in partes suas vocat, neque Alexandri M. vitæ scriptores, *Curtium, Diodorum, Arrianum* & *Plutarchum*, qui hujus rei nullam mentionem faciunt, adeoque nec contradicunt, prætermittit. Ex hisce testimoniis, tum etiam ex fide Judæorum erga Alexandrum, ex Alexandri clementia versus Judæos, ex more Pontificum Judæorum monstrandi Regibus ethnicis (e. g. Cyro, 2 Chron. XXXVI, 23) vaticinia Scripturæ S. ex more itidem Alexandri Diis peregrinis sacrificandi, tandem etiam ex crudelitate Samaritarum in Andromachum, *Curt. Lib. IV, 8*, conventum Alexandri & Jadduæ verum, nec somnia utriusque ficta esse, concludit, Moyliumque & omnes, qui istam Josephi narrationem *sacris fabulis* annumerant, vel Judæos illius temporis hujusce modi fabulis addictos fuisse ajunt, *stultitiæ, credulitatis* & *enthusiasmi* arguit: quam bilem, per imputationem *Quixotismi*, Moylius Cl. Autori in nares conciviisse videtur. *Vid. Op. Moylii Vol. I p. 371, 374.*

JO. LAUR. MOSHEMII, ABBATIS VALL. Mar.

Digitized by Google

Mar. S. Theol. D. & P. P. Ord. Inſtitutiones Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ N. T.

Francof. & Lipſiæ, ex offic. Meyeriæ, 1726, 8.

Alph. 2.

QUam acri ſtudio noſtra ætate exculta ſit Hiſtoria Eccleſiaſtica, vel ex eo patet, quod integrum magnæ molis opus habemus *Sagittario-Schmidianum*, quo Scriptorum hujus hiſtoriæ rite digeſtus exhibetur catalogus. In hoc vero pelagus cum inconſultum ſit immittere tirones hujus diſciplinæ, omnino rudimenta quædam ipſis proponenda ſunt ac primæ quaſi lineæ, integrumque eſſe debet uniculque ejus profeſſori, eam ſequi methodum, quam ipſe judicaverit optimam. Jure igitur Summe Rev. Autor in *Præf.* contendit, non ſibi verti oportere vitio, quod novam concinnarit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ epitomen. Imo vero ſtudioſa juventus multum ei debere cenſenda eſt, quod ex optimis hujus generis ſcriptoribus diſertiſſimum confecit Breviarium. Nos ea, quæ eruditis etiam cognitu jucunda fore credimus, hinc excerpturi, generatim primo obſervamus, tam nervoſe, argute ac nitide conſcriptam hic in compendio eſſe hiſtoriam eccleſiæ, ut doctiores quoque cum voluptate remenſuri videantur hoc duce campum iſtius hiſtoriæ: prætereaque de hæreſium originibus probabiles afferri conjecturas, de ſcriptoribus cujusque ſeculi eccleſiaſticis plerisque breve addi judicium, denique de ritibus ſacris critice non minus, quam hiſtorice agi. Ut ſingularia nonnulla attingamus argumenta, *p. 33* ſtatuit, narrationem Euſebii de Abgari & Chriſti mutuis literis veram eſſe, illas vero, quas profert Euſebius epiſtolas, eſſe ſuppoſititias. *P. 66 ſq.* dirimit controverſiam inter clariſſimos viros agitatam de jure epiſcopali, cenſens, Apoſtolorum certe quidem tempore Epiſcopos fuiſſe ſuperiores Presbyteris, ſed hinc non ſequi, hoc eſſe juris divini ac perpetui. *P. 74* de diſciplina arcani ita judicat, eam ex prudentiæ lege in ipſis eccleſiæ initiis jam locum habuiſſe, ſed diverſam fuiſſe a tertii ſequentiumque ſeculorum diſciplina arcani, exacta quippe ad normam myſteriorum ethnicorum. *P. 82 ſqq.* ſyſtema exhibet errorum Gnoſticorum, quos

non ex Platonis philoſophia, ſed ex dogmatibus orientalium derivandos cenſet. *P. 110 ſqq.* de legione fulminatrice differens, tandem concludit, ſibi nec negandum videri, miraculoſam fuiſſe hanc pluviam, neque confidenter affirmandum. *P. 309* dubitat de veritate narrationis, quæ perhibet, quosdam in perſecutione Africana ſeculi quinti exciſis linguis locutos eſſe : ac recordamur, nos quoque in his *Actis A. 1714 p. 338 ſq.* eam repudiaſſe. *P. 356* narrat, ſe poſſidere Aprigii Pacenſis, ſeculi ſexti ſcriptoris, MS. commentarium in Apocalypſin, quem periiſſe adhuc creditum eſt. Sed addit, nil bonæ frugis in eo ineſſe, meritoque eum carere luce publica. *P. 470* hiſtoriam de Joanna Papiſſa relinquit in medio.

Ceterum quatuor in Libros diviſit hoc opus Celeb. Autor, *primo* progreſſus ab ortu noſtræ religionis ad Conſtantinum M. *ſecundo* ad Carolum M. *tertio* ad Lutherum. *Quartum*, quippe tironibus maxime neceſſarium, brevi ſubſecuturum eſſe, ſperamus. Ipſe in Præfatione pollicetur, ſe editis acceſſionibus ſuis ad Spanhemii *Introductionem in Hiſt. eccl.* quæ jam ſub prelo eſſe dicuntur, quartum quoque librum illum exhibiturum. Ultimo loco ut methodum Noſtri indicemus, hiſtoriam ſingulorum ſeculorum diſpeſcit in externam & internam, priore loco cum proſpera, tum adverſa eccleſiæ fata perſequens, poſteriore deſcribens primo ſtatum eruditionis, hinc hiſtoriam doctorum, tum hiſtoriam doctrinæ, poſt hiſtoriam hæreſium, denique hiſtoriam rituum. Illud dolemus, tam pulchrum corpus tot tantosque habere nævos typographicos, ut ne Præfationi quidem verus ſubſcriptus ſit annus. Ac vix criticum acumen ſuffecerit ad menda quædam tollenda, ut cum *p. 667* occurrunt *purioritæ*, & *p. 475 Rhetiani.*

PETRI FRIDERICI ARPE, JCTI, FERIÆ æſtivales, ſive de Scriptorum ſuorum hiſtoria Liber ſingularis.

Hamburgi, Impenſis J. C. Kiſneri, 1726, 8.
Alph. 1 pl. 7½.

Cl. Au-

Digitized by Google

CL. Autor, præmissa ad *Præsidium & dulce decus suum* Dedicatione, in qua rationes exponit, quibus permotus de scriptis ipse suis librum edat; ordine recenset libros a se cum editos, tum edendos, variaque inspergit lectu haud injucunda, simul indicans, etiam editos a se libros magnis auctibus amplificatos futura editione comtiores esse prodituros locupletioresque. Omnium primum nomine suo non satis clare expressO A. 1711 Guelferbyti edidit *Epistolarum Decadem sive Brevem delineationem Musei scriptorum de divinatione, majoris operis prodromum*; eodemque anno *Pyrrhonismi historici argumentum*; ac sequenti *Theatrum fati seu notitiam scriptorum de providentia, fortuna, & fato*, Roterod. 1712 Quæ tria scripta non solum Clericus in *Bibliotheca* sua selecta T. XXIV p. 451 sqq. commemoravit, sed eos quoque in his *Actis* A. 1711 p. 236 sq. & A. 1712 p. 526. Hinc A. 1717 edidit librum *de prodigiosis naturæ & artis operibus, Talismanes & amuleta dictis*, quem tamen dolet mendis typographicis turpiter deformatum esse. Summaria suo quæque capiti præfixa hic repetit subinde auctiora. Nos brevissima recensione defuncti sumus eodem anno p. 79 sq. Pari modo deinceps recognoscit modo memoratum *Theatrum fati*: progressus hinc ad ἀνανύμους editam & a nobis non sine ἐπιμέλεια commemoratam A. 1713 p. 173 sq. pro *Jul. Cæs. Vanino Apologiam*; denique producens suum *de Jure Pontificali utriusque Romæ* libellum, itemque librum *de jure laicorum, præcipue Germanorum, in promovendo religionis negotio*. Horum postremorum scriptorum hunc se narrat cepisse fructum, ut in Acad. Kilon. Professor p. 42.
Juris publici & patrii constitueretur. Sed *jam*, inquit, elapso lustro, *urgentibus Academiæ fatis, cum viris optimis, collegis ca-* Conf. p. 45.
rissimis, alia incunda est vitæ ratio. Venimus *P. II* ad libros edendos, inter quos primo loco sistitur *Hierophantes sive de hierologia & hierographia sive variis occulta animi sensa tegendi & detegendi modis*. Apparet ex hujus operis recensione, Cl. Autorem diligenter acturum de fabularum & ænigmatum scriptoribus, de literis hieroglyphicis, de symbolis & ænigmatibus, de notis sive figlis librariorum, de steganographia, similibusque argumentis. Sequitur supplementum operis Naudæani percelebris,

bris, inſcriptum a Cl. noſtro Autore *Apologia pro viris illuſtribus de magia falſo poſtulatis :* quorum hic exhibentur cumulate nomina. Recenſet hinc *Bibliographiam* ſuam *phyſiologicam*, quale opus adhuc deſideravit Reſp. litteraria; itemque duos *Fortuitorum* libros, quorum priore *de rebus ſcitu dignis*, poſteriore *de codicibus MSS. bibliothecæ ſuæ* diſſeret. Scilicet *lib. I cap. I* aget de harmonia philoſophiæ myſticæ, antiquæ & novæ; *Cap. II* de lite & amicitia, firmiſſimo univerſi vinculo; *Cap. III* de illicitis amoris & erotomania; *Cap. IV* de cenſura libidinis in libris, ſtatuis, numiſmatibus & picturis; *Cap. V* de mutatione hominum in beſtias, tam phyſica, quam morali; *Cap. VI* de ſuperſtitione, max mo veritatis impedimento; *Cap. VII* de numero mundorum; *Cap. VIII* de ſomniis vigilantium; *Cap. IX* continebit Sermones convivales; *Cap. X* inſcriptum erit Ariſtarchus literarius; *Cap. XI* aget de bibliothecarum ſacris pignoribus; *Cap. XII* de locuſtis Apocalypticis ſive de calumniatoribus. *Libro ſecundo* ſequentes recenſebuntur MSS. libri: 1 Fr. Benzonis de rebus ad hiſtoriam Henrici IV Imp. pertinentibus libri ſeptem: 2 Trithemii Clavis omnium rerum abſtruſarum: 3 Pelagii Eremitæ libri duo pro anacriſeos operatione cum ſancto numine, & libri tres de prænotionibus hypnoticis: 4 Abrahami Wormatienſis, Judæi, liber de vero veteris Magiæ uſu: 5 Theophr. Paracelſi libri novem Magiæ: 6 Jo. Bodini Colloquium de rerum ſublimium arcanis: 7 Godofredi Vallæ liber de arte nihil credendi: 8 Frid. Wilh. Stoſſii Apologia pro ſua Concordia rationis & fidei: 9 Corn. Duplicii Scepperi Epiſtolæ: 10 Olai Rudbeckii Apologia Atlantices: 11 Hamiltonii liber in aureas ſententias Horatii: 12 Borboniana. Hactenus Pars hujus operis ſecunda. *Tertia* Cl. Autor recenſet ſuum *Pyrrhonem*, hoc eſt, opus *de hiſtoricorum veterum dubia & incerta fide* pluribus capitibus, quorum hic argumenta repræſentat copioſe, acturum. Denique *quarta Parte* commemorat Juridica ſua opera edenda. Primum inter ea locum tenet *Hiſtoria Juris Cimbrici*; ſecundum *Inſtitutiones Juris Cimbrici*; tertium *Codex Juris Cimbrici repetitæ prælectionis*, & hic quidem aliquot impleturus Volumina. Primi ex his operis, *Hiſtoriæ* ſcilicet *Juris Cimbrici*, hic ſtatim Compendi-

Digitized by Google

pendium exhibet Cl. Autor ſatis ſucculentum, quippe a p. 197 procedens ad p. 406, adeoque ad finem totius hujus operis. Apparet, Cl. Autorem totum eſſe addictum literis curioſis, adeoque non dubitamus, eos, quos modo promiſit orbi, libros eximio applauſu exceptum iri.

JOHANNIS DANIELIS SCHOEPFLINI, Hiſt. & Eloq. in Acad. Argent. Prof. Publ. de ſacris Galliæ Regum in Orientem expeditionibus Commentatio hiſtorica.

Argentorati, apud J. R. Dulſeckerum, 1726, 4. Plag. 10.

UTriusque ſui muneris ratione habita Cl. Autor & eloquentiæ & hiſtoricæ diligentiæ ſpecimen hic edere conſtituit, idque tam feliciter exſecutus eſt, ut & accuratus & diſertus hiſtoricus jure maximo ſit dicendus. Quatuor capitibus totum Opus abſolvitur, quorum *primo*, præmiſſa cauſa ſacrorum bellorum, quæ *cruciatas expeditiones* vocant, Godefridi Bullionii res geſtas perſequitur; *altero* Ludovici VII Galliæ Regis expeditionem ad tuendum novum regnum Hieroſolymitanum ſuſceptam deſcribit; *tertio* Philippi Auguſti Regis facta in Oriente & fata exponit; *quarto* Ludovici Sancti hiſtoriæ eam partem, quæ huc pertinet, exhibet. Singula, quæ narrat, in imo cujusque paginæ margine affirmat præcipuorum ſcriptorum teſtimoniis. Noſtrum eſt, omiſſis notioribus excerpere ex nitido hoc libello ſingularia. *Cap. I* obſervat, cum ſacræ illius expeditionis primum conſilium captum fuerit in regno Francorum, eumque ducum militumque maxima pars Franci eſſent, hinc eveniſſe, ut Chriſtiani Europæi omnes in Oriente vocati ſint & adhuc vocentur *Franci*. Judicat etiam, Latinos ſcriptores in deſcribendo Imp. Alexio affectui ſuo indulgere: non eſſe quidem eum prorſus abſolvendum a perfidiæ crimine, ſed nec reticenda eſſe, quæ Alexium vehementer irritarint, cruciatorum militum flagitia. *Pag. 13* eorum refellit errorem, qui Godefridum Bullionium perhibent præfuiſſe toti cruciatorum exercitui & ſum-

mum geſſiſſe imperium. *P. 15* ſuſpicatur, fabulam de lancea tum reperta, qua Chriſti latus apertum, ideo effictam fuiſſe, ut labantes militum animi revocarentur ad fortitudinem: nec male pium hunc dolum inventoribus ſucceſſiſſe. *C. II p. 40 ſq.* pro falſa fabula habet, quod recentiores hiſtorici communiter tradunt de Ludovico VII Rege, fuiſſe ſcilicet illum in reditu in patriam a Græcis in mari captum, ac paulo poſt a Siciliæ Regis legato, illud mare forte pervagante, liberatum: ſilentibus enim τοῖς συγχρόνοις a ſolo id referri Roberto Montenſi, Sigeberti continuatore, integro fere poſt ſeculo. *Cap. III p. 47* Friderlcum Barbaroſſam ſcribit in quodam Ciliciæ fluvio, in quem lavandi refrigerandique ſui cauſa deſcenderit, vel certe ex morbo inde contracto periiſſe. *P. 53* Saladinum cenſet maximorum heroum numero accenſendum eſſe. *Cap. IV p. 61* ſuſpectus ipſi & fabulis commixtus videtur Tartaricæ gentis in caſtra Chriſti hoc tempore tranſitus, narratus licet a pluribus. Denique *p. 74, 75, 76* rationibus rite ſubductis judicium fert de expeditionibus hiſce cruciatis accuratiſſime collectum, & omnia eorum puncta laturum, qui horum hiſtoriam temporum cognitam habent ac perſpectam.

JO. ALBERTI FABRICII, SS. THEOL. D. ET Prof. Publ. Delectus argumentorum & Syllabus Scriptorum, qui veritatem Religionis Chriſtianæ lucubrationibus ſuis aſſeruerunt: præmiſſa ſunt EUSEBII CÆSARIENSIS Prooemium & Capita priora Demonſtrationis Evangelicæ, hactenus deſiderata.

Hamburgi, ſumtu Theod. Chriſtoph. Felginer, 1725, 4. Alph. 4 pl. 6.

POſtquam multis modis de litteris immortaliter meritus eſt Celeb. *Fabricius*, rurſus novo eoque duplici eadem opera beneficio, non literatum modo, verum Chriſtianum in univerſum orbem, ſibi obſtrinxit. Nam & per tot ſecula deſiderata Euſebianæ demonſtrationis Capita priora cum Proœmio & paucis in fine operis, primus tandem e Celſiſſimi Valachiæ Principis

cipis MAUROCORDATI Bibliotheca, obstetricantibus *Joanne Scarlati*, Archicamerario & cognato ejusdem, & *Stephano Berglero*, Græce pariter & Latine protraxit in lucem; & Scriptores pari opera plurimos qui religionis Christianæ veritatem contra Atheos, Epicureos, Deistas seu Naturalistas, Idololatras, Judæos & Muhammedanos (Socinianos & hujus furfuris alios parcius tangit) asseruerunt, eorumque argumenta, eximio eruditionis apparatu collegit, ea paulo fusius deducens, quorum primas lineas duxerat Bibl. Græcæ Volumine VII, adeo ut nostrum opus Tomi illius vel Commentarius vel Supplementum dici queat. Et ut *Eusebium* lectoribus relinquamus; L omnino Capitibus argumentum suum complexus est Cl. *Fabricius*, quæ vel strictim commemorare lubet. Ubi eos recenset *C. I*, qui de scriptoribus pro veritate Christiana commentati sunt, commendat *Houttevillium*, cujus Dissert. Hist. Critica Gallice prodiit Paris. 1722, 4, & imprimis *Henricum Ludolphum Benthemium*, eximiis scriptis inclytum, sed A. 1723 d. 9 Jul. vivis ereptum, qui de simili materia librum vernaculum reliquit, nuperrime, ut hic spes facta, editum. *C. II*, quo de Patribus, qui hanc rem aggressi sunt, agit, inter alia nuntiat, editionis *Montfauconii* operum Chrysostomi jam quatuor Tomos, I & II 1718, III & IV 1721, Parisiis prodiisse. Subjungit & de scriptis Græcis Judæorum & Ethnicorum, veritati Christianæ suffragantibus, appendices, ut & *C. III* & *IV* scripta Græca & Latina deperdita. Quibus succedunt *C. V* Scriptores Latini veteres, qui ad nostram ætatem pervenerunt, iisque docte percensitis & nonnullis inde in rem suam delibatis, Autor ad argumenta contra Atheos convertitur, & commendatis iis, qui maxime necessarium religionis studium docuerunt; *C. VI* argumentum producit ab eo quod est tutius; *C. VII* a rerum natura, motu & finibus, quæ autorem optimum demonstrant, adductis scriptoribus, qui eo ex professo usi sunt; *C. VIII*, quod admodum lectu dignum, a consensu omnium gentium, & quod athei theoretici nunquam exstiterint, qua occasione eos produxit, qui veterum gentilium de Deo sententias propositurunt; *C. IX* ab eo, quod sine religione consistere Respublica non possit, additis iis qui contra Machiavellistas

p. 31. 32 *sq.*

93.

de Principe pio &c. scripsere ; *C. X* ab idea Dei Cartesiana, & alia argumenta Metaphysica, de quibus, num sint alicujus ponderis, inter Autores, Nostro memoratos, disputatur; denique *C. XI* argumentum a pugna & inconstantia ipsorum Atheorum petitum, ubi simul, Atheismum neutiquam tolerabiliorem superstitione, probat. Hinc ad Scripturæ assiduam lectionem provocans, *C. XII* Scriptores alios, qui contra Atheos aliquid commentati sunt, ordine Chronologico, quo in lucem prodiere, recenset, *C. XIII* contra Spinosam de mundo æterno, allegatis, qui origines mundi Mosaicas excusserunt, *C. XIV* contra Epicurum, de vita hominis sine religione haud suavi & Epicureis pœnis coercendis, *C. XV* de origine mali & scriptis huc facientibus, Bælianis imprimis, Leibnitianis & Wolfianis, & *C. XVI* de libertate contra fati, Astrologici imprimis, necessitatem & vitæ terminum, autoribus idoneis, & controversiis etiam Jansenii ac Malabranchii memoratis, disputat. *C. XVII* de divina providentia & cur bonis viris mala fiant, disquirit, & inter Scriptores de Julio Cæsare Vanino etiam agit, quemadmodum *C. XVIII* de animorum humanorum immortalitate scriptorum Græcorum & Latinorum veterum, Judæorum item & Christianorum recentiorum magnam nubem producit, quibus accedunt scriptores de origine animæ, contra animorum præexistentiam, contra Metempsychoseos fabulam, & de natura animæ & conjunctione cum corpore. Subjunguntur nonnulla *C. XIX* de divina justitia & pœnis; hinc *C. XX* Theologiæ naturalis scriptores, ut & de cognitione naturali, sive ideis, quas vocant, innatis, *C. XXI* scriptores contra Ethnicos & Idololatras, *C. XXII* contra Naturalistas & Deistas, *C. XXIII* contra Scepticismum, Indifferentismum & Libertinismum, producit, & *C. XXIV* de concordia rationis & fidei conscriptum est. Tum *C. XXV* scriptores de necessitate revelationis, *C. XXVI* de veritate & divina autoritate Scripturæ S. *C. XXVII* de Canone ejus & integritate, *C. XXVIII* de V. T. in Novo allegato ac Prophetiarum sensu, *C. XXIX* de Harmonia S. Scriptorum, *C. XXX* de veritate religionis Christianæ, *C. XXXI* adversus Judæos, vaticinia Prophetarum de Christo detorquentes, *C. XXXII* de testimoniis Ethnicorum religioni naturali, Judaicæ & Christianæ suf-

Digitized by Google

ſuffragantium, *C. XXXIII* de factis veritati fidem facientibus, *C. XXXIV* de felicitate, quam religio Chriſti præſtat hominibus, *C.XXXV* de religionis hujus præ ceteris omnibus excellentia, *C. XXXVI* de cauſis incredulitatis & impietatis, ſpeciatim inter Chriſtianos. Ad calumnias adverſus Chriſtianos & blaſphemias in Chriſtum *C. XXXVII* progreſſus, *C. XXXVIII*, vitam impiam multorum Chriſtianorum & diſſidia non poſſe veritati religionis officere, licet Judæis Ethnicisque ſint ſcandalo, Muhamediſmo portam aperuerint, & jam diu fuerint in mora, quo minus totus, qua patet, orbis Chriſtianus factus ſit, *C.XXXIX*, non indignam rem eſſe Deo, hominem induere, *C. XL*, Chriſtum tempore idoneo natum eſſe, *C. XLI*, ſalutem in Chriſto noſtram pulcherrimum eſſe miſericordiæ, ſapientiæ & juſtitiæ divinæ ſpecimen, *C. XLII*, non iniqua eſſe, quæ a Chriſtianis officia exiguntur, & jus naturale cum præceptis Chriſti probe conſpirare, optimorum Autorum teſtimoniis probat, & *C.XLIII* de Chriſti miraculis, *C.XLIV* de ejus reſurrectione, *C. XLV* de reſurrectione mortuorum, *C.XLVI* de fine mundi & extremo judicio, *C. XLVII* de præmiorum pœnarumque æternitate, *C.XLVIII* de Angelis & Dæmonibus, *C. LXIX* de propagatione Chriſtianiſmi, denique *C. L* de ſcriptoribus contra Mahumedanos diſſerit. Quibus omnibus acceſſit duplex Appendix, 1 de ſalute ſperanda vel non ſperanda gentium a Chriſto alienarum, 2 de gravioribus ſupplicils manentibus Chriſtianos, qui malitioſa impietate ſua conculcare, quo redemti ſunt, ſanguinem & nomen Chriſti blaſphemare ſcelerata vita ſua non dubitant. Habes hic Bibliothecæ Theologicæ ſpecimen exquiſitum, cui præter ſcriptorum titulos, & judicia de illis, paſſim etiam prolixa Autorum loca & propria meditata inſeruit. Optandum vero eſſet, ut adduci ſe patiatur Celeb. Autor, ut integram Bibliothecam Theol. ſimili methodo edat, cui ſcribendæ neminem tanto Viro aptiorem futurum, nobis perſuademus.

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS &c.

h. e.

TRANSACTIONES PHILOSOPHICÆ, IN

quibus referantur molimina, ſtudia & labores Virorum ingenioſorum noſtri temporis in variis orbis partibus. Volum. XXXI, pro annis 1720, 1721.

Londini, apud W. & J. Innys, 1723, 4.

Alph. 1 pl. 13. Tabb. æn 9.

TRansactiones Philoſophicæ, quæ a Secretariis illuſtriſſimæ Societatis Regiæ Londinenſis editæ huc usque fuere, natalem ſuum habuere ante Acta noſtra. Cum A. 1705 Cl. *Lowthorpius* viginti & unum volumina, quæ usque ad annum 1700 prodierant, in compendium miſiſſet & in iis contenta per generalia capita diſpoſuiſſet; tria operis præclari ac utiliſſimi Volumina recenſuimus *Supplem. Tom. IV* p. 250 362, 494, ut conſtaret lectori, quænam in 21 iſtis voluminibus *Tranſactionum Anglicanarum* ſint quærenda. Similiter cum A. 1721 Cl. *Mottius*, opus *Lowthorpianum* continuaturus, duobus Voluminibus in ordinem digeſta comprehenderet, quæ novem voluminibus ab A. 1700 usque 1720 editis continebantur; eadem quoque in *Actis A.* 1723 *p.* 89, 242 enarravimus, ut non minus conſtaret lectori, quænam imprimis in iſtis voluminibus quærere debeat. Quoniam igitur hiſtoria literaria nobis curæ cordique eſt, ad quam haud exiguum momentum conferunt *Tranſactiones Anglicanæ*; ſingula in poſterum Volumina eodem inſtituto commemorare decrevimus, quo Hiſtoriam & Commentarios Academiæ Regiæ Scientiarum perluſtrare hactenus ſuevimus. Initium itaque in præſenti facimus a Volumine trigeſimo primo, propterea quod trigeſimum ultimum eorum fuit, quæ compendio ſuo complexus eſt *Mottius*. Non integra Volumina ſimul in lucem prodeunt; ſed potius partes ſigillatim publici juris fiunt, in volumina colligendæ, quam primum molem conſtituere judicantur. Numerantur partes a prima origine usque ad præſens tempus continuo ordine, atque ideo Volumen trigeſimum primum, quod hic iſtimus, incipit a *Numero* 364.

Numerus hic 364 pro menſibus Januario, Februario, Martio & Aprili A. 1720 datus primo omnium loco exhibet aliquot animadverſiones *Halleji* in *Caſſini* junioris tentamen parallaxin

&

& magnitudinem *Sirii* per observationem determinandi, propositum in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum A.1717, quemadmodum indicavimus in Actis A. 1721 p. 192. *Cassinus* diametrum *Sirii* statuit 5 vel 6 secundorum: *Hallejus* dubitat, quod tanta esse possit, cum *Aldebaran* & *Spica Virginis* in occultatione a Luna facta in instanti disparent & emergant, utut earum diameter supposita observatione *Cassiniana* tanquam vera quatuor circiter secundorum esse debeat, quam ne unius quidem secundi esse aliunde certum sit. Inquirere igitur eum jubet, annon sensibilis magnitudo apparens sit fallacia optica a nimis contracta vitri objectivi apertura profecta. Differentiam declinationis maximam per totum annum *Cassinus* deprehendere sibi visus est sex secundorum, quam radio trium pedum, quo is usus, dirimi haud posse ostendit *Hallejus*, quod subtensa 6 secundorum non sit nisi $\frac{1}{1000}$ unius digiti. Denique ex *Hauksbeji* experimentis coram Societate Regia ineratis ostendit, quod ob variationem densitatis aeris refractio variari possit 7 circiter aut 8 secundis, quæ variatio tota parallaxi 6 secundorum major. Suadet igitur, ut observationem in Lucida Lyræ instituat *Cassinus*. Glandulas externas maxillares & alias salivales una cum insertionibus vasorum lymphaticorum in venas accurate describit *Richardus Hale*, propterea quod Autores illas vel plane omittunt, vel de iisdem veritati minime consentanea tradunt. *Emanuel Timonius*, qui per multos annos *Constantinopoli* Medicinam fecit, de peste *Constantinopolitana* commentatur, quam ad amussim respondere monet pesti *Noviomagensi* annorum 1636 & 1637 a *Diemerbræckio* descriptæ. Carnem porcinam in peste præsentaneum venenum esse, & nil magis ad eam disponere quam animi pathemata, mœrorem præsertim intensum ac terrorem inopinatum. Commendat suffumigia ex baccis juniperi, pice, sulphure diu noctuque continuanda, odoramenta ex aceto, oleum succini naribus illitum, vinum moderate sumtum, hilaritatem animi, bonam victus rationem, pro præservatione: damnat vero phlebotomiam & scarificationem in infectis, quibus prodesse ait vomitoria levia, non fortia, cum purgantia statim enecent. Solam spem superesse in sudore bezoardicis promovendo

vendo & ſummum remedium haberi oleum naphthæ ſeu petroleum albicans ad duas usque drachmas epotum in vehiculo ad libitum. *Philippus Percival* d. 12 Januarii A. 1720 *Dublini* phænomenon quoddam luminoſum obſervavit, auroræ boreali non abſimile. Varias ſucceſſive induit figuras & cum per amplum ſpatium extenderetur, lumen in colores iridis degeneravit; contractum vero rurſus in lumen rediit. *Hallejus* infinitudinem ſphæræ fixarum probat, quia alias ſtellæ in extima ſuperficie in eas, quæ centro ſunt propiores, motu accelerato ruerent, ut tandem omnia corpora mundi totalia coaleſcerent, cum contra in ſpatio infinito ſubſiſtere poſſit æquilibrium fixa qualibet a viribus contrariis attracta. Addit alia, quæ ex hac hypotheſi conſequuntur, quod Sol ſit fixarum una, de numero, ordine & lumine fixarum. *Paulus Dudley* deſcribit modum parandi ſacharum ex ſucco aceris. *Patricius Blair* ſingularem deſcribit caſum, quo juvenis quidam Scotus 15 annos natus a tertia Februarii 1716 usque ad d. 9 Jun. 1719 aliquoties incidit in febrim, omni autem tempore ſive æger, ſive ſanus ab omni prorſus cibo ac potu abſtinuit, nec per omne illud tempus vel alvi fæces depoſuit, vel urinam emiſit. Idem contendit, virtutes plantarum beneficio ſtructuræ externæ detegi poſſe, cum ſimilis ſtructura ſit indicium ejusdem virtutis. Commendat quoque infuſionem in menſtruo conveniente, quemadmodum Senna particulas ſalinas aquæ, jalappa reſinam ſpiritui vino, utraque vero hac ratione vim purgativam menſtruo communicat. Tandem *Colini Mac Laurin* Geometria organica recenſetur, de qua nos diximus in Actis A. 1722 p. 323.

Num. 365 pro menſibus Majo, Junio, Julio & Auguſto A. 1720 *Deverel* chirurgus caſum ſingularem deſcribit, quem pro fractura patellæ communiter falſo haberi contendit. *Wilhelmus Becket* in antiquitatem luis venereæ inquirit, & probat, jam aliquot ſeculis ante in Anglia talem morbum fuiſſe familiarem, quam illa lues in oras Europæas delata fertur. E. gr. ex MSC. *Thomæ Gaſcoigne* adducit hæc inter alia verba: *Novi ego — — qui hæc ſcripſi & collegi, diverſos viros, qui mortui fuerunt ex putrefactione membrorum ſuorum genitalium & corporis ſui; quæ corruptio*

Digitized by Google

ruptio & putrefactio, ut ipſi dixerunt, cauſata fuit per exercitium copulæ carnalis cum mulieribus. Nominat ex iis *J. de Gount*, Ducem, qui magnus fornicator fuerit & *Richardo* II Regi Angliæ ægrum inviſenti putrefactionem oſtenderit, atque *Willum* quendam, ſibi notum, qui A. 1430 hac lue extinctus. Citat quoque remedia *Joannis Gadisden*, Medici celebris, qui circa annum 1340 floruit, ex *Roſa*, quam vocat, *Anglica*, ubi, poſtquam de infectione ex coitu leproſæ vel leproſi verba fecit, jubet virgam ſtatim a coitu lavari cum aqua mixta aceto, vel urina propria, ut membrum ab omni corruptione ſervet, qui a muliere de immunditie ſuſpecta recedit. Fœminis commendat decoctum in vino ex plantagine & roſis ſtatim a coitu hauriendum, ne inficiantur. De eodem contagio ex coitu contracto adducit teſtimonia *Gilberti Anglici* & *Bartholomæi Glanvile*, qui circa A. 1360 floruere. *Rogerius Cotes* d. 6 Mart. 1716 obſervavit auroram borealem, de qua plurima dicta ſunt a nobis in Actis A. 1716 p. 357 & ſeqq. *Joannes Quinus* in operationes medicamentorum inquirit, imprimis purgantium. *Steigerthalius* duos caſus Chirurgicos extraordinarios communicat. *Deſaguliérius* experimento vacuum diſſeminatum probare conatur, quod deprehendit eandem quantitatem Mercurii in aqua calida calefacti majorem gradum caloris thermometro communicare, quam aquæ eodem modo calefactæ. Denique *Michelotti* Tractatus de contagio boum anni 1711 recenſetur.

Num. 366, pro quatuor poſtremis menſibus, primo loco occurrit hiſtoria portionis inteſtini coli ex vulnere per 14 annos propendentis, ab *Abrahamo Vatero* communicata. Succedunt *Leeuwenhœkii* obſervationes de oſſibus & perioſteo, quibus evincitur, oſſa maximam partem componi ex minutiſſimis vaſculis a ſpongioſa ſubſtantia ortum trahentibus & per ſubſtantiam corticalem perioſteum ingredientibus, ac inde tandem ulterius in corpus continuatis. Hic autem vaſculis iſtis aſſignatur uſus, quod fluidum oleoſum ex oſſibus ad ſingulas corporis partes, ipſas digitorum extremitates vehant. Obſervationem *Ruyſchianam* de ſpina bifida novo exemplo confirmat *Ruttyus*. Obſervationes duas hortenſes communicat *Henricus Cane* de mutatione coloris

in uvis & Jeſſamino. *Stephanus Grayns* experimenta quædam electrica deſcribit. Detexit electricitatem in pennis avium, pilis animalium, filis fericeis, linteis, lana, charta, cute, ligno, membrana pergamena, quæ per affrictum calefacta non modo a digitis fuere attracta, verum etiam ipſamet materias alias leves attraxerunt. Quodſi ad ignem calefiant, antequam affrictu incalefcant, non modo vim attractivam fortiorem ſortiuntur, verum etiam ad affrictum digitorum inſtar tubi vitrei vacui & hermetice ſigillati lumen emittunt. *Wilhelmus Becket* in epiſtola ad *Hallejum* hiſtoriam de antiquitate luis venereæ ab objectionibus nonnullis vindicat. *Deſagulierius* experimento accurate inſtituto determinat rationem libræ Pariſienſis ad Londinenſem ut 576 ad 476, nempe uncia Pariſina 576 granorum eſt æqualis granis Londinenſibus 476. *Hallejus* monet nonnulla de methodo obſervandi differentias aſcenſionum rectarum & declinationum mediantibus crinibus ſeu filis in foco teleſcopii ſeſe mutuo interſecantibus. Hac methodo *Poundius* & ejus nepos *Bradlejus* in oppoſitione Solis & Martis, præſente *Hallejo*, parallaxin Solis determinarunt, quod non ſit major 12, nec minor 9 ſcrupulis ſecundis. *Patricius* uſum ſcalæ ampliatæ in barometris commendat in dimetiendis altitudinibus. Utitur eum in finem tubo in parte ſuperiori graciliori, in inferiori autem ampliori absque vaſculo. Pars ſuperior ad inferiorem inclinatur. Etenim cum per tubum exigui orificii ſeu luminis Mercurius non effluat, qui ponderi atmoſphæræ æquilibratur, pondere atmoſphæræ aucto in partem graciliorem truditur, ut columna longior evadat, eadem ſemper exiſtente Mercurii quantitate. Longitudo tubi inflexi eſt quinque circiter pedum. *Wilhelmus Sanderſonius* A. 1720 in mari Baltico obſervavit declinationem acus magneticæ ſub latitudine boreali 58° 58′ verſus occaſum 14° 53′, ſub latitudine 58° 2′ vero 14° 50′, differentia longitudinum locorum exiſtente 2° 50′. Obſervatio prior facta menſe Junio, poſterior Julio. Menſe vero Octobri ſub latitudine 56° *Bornholmiæ* eandem deprehendit 14° 44′. *Derhamus* obſervationem deſcribit a *Robio* ſibi communicatam de ingente quantitate ſalis alcali ex ligno quercino putredine infecto extracti. Id ſingulare notatur,

quod

quod, dum lignum combureretur, ſal in maſſas duras, candidas & perſpicuas conflueret. Cetera quæ Partem II hujus Vol. atque adeo Acta A. 1721 ſpectant, vide in Supplem. Tom. IX Sect. VI p. 255.

DESIDERATA MEDICA, AUTORE D. JOHANNE HERMANNO FURSTENAU, Medicinæ Profeſſore Ordinario in Academia Rintelenſi.

Lipſiæ, apud Johannis Friderici Gleditſchii B. Filium, 1727, 8. Alph. 1 plag. 10½.

QUæ in ſcientiis in genere deſiderantur, poſt *Henricum Cornelium Agrippam*, *Franciſcus Baro de Verulamio*, Anglus quidam, nomine *Waſſi*, & alius inſuper in Mercurii Francofurtenſis P. IV monuerunt; in arte vero ſalutari, præter laudatum *Verulamium*, *Georgius Hieronymus Velſchius* primus & ſolus exſtat, qui deſiderata Medicinæ per ſumma veluti capita in *Somno Vindiciani* indigitavit, quem imitatus eſt *Johannes Daniel Major* in *Genio Errante*. Poſtquam etiam noſtro ævo non defuerunt Medici eruditi, & de incremento artis ſolliciti, qui deſiderata Medica paſſim & quaſi aliud agendo recenſent, ingemiſcunt, & medelam optant, *Thomas*, puta, *Sydenhamius*, *Georgius Baglivius*, *Bernardinus Ramazzini*, & *Bartholomæus de Moor*, ac Clariſſ. *Furſtenau* a Præceptoribus ſuis, quos in Academiis Saxonicis audivit, varia in variis artis partibus occurrere deſiderata, in quibus poſterorum induſtria ſemet poſſit debeatque exercere, comperit, incitamento hæc ipſi fuerunt, primamque ſuppeditarunt occaſionem, deſiderata Medica paulo accuratius inveſtigandi. Inde factum, ut anno ſeculi hujus nono deſiderata Anatomico-Phyſiologica publice & pro Licentia ſummos in arte ſalutari honores adipiſcendi in Academia Halenſi ad diſceptandum propoſuerit. Secuta ſunt A. 1712 deſiderata Pathologico-Semiotica, quæ Diſſertationis forma Epiſtolaris ad Theodorum Janſonium ab Almeloveen, & A. 1720 deſiderata Practica, quæ ad Godofridum Thomaſium, Medicum Norimbergenſem primarium, exaravit. A Sereniſſimo Haſſorum Principe hinc ad munus Profeſſorium obeundum Rintelium vocatus, anno poſt in Actu ſolenni Docto-

rali desiderata Physico - Chymica exposuit, & sequenti anno desiderata Chirurgica Dissertatione publica & solenni comprehensa vulgavit. Quæ vero circa Materiam Medicam occurrunt desiderata, A. 1724 oratione, qua magistratum Academicum auspicatus est, enarravit, demumque anno sequenti desideratis suis, habita de desideratis Medico - Forensibus Oratione, colophonem imposuit; prout Autor in Præfatione Epistolari ad Celeb. Collegam nostrum inde a multis annis plane indefessum, D. Mich. Ernest. Ettmullerum Prof. Publ. testatur. Has igitur schedas in unum fasciculum collegit Clariss. Furstenau, ut uno obtutu paterent Lectorum oculis, & IX Partes exhibuit, quarum I desiderata Anatomico - Physiologica, II Pathologica, III Semiotica, IV Practica, V in Materia Medica, VI Physico - Chymica, VII Chirurgica & IIX Medico - Forensia exhibet, quibus addita est IX de docta Medicorum Ignorantia. Et cum priora desiderata, sub Dissertationum aut Epistolarum forma divulgata, vel ex hoc capite se commendaverint, quod Historiam Literariam variis in capitibus simul exhibeant, & in omnium jam versentur manibus, de illis plura addere non attinet, de ultima solummodo monemus, quod agat illa de docta ignorantia Medicorum tam in genere, quam quoad τὸ θεῖον in morbis & causam proximam, pulsus ad mentem medicorum Sinensium contrectationem, uroscopiam promiscuam, panaceas, speciatim adversus senectutis vitia, visus hebetudinem, & mortem, quibus adjecti sunt scriptores de docta ignorantia. Et quemadmodum Clariss. Autor in omnibus hisce desideratis summorum in arte virorum verbis potius quam suis usus est, ne scilicet sibi occinatur: tu, quod nescis, & in desideratorum serie collocas, aliis forsan te doctioribus dudum cognitum atque perspectum est; ita & hanc Partem claudit verbis Lactantii: *Alii putarunt, sciri posse omnia, bi sapientes utique non fuerunt; alii nihil, neque bi sapientes fuerunt; illi, quia plus homini dederunt, bi, quia minus. Utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? ut neque omnia te scire putes, quod Dei est, neque omnia nescire, quod pecudis; est enim aliquid medium, quod sit hominis, scilicet scientia cum ignorantia conjuncta & temperata.*

THEO-

THEODORI CRUGERI ORIGINES LUSATIÆ, historiam Geronis primi Lusatiæ inferioris Marchionis complexæ. Fasciculus primus.

Lipsiæ & Lubenæ, apud Georg. Voss, 1726, 4.
Alph. 1 pl. 5 & fig. æn. 1.

SOlertiam suam in disquirendis historiarum antiquarum monumentis jam probavit Vir Clariss. Lycei Luccaviensis Rector, per Stricturas, quas vocat, disquisitionis Historico-moralis, quinquennio abhinc Wittebergæ evulgatas, de martyriis falsis, præsertim atheis pseudomartyribus, contra Petrum Bælium aliosque. Cujus etiam schediasmatis continuationem, si quidem exspectare velint Eruditi, per certas classes instituendam, imprimis autem atheorum pseudomartyrium, justo aliquo volumine pro evincenda religionis Christianæ veritate confignandum, in se recepit. Hæc itaque quemadmodum historiam ecclesiasticam maxime illustrabunt, ita descriptio Lusatiæ, pluribus libris persequenda, historiæ politicæ amplificandæ cumprimis inserviet. Certe liber iste primus, qui jam prodiit, memorabilia non solum Lusatiæ sed & Germaniæ totius continet, rebusque obscurissimis seculi post Christum natum decimi lucem aliquam affundit. Ab hoc nimirum seculo orditur Autor rerum Lusaticarum historiam, in eoque gentis suæ originem exquirit, quatenus Germanici primum facta est juris. Ita vero in argumento suo pertractando & nunc versatus est, & postea versabitur, ut per singula secula Lusatiæ Principes & res ab iis domi militiæque gestas enumeret primo, deinde in reliqua gentis memorabilia, sacra præsertim & literaria excurrat, simulque scriptores rerum Lusaticarum omnes justa serie recenseat. In quibus tamen cum pauci fide digni ipsi videantur reperiri, & plenaria adhuc desideretur Lusatiæ, præsertim inferioris, historia; hac potissimum causa inducl se passum esse tradit ad lacunam istam Germaniæ historiæ tandem supplendam. In primo igitur hocce fasciculo vitam magni illius Geronis, Marchionum Lusatiæ omnium primi, exponit, secutus quidem in ea colligenda non *Poppenrodii* fidem dubiam, nec *Hrotwithæ* fœminæ fidem poeticam, sed autoritatem potius scriptorum

coævorum, *Vitichindi* Corbejenſis, *Ditmari*, cujus tamen Chronl-
con ab illuſtri Leibnitio nondum penitus emendatum reſtitutum-
ve arbitratur, & *Odilonis*, Abbatis illius Cluniacenſis ſeculo X ce-
lebratiſſimi. Veritatis ſcilicet adeo tenacem ſe profitetur, ut nihil
pro certo aſſumat, niſi quod diplomatibus authenticis, qualia ma-
gno numero per totum opus in notis afferuntur, teſtimoniisque
ſcriptorum æqualium poſſit confirmari; rogans hiſtoriarum a-
mantes, ut, ſi quæ diplomata & cujuscunque generis documenta
rerum Luſaticarum poſſideant, benevole ſecum communicare
velint. Cap. I de ortu & fatis Geronis, antequam Marchionis ti-
tulum adipiſceretur, agitur. Hic in patria, natalibus, proſapia &
p. 5. parentibus Geronis deſignandis, cum certi quid ex hiſtoriarum
monumentis colligere non liceret, conjecturis indulgere neceſ-
ſum habuit Autor. Id autem pro certo habet, eum rerum in
9. militia fortiter feliciterque geſtarum gloria tanto magis floruiſ-
11. ſe, quanto majorem gratiam Ottonis M. Imp. demeruerit, a quo
nova dignitate auctus dicitur Marchionis Luſatiæ, cap. II dili-
16. gentius explicata. Cum vero Gero antea Comes fuerit, Autor
oportunam hic nactus eſt occaſionem de Comitibus, quo modo,
quove ordine & officio ſeculo IX & X in Germania originem
ceperint, diſſerendi. Uti vero in dubium vocat adverſus Schurz-
fleiſchium & Meibomium (quo jure alii viderint) an Marchio-
25. natus Germaniæ plures, uti re ipſa quidem, ita etiam nomine
ſint conſtituti ab Henrico Aucupe; ita Goldaſtum recte erroris
arguit, quando ab eodem leges illas tredecim ludis equeſtribus
impoſitas arceſſit. Id etiam recte aſſeritur, non ab Henrico, ſed
27. ab Ottone I Luſatiam, tanquam Marchionatum novum, regendam
accepiſſe Geronem. Num vero idem Burggravius Magdeburgi-
34. cus dicendus ſit, integro capite III diſputat Noſter, tandemque in
negativam concedit. Atque hinc ad ea, quæ præcipue ſibi expen-
denda ſumſit, tranſit Autor, enumerans cap. IV res a Gerone, poſt-
quam obtinuerat jam Luſatiæ inferioris Marchionatum, geſtas,
58. ſane maximas & præclariſſimas. Ita v. g. una aliquando nocte
trucidaſſe triginta Slavorum Duces, eorundemque exſtirpatione
61. Germaniæ fines per Marchiam Brandenburgicam multum am-
pliaſſe; funeſtum illud & atrociſſimum bellum, quod patrem in-

ter

Digitized by Google

ter & filium, Ottonem M. & Ludolfum, gerebatur, cujusque causa & eventus accurate hic describitur, sua potissimum virtute p. 64.
composuisse; omnem quoque Poloniam, Miescone duce bis acie 83.
victo, tributariam Germaniæ reddidisse, docetur. Jamque equidem per multa lustra Lusatis Marchionis nomine præfuerat, cum 98.
denuo rebelles expertus, acerrimo conflictu, qui graphice hic depingitur, & victoria maxime cruenta de illis reportata Lusatiam tandem in provinciæ formam redegit, servitute tum quoque 101. 105.
illa Slavis superinducta, quæ vel hodie in isto terrarum tractu superest. Sequuntur tandem cap. V Geronis fata suprema, quibus priusquam defungeretur, ætate ingravescente, cœnobium Gerenrodense, quod hodie ditionis Anhaltinæ est, in quo etiam sepultus jacet, fundavit & nurum suam, tum viduam, primam illi præfecit Abbatissam. Romam quoque antea eo consilio profectus est, unde redux factus a monachis Sangallensibus in transitu socius & frater pro pecunia numerata cooptatur, *in remedium* scilicet *animæ*; quæ formula frequens erat istis temporibus, quibus 110.
avaritia clericorum late grassabatur, prout hic ex Joachimo Vadiano, apud Goldastum, annotatur. Cujus viri integerrimi, qui 114.
Consulis apud Sangallenses seculo XVI officio functus, scripta quævis tum historica tum exegetica, quibus imprimis Scripturæ sacræ Geographia illustratur, ut tandem in lucem protrahantur, merito optamus. Sed ut & cetera Nostri capita strictim percenseamus, cap. VI de insignibus Lusatiæ ante seculum X usitatis, singulatim num Gero jam rubicundi bovis insigni usus sit, disquiritur; ubi jucunda simul fit digressio de gryphe alite 134.
ejusque in signum a gentibus pluribus adhibiti hieroglyphica ratione. Nec utile magis quam jucundum caput VII, inscriptum 143.
de originibus Lusaticis proprie ita dictis, videlicet de nomine, gente & incolis, titulis, limitibus, urbibus, situ & habitu Lusatiæ inferioris seculo X. Antagonistam hic se præbuit Autor celeber- 152 & 175.
rimo *Jo. Hubnero* & Illustri *Jo. Petro de Ludewig*, quo jure, ipsi viderint. Nobis interim mire placent, quæ de duplici Marchia 180.
orientali, in titulis Principum Saxonicorum veteris ævi nominata, & de utriusque discrimine afferuntur, consensu quoque magni Leibnitii probata, quas demonstrationes verius quam conjectu-

ras

ras dixeris, ad ea quæ superiori Mense Febr. p. 79 & 80 observavimus, referendas. Ceterum ut superfedere posset Cl. Autor nonnullis hic denuo recoquendis, provocavit ad beati antecessoris sui, *Godofredi Hechtii*, Viri quondam doctissimi, binas dissertationes de gente & Ducatu Geronis, easque cum Supplemento & notis suis sub finem hujus operis annectere voluit quidem, sed propter impedimentum aliquod non potuit, unde eas Fasciculo secundo Originum Lusaticarum reservavit.

POLYCARPI LYSERI, JUR. MED. ET PHIL. Doctoris, Poeseos P. P. in Acad. Helmstadiensi, Commentatio de Contrasigillis medii ævi, justo operi de re Diplomatica Germanorum præmissa.

Helmstadii, literis Seb. Bucholtzii, 1726, 4. Pl. 5½.

p. 3. CUm Opus Mabillonianum Francicas cumprimis res respiciat, in Germania vero usus diplomatum satis pateſcat, penitior utique artis diplomaticæ cognitio utilis habenda est. Multas vero in hac re lacunas explendas superesse, hæc de Contrasigillis tractatio luculenter docet. Sigilla plurimum diplomati-
6. bus robur adjiciunt, digna, de quibus *Joh. Mich. Heineccius* peculiari libro ageret, quamvis, judice Cl. Autore nostro, in multis a vero tramite abscedat, in plurimis jejunus nimis & mancus sit. Eandem auctoritatem habent Contrasigilla, quæ raritate sua præ-
7. cipue commendantur. Contrasigillum vero est, quod aversæ sigilli principalioris majoris aut ordinarii faciei imprimitur. In his sunt, quæ perpetuum contrasignandi usum habent, nec alia ratione usurpantur; sunt & quæ non nisi ob magnitudinem diversam imprimi sueverunt, seorsim non raro adhibita, & plerumque *Secretorum* nomine notata. Alia itaque ex re ipsa & per se, alia ex accidenti & usu Contrasigilla sunt. Per se talibus accensentur I illa aversæ faciei impressa sigilla, quæ Contrasigilli nomen in ipso sigillo habent expressum. Exempla
9. plura ex Oliv. Vredii Sigilli Comitum Flandriæ proferuntur. II. Quæ sine prævio majori alio sigillo adhiberi non potuissent,

nexum

nexum itaque cum primario habent expreſſum, ita ut continuatio alterius dici debeant. Sic in majori ſigillo apud Vredium: *Sigillum Philippi Comitis Flandrie*; in minori vero: *& Viromandie*. III Sigilla averſa, qualia ſunt Bullæ plumbeæ Pontificum Romanorum. Qua occaſione tria plumbata ſigilla Epiſcopi vel potius Concilii alicujus Halberſtadienſis cum contraſigillis producuntur. IV quæ nullum quidem cum primario ſigillo nexum habent, ſeorſim tamen adhiberi nequeunt: quale producitur Volradi Epiſc. Halberſtadienſis, cum triplici contraſigillo ſingulis lillis ornato. Altera claſſis Contraſigillorum ab uſu conſtituitur. Hinc V ſequuntur ea, quæ etiam extra Contraſigillationem adhibita fuerunt, inque his ſigillatim occurrunt *Sigilla minora*; VI *Secreta*; VII quæ fere eandem faciem aut epigraphen ſiſtunt, quam primarium habet. Hic producitur Sigillum Rudolfi Ep. Halberſt. quod cum Contraſigillo ſuo ipſi membranæ impreſſum erat. VIII quæ prorſus ad verum & primarium ſigillum non pertinent, ſed alius cujusdam, cujus ne quidem inter teſtes mentio fit, ſigillum exhibent. Appendicis loco additur Contraſigillum, quod ad nullam præcedentium claſſium referri poteſt. Eſt enim Contraſigilli Contraſigillum, cujus raritas vel ideo ſatis eſt conſpicua, quod annum æræ Chriſtianæ exhibeat, quem alias ſigilla medii ævi ignorant.

p. 10. 16. 19. 20. 30. 35. 39. 42.

Figuræ Sigillorum & Contraſigillorum æri inciſæ & ſuo loco inſertæ variæ adſunt, & integra quoque diplomata, quæ vero Lectoribus parvo admodum erunt uſui, quia nomina perſonarum & locorum omiſſa ſunt. Sub finem Autor Cl. promittit *Uſum Hiſtoriæ Medii ævi in dijudicandis & decidendis controverſiis fori*, & aliud opus, quo *Advocatiæ*, cujus ſæpius in Diplomatibus mentio fit, natura fere obſcura & ignota evolvetur.

AMOENITATES LITTERARIÆ, QUIBUS variæ Obſervationes, ſcripta item quædam anecdota & rariora opuſcula exhibentur.

Tomus VI.

Francof. & Lipſiæ, apud Dan. Bartholomæi, 1727, 8. Plag. 20.

TOties jam de hoc laudabili inſtituto *Cl. Schelhornii* diximus, ut jam modo ſimplici enarratione eorum, quæ *Tomo* hoc *ſexto* contineantur, defungi poſſimus. I leguntur *Analecta ad hiſtoriam Confeſſionis Tetrapolitanæ*, in quibus ſimul haud pauca Reformationis Eccleſiæ Memmingenſis hiſtoriam concernentia exhibentur. Siſtit nempe eccleſiæ patriæ faciem a primis repurgatorum in ea ſacrorum initiis ad exhibitam usque confeſſionem; confeſſionis fata deſcribit, ejusdem hiſtoriam litterariam adjicit, inſperſis paſſim eximiis documentis, quæ ex publico tabulario Memmingenſi cum Cl. Autore communicata ſunt. II ſequitur *Appendix, ſiſtens quædam documenta ad ſuperiorem commentationem pertinentia*, eaque omnia ex autographis deſcripta ſunt, ſi excipias libellum ſupplicem a legatis Argentin. Norimberg. Conſtant. Ulmenſ. &c. Cæſari oblatum, qui littera G. inſignitur. In his primum eſt, & littera A notatur *Vibani Regii Conſilium* & Reſponſum de colloquio Memmingæ ſub Magiſtratus auſpiciis a D. Chriſt. Schappelero A. 1525 cum Pontificiis habito. B. *Jo. Eccii ad Senatum Memmingenſem Epiſtola*, cum de Miſſa abroganda conſilia agitaret. C. altera *Eccii epiſtola* ejusdem argumenti. D. *Rationes, ob quas Jo. Kellerus*, Memmingenſis aliarumque civitatum ad fœderis Suevici conventum legatus, *a confeſſu repudiatus fuit*, ex ipſo confœderatorum decreto deſcriptæ. E. *Excerpta ex Apologia civitatis Memmingenſis* ad fœderis Suevici ſocios poſt repudiatum a confeſſu Kellerum miſſa. F. *D. Martini Lutheri litteræ* ad magiſtratum Memmingenſem ſcriptæ, cum rumor ad eum perlatus fuiſſet, prorſus ibi locorum Euchariſtiæ uſum ſublatum eſſe. G. *Libellus ſupplex* Cæſari in Comitiis Auguſtanis A. 1530 exhibitus a civitatum Proteſtantium legatis. H. *Ulrici Zwinglii* ad Senatum Memmingenſem litteræ. Hæc documenta III excipit *Diſcipuli de Temporibus monitum de præjudicio Hermeneutico*, accuratiorem Apocalypſeos explicationem etiamnum impediente. IV *Notitia rariſſimæ verſionis Germanicæ libri Pſalmorum* a D. Ottmaro Nachtgallo ſive Luſcinio confectæ, exhibita a *Jacobo Bruckero*. V *de ejusdem Luſcinii Latina Pſalterii Verſione*

Digitized by Google

ne æque rara', *aliisque ſcriptis* Commentatiuncula, quam Cl. Schelhornius ſtudio illo Bruckeri ſui excitatus, concinnavit. VI Specimen *Supplementorum Ge. Hier. Welſchii* ad bibliothecam Geſnero-Simlero-Friſianam, quod Specimen Cl. Editor ex Supplementorum exemplo deſcripſit, quod ſervat M. Georgius Ruprechtus, verbi divini in Eccleſia Auguſtana miniſter. VII *Julii Cæſaris Scaligeri Epiſtolæ nonnullæ*, ex MSto bibliothecæ Zach. Conradi ab Uffenbach. VIII *Epiſtolæ quædam inedita Henrici & Hadriani Valeſiorum* ad Jo. Alb. Portnerum, Camerarium quondam & Proto-Scholarcham Reip. Ratisbonenſis, quas communicavit cum Cl. Editore S. R. D. Guſt. Georg. Zeltnerus, & ſunt illæ non modo facundiſſimæ, ſed & multa eruditione refertiſſimæ. IX *Epiſtolæ quædam inedita* Theologi de Chriſti eccleſia meritiſſimi, *B. D. Phil. Jac. Speneri*, ad Jo. Schilterum, JCtum & Polyhiſtorem quondam Argentoratenſem celeberrimum, deſumtæ ex bibliotheca D. Jo. Chriſt. Simonis, JCti & Syndici Campidonenſis. X *Elogium Thomæ Lanſii*, Autore B. Theophilo Spizelio, quod inter reliquias MSStorum bibliothecæ Spizelianæ, cum aliis in poſterum vulgandas, a Cl. Editore inventum, forſan Autor inſerere voluit Corpori vitarum ſelectarum, ſeu Theatro Litteratorum univerſali. XI. Ejusdem *Elogium J. B. Schuppii.* XII. Ejusdem *Elogium Hartmanni Creidii.* XIII. Agmen claudunt *varii generis Obſervationes*, Autore Cl. Schelhornio, quibus tam alibi dicta auget atque illuſtrat, quam nova quædam in medium profert memorabilia.

ULYSSES LITERARIUS, SIVE ORATIO DE ſingularibus & novis quibusdam ex orbe literato, JOACH. NEGELINI, Æd. D. Mar. Antiſtitis. Additur CASP. DORNAVII Ulyſſes Scholaſticus, cum CASP. HOFMANNI Oratione de barbarie imminente.

Norimbergæ, ex officina Endteriana, 1726, 8.

Plag. 18.

QUantum per breve Orationis inauguralis ſpatium licuit, hic Max. Rev. Autor luſtratis animo literati orbis regionibus præcipua refert, quæ memoratu laudatuque digna ipſi occurrerunt. Hodiernam igitur Græciæ faciem miſeratus, in Italia fervere literarum ſtudia jucunde obſervat, in Gallia literatas Academias perpetua ſcientiarum incrementa polliceri gaudet, in Hiſpania ſrigentes Muſas vitam nuper recepiſſe in vicina Luſitania, ipſo Rege in earum ſalutem intento, commemorat: in Britannia beatiſſimam eſſe omnis generis diſciplinarum ſedem; in Belgio ſummos literatores certatim augere commoda literatæ reip. Nec Daniam Sueciamque carere laude eruditionis, imo Ruſſiam auſpice Petro ſuo caput efferre cœpiſſe inter regiones literarum ſtudiis claras: denique Germaniam noſtram animadvertit nulli Europæ parti cedere gloria ingeniorum omni literarum genere excultiſſimorum. Hæc poſtquam ornatiſſime ediſſeruit, oculis lectorum ſubjicit duas *Dornavii* diſſertationes *de erroribus ſcholarum trivialium:* quarum, quippe jam olim editarum, argumenta paucis enarrabimus. Exponuntur ſcilicet hic non tam errores, quam cauſæ corruptarum ſcholarum. Et Oratione quidem *prima* graviter reprehendit Dornavius magiſtratus eos, qui ſcholarum curam in poſtremis habent, iisque Caroli M. exemplum proponit, Principis Scholaſticæ rei curioſiſſimi. Hinc, quod pietatis cultura in ſcholis vulgo negligitur, inter maximos earum nævos refert. Tum incongruum exiſtimat, quod pueri tribus quatuorve continuis horis ſedere cogantur in ſubſelliis, ſuadetque, ut ſingulis horis acroamaticis ſuccedat hora otioſa ad prævertendum tædium. Nec illud non in vitio ponit, quod nobilium plebejorumque liberi iisdem inſtituuntur modis. Maxime in eo errari ſtatuit, quod nec diſcentibus tribuantur præmia, nec ſatis docti præficiantur ſcholis magiſtri, nec iis, ſi forte ſint electi, digni honores tribuantur dignaque ſalaria. Hæc poſtquam ſine ulla diſſimulatione metuque offenſionis ornate perſecutus eſt, *ſecunda* Oratione vitia virtutesque docentium ſigillatim deſcribit, tantumque ſcholaſticæ ſapientiæ oſtendit, ut laudandus ſit Cl. Negellinus, qui hoc par Orationum reduxerit in lucem, dignarum profecto, quæ non perfunctorie legantur a ſcho-

Digitized by Google

ſcholarum ſive magiſtris ſive curatoribus. Nec *Hoffmanni* Oratio, quæ ultimum locum tenet, nova luce indigna eſt: quanquam ejus recenſione ſuperſedemus brevitatis ſtudio.

HISTORIA MANUSCRIPTA PRIMORUM quadraginta ſex Patriarcharum Alexandrinorum, e lingua Coptica in Arabicam verſa.

UT inter reliquas Eccleſias Orientales, cum ob antiquitatem, tum ob doctiſſimos, qui ei præfuerunt, Patres, Alexandrina caput maxime effert, ita hiſtoriam illius paulo accuratius noſſe, permultum refert. Etiamſi enim variis jam monimentis tradita, virorumque & linguarum peritia, & omnis doctrinæ cultu excellentium, *Seldeni*, *Pocokii*, *Vanslebii*, *Renaudotii*, opera, dudum explicata fuerit, attamen ad ſtatum illius plene ac perfecte cognoſcendum, haud pauca ſuperſunt. Quam ob rem, poſteaquam Illuſtris Dominus *ab Uffenbach*, pro mirabili ſuo in literis juvandis provehendisque ſtudio, Codicem Arabicum eo pertinentem, ultro nobiſcum communicavit, de eo publice nonnulla differere, operæ pretium eſt. Scilicet Codex ille, quem ex Bibliotheca *Salomonis van Til*, clariſſimi apud Batavos olim Profeſſoris, poſſeſſor celeberrimus emit, ut ex illius Catalogo p. 154 n. 16 patet, trecentis quinquaginta foliis, in forma paulo minore quarta, conſtans, ſimplici nec adeo eleganti charactere exaratus eſt, ductu literarum pingui & craſſo, linearumque interſtitio ſatis amplo, at cum punctis diacriticis literæ ubique fere careant, lectorem acutum, attentum, ac linguæ Arabicæ valde gnarum ejusque notitia haud leviter tinctum requirit. Autor nec initio nec fine libri nominatur, ſectam vero ſi ſcire velis, eum Monophyſitam, ſeu ut Arabes hiſtorici appellant صاحب الطبيعة واحدة i. e. *unius naturæ in Chriſto aſſertorem*, fuiſſe videtur, quia Dioſcorum, in Synodo Chalcedonenſi, ob conſenſum cum Eutyche, damnatum, ſanctis in vita ejus accenſet, aliter ac hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Orientalis Scriptores facere ſolent, qui illum & Eutychem, ac Jacobum Baradæum hujus aſſeclam, non قديس ſanctum, ſed مخالف *hæreticum*, كافر *abnegantem* ملعون *maledictum* vocare conſueverunt. Titulus autem in fronte

libri rubro colore notatus hic est: *Liber sanctorum Patriarcharum, quæ prima pars est, continens quadragesima sex Patriarchas.* Et foliis aliquot interjectis, eas ex Patris Macarii, ubi fixa Jacobitarum cathedra fuit, aliisque Thebaidos monasteriis collectas, & quasdam a Diacono quodam Michaele filio Nadiri ex Coptica lingua in Arabicam versas esse, dicitur, ac in ultima pagina, scriptionem ejus die Sabbathi, decimo quarto Mensis Meschri A. DCCCCLXXX æræ martyrum, seu Diocletiani, absolutam esse annotatur. Series autem Patriarcharum non a Marco Evangelista, Ecclesiæ Alexandrinæ fundatore, incipit, cujus vitam se alio commentario descripsisse Autor perhibet, quæque ab *Satdo Ebn Batrik* seu ut post promotionem ad Cathedram Patriarchalem appellatus fuit, *Anba Eutychio* in *Annalibus* sub titulo نظم الجوهر *Nodhm algiauhar*, i. e. *Contextionis gemmarum* scriptis p. 329 seqq. memoratur. Secundus igitur eorum est Anianus, Batricidi Hananias dictus. III Melius, Elmakino Abilianus, Batricidi Philetius. IV Cardanus Elmakino Gordianus, Eutychio Gordius. V Abrimius seu Primus, in Nicephoro Scaligeri Priamus. VI Justus. VII Ammonius seu Eumenes. VIII Marcianus. IX Cladanus, Eutychio Clarius, nisi forsan Rhe pro Dal posito legendum Cladius, Celadion. X Agribius seu Agrippas. XI Julianus. XII Demetrius. XIII Heraclas & Jeraclas. XIV Dionysius. XV Maximus. XVI Theonas, Eutychio Neron. XVII Petrus, ubi textus mutilus est. XIX Alexander. XX Athanasius ubi textus etiam mancus est, sed post Sectionem 46 infra Sectiones occurrunt hic inserendæ. XXIII Theophilus. XXIV Cyrillus. XXV Dioscorus. XXVI Timotheus. XXVII Petrus. XXVIII Athanasius Junior. XXIX Johannes. XXX Johannes Solitarius. XXXI Dioscorus Junior. XXXII Timotheus. XXXIII Theodosius. XXXIV Petrus. XXXV. Damianus. XXXVI Anastasius. XXXVII Andronicus. XXXVIII Benjaminus. XXXIX Agathas. XL Johannes Samnudensis. XLI Isaacus. XLII Simeon. XLIII Alexander. XLIV Cosmas. XLV Theodorus. XLVI Chajilus. Et primæ quidem horum Patriarcharum Vitæ breviores, ceteræ autem prolixæ sunt, ac merito optamus, ut qui necessarios sumtus ad præstantissimi hujus libri solam versionem elargiri velint, liberaliter sese offerant, aut per modum subscriptionis ea promoveri queat.

NOVA

Digitized by Google

NOVA LITTERARIA.

QUi tot Scriptis hiſtoricis fide digniſſimis jam dudum immortalem famam meritus eſt, Celeb. *de Vertot*, novam nuper Hiſtoriam Equitum Melitenſium Gallice IV Voluminibus in 4 vulgavit. Quam cum relegiſſet, non parum miratus eſt, Typographos id ſibi ſumere auſos, ut aliqua deleverint, plura corruperint aut ad extollendos imprimis quorundam, qui meritis clarere non poterant, natales, addiderint. Is ergo a vili iſta adulatione magnopere abhorrens, e re ſua putavit, ut ſe minime ſuam agnoſcere hanc editionem, in Diario Trevoltienſi Menſe nupero Februario publice profiteretur. Enimvero cum Autores hujus Diarii, a Typographis, ut videtur, conducti, proteſtationem illam Vertoti e plerisque exemplis rurſus poſtea exemerint, & ſuperiore Menſe Majo ejusdem Diarii palam teſtati fuerint, ſe neſcire, quo pacto eadem in M. Februarium irrepſerit, Autorem potius probare editionem & in fide Typographorum nihil deſiderare, aſſeverantes; vel per nos mature innoteſcere Orbi erudito voluit Cl. Autor, ſe adhuc ſerio editionem illam deteſtari, & in eo eſſe, ut novam eamque genuinam propediem procudat. Ceterum doctiſſimus *Camuſat* in Diodoro Siculo, quem cum variis MSSptis contulit, eoque lacunas non unas ſupplevit, plura etiam ſubſidia ab eruditis aliis ſibi promittens; & Abbas *Capperonerius* in Rhetoribus Latinis, tum editis tum hactenus ineditis, vulgandis occupantur.

Duisburgi S. R. *Daniel Gerdeſius*, S. Theol. D. & Eccleſiaſtes quondam Wageringanus, poſtquam anno ſuperiori Profeſſionis Theol. munus ibi Oratione *de docta in Theologia ignorantia* auſpicatus eſt, nuper die X Martii *de Particulari Judicio animarum a corpore ſeparatarum* edidit diſputationem, publice ſub ejus præſidio defenſam, ubi & multa in genere de ſtatu animarum a corpore ſeparatarum adverſus Socinianos aliosque Pſychopannychitas traduntur, Patrumque ſex priorum imprimis ſeculorum ſententiæ inter ſe conferuntur, & Rev. Doctoris Angli, *Guil. Sherlocki*, de judicio particulari ſententia propius ad examen revocatur, atque argumenta ipſius adverſus

hoc

hoc judicium excutiuntur & refutantur, variaque Scripturæ loca, imprimis vero Eccleſiaſt. XII, 9 & Eccleſ. III, 21 explicantur. Ejusdem *Gerdeſii* Tractatus, ſub titulo *Veſperarum Vadenſium*, ſive *diatribarum Theologico-Philologicarum DE HYPERBOLIS EX SCRIPTURA SACRA ELIMINANDIS* &c. propediem edetur Trajecti ad Rhenum. 4.

Apud nos Mauritius Georgius Weidmannus, qui nuper nobis *Kehvenhülleri Annales Ferdinandeos* integros incredibili ſumptu dedit, nuper *Corpus Scriptorum de Auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi*, juſſu & auſpiciis CAROLI VI Imp. edendum, prelo ſubmiſit, quo ea continebuntur, quæ *Zellerus*, *Tengnagelius*, *Lambecius* & *Neſſelius* de hac Bibliotheca edita dedere, immani hactenus pretio vendita. Imprimetur hoc Corpus V Tomis, ſubſcriptionis lege, ab indigenis usque ad finem hujus anni, ab exteris vero ad finem Julii anni ſequentis admittendæ. Conſtabit vero opus in charta ordinaria 24 Imperialibus, cujus ſummæ pars una tempore ſubſcriptionis, altera editis tribus prioribus, tertia abſoluto opere numerabitur: chartæ regiæ altero tanto, mediæ parte tertia majus erit pretium. Spem quoque facit idem Weidmannus, ſe opere abſoluto (abſolvi vero poſſe ſperat vergente Anno MDCCXXVIII) ea quæ plurimis Voluminibus operi adjecit nuperus Bibliothecarius, *Jo. Bened. Gentilot ab Engelsbrunn*, pariter typis commiſſurum.

Proſtat Actor. Er. Supplem. Tomi IX Sectio VI, qua continentur ſequentia: 1 Lud. Ant. Muratorii *Rer. Ital. Scriptores*, *Tomus VII*; 2 Leonh. Bohneri *Inſtitutiones Catecheticæ*; Caſp. Brantii *vita Jac. Arminii, it. Ejusd. ed. altera*, *per* J. L. Moshemium; 3 Sam. Frid. Lauterbach *Hiſtoria Ariano-Sociniſmi in Polonia*; 4 Jo. Bapt. Mazini *Mechanices morborum Pars I & II*; 5 *Tranſactiones Philoſophicæ, ſeu Recenſio Partis II Vol. XXXI*; 6 Jo. Bernoulli *Continuatio materiæ de Trajectoriis præcipuis, imprimis de Pantogonia &c.* 7 Petri Zornii *Bibl. Antiquaria & exegetica in Script. S. Tomi I Pars IV-X.* Nuntiamus quoque proxime & ante quam M. Julius prodire poſſit, comparituram Supplem. Sectionem VII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXVII.

DANUBIUS PANNONICO-MYSICUS, Observationibus Geographicis, Astronomicis, Hydrographicis, Historicis, Physicis, perlustratus, & in SEX TOMOS digestus, ab ALOYSIO FERD. COM. MARSILI, Socio Regiarum Societatum Parisiensis, Londinensis, Monspelliensis.

Hagæ Com. apud P. Gosse, R. Chr. Alberts, P. de Hondt.

Amstelod. apud Herm. Vytwerf & Franc. Changuion.

Ex Typographia & Iconographia Rutg. Christ. Alberts, 1726.

In forma maxima, const. 407 foliis & 288 tabb. æneis majoribus.

OPus hoc loco exhibemus oppido magnificum atque excellens, cujus quidem Prodromum jam in Act. A. 1701 p. 84 recensuimus; & quamvis ab Illustriss. Autore, propter adversa fata, quibus jam diu conflictatus & tantum non oppressus est, prorsus ex voto perfici atque expoliri minime potuerit, tot tamen ac tam egregias res complectitur, ut universo orbi litterato rem factam gratissimam esse nihil dubitemus, quod tandem eo se adduci passus est Vir summus, ut illud e pulvere ac tenebris, in quibus plusquam viginti annos jacuit, extractum publicæ nunc luci exponeret. Cum jam alia singularis ejus ingenii & incredibilis solertiæ monumenta, quæ maximo cum applausu ab eruditis sunt excepta, in Actis nostris recensuerimus, longiori in præsentia proœmio facile supersedere, statimque nos accingere ad tradendam laudatissimi operis œconomiam licet. Distributum illud est in *Tomos sex*; quorum primus *tribus Parti-*

bus absolvitur, Geographica, Astronomica, & Hydrographica. In *parte Geographica* primo quidem Tabulæ sive Mappæ viginti occurrunt; quarum una totum Danubium, cum fluviis, qui in eum se exonerant, complectitur: alia partem integram hujus amnis sistit, quæ inter montem Cætium sive *Kalenberg*, paullo supra Viennam, & inter Jantram fluvium, infra Nicopolim in Bulgaria, interjacet (hanc enim sibi potissimum illustrandam sumsit Excellentissimus Comes noster:) reliquæ eandem partem, in minores tractus divisam quam distinctissime exhibent. Succincta deinde addita est totius Hungariæ, ejusque originis, provinciarum, limitum, & regiminis descriptio, cum Topographia Danubii, in qua de Danubii etymo, de Cætio monte, de regionibus & locis cum insignioribus tum etiam minus insignibus, circa partem hujus fluvii commemoratam sitis, de nationibus denique & insulis, in tractu isto reperiundis, accurate disseritur. In *Parte Astronomica* observationes nonnullæ extant altitudinis fixarum & Solis meridianæ, Satellitum Jovis, Mercurii solem transeuntis, & phasium lunarium. Quas cum in lucem proferre Comes illustrissimus identidem dubitasset, inter castrorum quippe strepitus & militaria incommoda peractas, celeberrimus tamen *Cassinus* Senior, a quo se habitum loco filii commemorat, ipsi constanter autor fuit, eas ut haudquaquam aboleret, sed, etiamsi Danubiale opus typis non committeretur, separatim ederet, cum, quod nunquam constet, habitas in Pannonia fuisse hujusmodi observationes, tum, quod a milite, rebus omnibus ad earum perfectionem necessariis destituto, tantum expectari nequeat, quantum ab aliis majori commoditate gaudentibus. Rem non ingratam lectoribus nos facturos arbitramur, si ipsas observationes circa altitudines stellarum meridianas exhibeamus.

Et *VIENNÆ* quidem, die 17 April. A. 1696, cœlo sereno, observata est altitudo meridiana *Lucidæ in dorso Leonis* (Bayero δ) 63 gr. 58 min. *caudæ Leonis* (Bayero θ) 48°, 4′: die 20 ejusdem mensis, aere sereno sed flatibus irrequieto, altitudo merid. *Lucidæ in dorso* ♌ 63°, 59′, *caudæ* ♌ 58°, 4′: eodem die altitudo merid. minima stellæ *Polaris* (Bayero α) 45°, 53′: die 21, cœlo puro,

ro, flante Zephyro, altitudo merid. *Lucidæ in dorso* ♎ 63°, 58′, *caudæ* ♎ 58°, 6′, *Polaris* 45°, 53.

BUDÆ, die 27 Maji ejusdem anni, aere dispersis hinc inde nubeculis maculato, reperta altitudo merid. *spicæ virginis* (Bayero α) 33°, 2′; *Arcturi* (Bayero *Bootis* α) 36°, 26′; stellæ *Polaris* 45°, 6. Ibidem, d. 27 Aug. anni commemorati, cœlo serenissimo, altitudo merid. *ultimæ in cauda serpentis* (Bayero θ) fuit 46°, 29′; *Lucidæ in cauda Aquilæ* (Bayero ζ) 56, 4′; *Lucidæ in scapulis Aquilæ* (Bayero α) 50°, 43′. Die 28 ejusdem mensis, cœlo iterum sereno, *ult. in cauda serp.* 46, 28′; *Lucida in cauda aquilæ* 56, 5′. Die 29, aere etiamnum sereno, *ult. in cauda serp.* 46, 29′; *Lucid. in cauda Aqu.* 56, 0′; *Lucid. in scap. Aqu.* 50, 44.

BAIÆ, die 2 Jun. cœlo admodum sereno, fuit altitudo merid. *Arcturi* 64°, 46′; *Lancis libræ Austr.* (Bayero α) 29°, 9′; *Humeri Ursæ min.* (Bayero β) 60°, 44. Die 6 ejusdem mensis, cœlo sereno, fuit altitudo mer. *Arcturi* 64°, 38′; *Lancis libræ Austr.* 29°, 6′; *Humeri Ursæ min.* 60°, 45′.

Ad *CONFLUENTES DANUBIUM ET DRAVUM*, d. 12 Jun. aere defæcatissimo, inventa fuit alt. merid. *Arcturi* 65°, 13′; *Humeri Ursæ min.* 60°, 11′; *manus sinistræ Ophiuchi Bor.* (Bayero *Serpentarii* δ) 41°, 35′; *Lucidæ in collo serpentis* (Bayero α) 51°, 50′. Die 13 ejusdem mensis, aere ventoso & pluviosis nubibus inquinato, fuit alt. merid. *humeri Ursæ min.* 60°, 9′; *Lucid. in collo serp.* 51°, 49. Die denique 14, cœlo nubibus maximam partem obvoluto, fuit alt. mer. *Arcturi* 65°, 13′.

SEGEDINI, d. 15 Jun. ejusdem anni, cœlo serenissimo, deprehensa fuit altitudo merid. *capitis Herculis* (Bayero α) 58°, 31′; *capitis Ophiuchi*, (Bayero *Serpentarii* α) 56, 36′; *cordis Scorpii* (Bayero α) 18°, 7′. Die 4 Jul. cœlo itidem serenissimo, altitudo *capitis Herc.* 58°, 26′; *capitis Ophiuchi* 56, 34′. die 9 ejusdem mensis, cœlo sereno, flante Circio, altitudo *cordis* ♏ 18°, 9′; *capitis Hercul.* 58°, 31′; *cap. Ophiuchi* 56, 38′. Die 11, cœlo purissimo, flante Circio, *cap. Herc.* 58°, 33′; *cap. Ophiuchi* 56, 34′. Die 12, cœlo purissimo, silentibus ventis, *cap. Oph.* 56, 36′. Denique d. 13.

cœlo pulcherrimo, ſpirante leniter Nothapeliote, *cap. Herc.* 58°, 33′; *cap. Oph.* 56, 35.

In *Caſtris*, prope *TITUL*, in angulo confluxus Danubii & Tibiſci citeriori poſitis, d. 18 Jul. cœlo ſereno, obſervata eſt altitudo merid. *capitis Herc.* 59°, 27′; *capitis Ophiuchi* 57°, 29. Die 20, aere ex heſterna pluvia impuritatis aliquid fovente, *cap. Herc.* 59°, 31′; *cap. Oph.* 57°, 32′; *manus Ophiuchi Auſtr.* (Bayero μ) 35°, 1′. Die 21, cœlo ſereniſſimo, *cap. Herc.* 59°, 27′; *cap. Oph.* 57°, 31′; *Serpentis caudæ penult.* (Bayero η) 41°, 46.

SOLNOCI, d. 9 Aug. cœlo ſereno, inventa fuit alt. mer. *Lucidæ in cauda aquilæ* 56°, 19. Die 10, nubibus undique diſperſis, alt. mer. ejusdem ſtellæ iterum fuit 56°, 19′. Die 11, nubibus poſt imbrem largiſſimum relictis, altitudo ejusdem ſtellæ denuo reperta fuit 56°, 19′; *Lucid. in ſcap. Aquilæ* 50°, 58′.

AGRIÆ ſive *Erlæ*, d. 18 Aug. cœlo nubiloſo, altitudo *ultimæ in cauda ſerp.* definita fuit 45°, 56′; *Lucid. in cauda Aquilæ* 55°, 28′; *ſtellæ in extremitate alæ aquilæ ſiniſtræ* (Bayero δ) 44°, 39′. Die 19, aere nubibus non plane vacuo, flante valide zephyro, *ult. in cauda ſerp.* 45°, 53′; *Lucid. in cauda aquilæ* 55°, 30′. Die 20, aere puro, *ult. in cauda ſerp.* 45°, 53′; *Lucid. in cauda aquilæ* 55°, 28.

Ex collatione harum obſervationum, aſſumtis fixarum declinationibus ex Hevelio, ſupputavit Ill. Auror *latitudinem* ſive *Elevationem Poli VIENNÆ* 48°, 14′; *BUDÆ* 47°, 29′; *BAJÆ* 46°, 10′; ad *CONFL. DANUB. & DRAV.* 45°, 36′; *SEGEDINI* 46°, 16′; in *Caſtris* 54°, 20′; *SOLNOCI* 47°, 9′; *AGRIÆ* 48°, 0.

Obſer-

Digitized by Google

TAB. III. ad Ao. 1727 M. Jul.

Fig: 2.

Demirkapi. Hue Porta Ferrea, altitudo maxima

Millaria quorum 15 efficiunt gradum.

Babakaja rupes

Kolumbatz

Pont Trajani Ruïnæ

Observatas altitudines merid. Solis sequens ostendit Tabula:

Nomina locorum.	Menses & dies.	Alt. merid. Gr.	min.	Nomina locorum.	Menses & dies.	Alt. merid. Gr.	min.
	1696, Maji 10	59.	42	SEGEDINI.	1696, Jul. 4	66.	23
	15	60.	54		5	66.	27
	16	61.	6		13	65.	27
VIENNÆ	1697, Febr. 7	26.	46		19	65.	26
	23	32.	21	IN CASTRIS.	2	65.	13
	28	34.	14		21	65.	0
	Martii 1	34.	36		22	64.	47
BAIÆ.	1696, Jun. 3	66.	18		25	64.	10
	13	67.	42		Aug. 10	58.	10
AD CONFLUX.	14	67.	44	SOLNOCI.	11	57.	48
	23	67.	10		12	57.	31
	24	67.	9	AGRIÆ.	13	57.	14
SEGEDINI.	25	67.	8		20	54.	11
	26	67.	4		21	53.	52
	27	67.	0	BUDÆ.	28	52.	0
	29	66.	54		29	51.	39

Situm satellitum Jovis & distantias eorundem a Jove, quas diversis in locis iterum ac sæpius observavit, & Schematismis etiam expressit Autor, itemque phases Lunares, quoad marginem potissimum, quo tunc crescebat vel decrescebat Luna, eleganter depictas, ne longi simus, prætereundas arbitramur. Observatio vero Mercurii Solem transeuntis, quam Viennæ, 1697, die 3 Novemb. st. n. mane, cœlo sereno, habuit Illustr. Comes noster, quamquam jam alibi in peculiari descriptione latius expositam brevi saltim tabula hoc loco & schemate exhibet, omittenda non videtur. Ea est hujusmodi: TAB. III. Fig. 1.

Series Observationum.	Altitudo Solis, subtracta refractione juxta Ricciolum.		Tempora ex altitudinibus supputata.			Intervalla Temporum.		Distantiæ ☿ a limbo ☉, in partibus, quarum radius est 10000.
	Gr.	Min.	Hor.	Min.	Sec.	Min.	Sec.	
1	8	49	8	12.	24			3070
						8–36		
2	9	58	8	21.	0			2625
						9–8		
3	11	11	8	30.	8			2300
						9–20		
4	12	23	8	39.	28			1850
						6–32		
5	13	11	8	46.	0			1550
						5–20		
6	13	50	8	51.	20			1350
						5–20		
7	14	26	8	56.	40			1100
						7–40		
8	15	22	9	4.	20			700
						2–20		
9	15	39	9	6.	40			550
						12–16		
10	17	0	9	18.	56			Exitus.

Igitur
ex consequentia tabulæ:

1 Mercurius superatis vaporibus notanter in oculos incurrens in Sole morabatur, - - - - - Hor. 1. Min. 6. Sec. 32
acto autem calculo ab ortu Solis, - - 2. 8. 53
2 Tota in disco solari mora erat - - - 4. 44. 26
3 Egressus vero totalis contingebat - - - 9. 18. 56
Et quidem
4 Circa gradum peripheriæ 77, numerando a Nadir.

Memi-

Meminit quidem Ill. Autor, in præfatione huic Parti præmissa, tabulæ declinationum quatuor diversarum acuum magneticarum, in diversis locis observatarum, quam addere in fine hujus ipsius Partis voluisse videtur; sed ea deest. Neque etiam satis nobis constat, an inter observationes hactenus commemoratas illæ omnes comprehendantur, quas statim post jacturam Belgradi, A. 1690, se aggredi constituisse asserit, misso ea re exercitato in his studiis Juvene, *Jo. Mullero*, cum Quadrante Astronomico orichalceo (cujus radius erat 2¼ ped. Noric.) in loca varia insigniora, ut ibi fixarum altitudines meridianas dimetiretur. Sed nunc quidem ad *Partem tertiam*, sive *Hydrographicam*, nobis progrediendum est.

Hic primum locum occupat Mappa Potamographica, in qua fluvii ac fluvioli nominatiores fere omnes, qui in Monarchia Hungariæ ad Danubium, sive immediate sive mediate, confluunt, lacus item ac paludes, idea generali repræsentantur. In hac mappa, quatuor lineis rectis, a montibus australibus ad septentrionales transversim ductis, totidem respondent in sequenti tabula sectiones sive *Profila* integrarum regionum, quibus ostenditur, quanta depressione Danubius aliique insigniores quidam fluvii, respectu unius lineæ horizontalis terrarumque & montium circumjacentium, alveo suo decurrant. Addita etiam est tabula synoptica fluviorum, qui a monte Cætio ad Jantram fl. in Danubium illabuntur, cum provinciis & locis ostiorum atque originum, itemque magnitudine eorundem. Sequitur de alveo Danubii, de diversis ejus solis ac ripis, nec non de variis secundum latitudinem hujus & aliorum majorum fluminum sectionibus; porro de diversis horizontibus in superficie aquarum Danubii, de constitutione paludum Danubialium, harumque cum paludibus Tibisci subterranea communicatione; denique de variis motibus, incrementis, decrementis, vorticibus, qualitatibus & mistis aquarum Danubii, de fontibus ad metallifodinas, & iis quæ sulphureo-venenatæ creduntur, deque aquis thermalibus & balneorum circa Budam. Exempli gratia hoc loco tabulam exhibemus, varias declivitates superficiei Danubii, inter oppidum *Columbaz* & *Banul* Inf. repræsentantem, ac duabus potissimum constantem partibus; TAB. III.

Digitized by Google

tibus; quarum altera, sive superior, ostendit, quomodo aqua a tribus cataractis sustentata & de iisdem præcipitata, in majorem semper, respectu lineæ horizontalis AA, declivitatem delabatur; altera, sive inferior, ipsum Danubium, cum flexibus ejus naturalibus, & claudentes ac coarctantes eum montes; lineæ vero BBB, cataractarum in Danubio loca demonstrant. Ubi notandum, hanc nostram tabulam ex pluribus tabulis Illustr. Autoris contractam esse, scilicet ut uno obtutu aspici possint, quæ circa hæc Danubii loca inprimis notatu digna videntur.

TAB. III. Fig. 2. Exprimendam etiam curavimus, in adjecta figura secunda, sectionem aliquam Danubii, tempore depressionis aquarum, ut constitutio paludum intelligi exinde queat. In hac figura litterarum adjectarum sequens est explicatio:

A. Horizon Danubii in magna excrescentia.

B. Elevatio ambarum riparum, nempe unius penes vivum decursus fluminis, alterius habentis paludem quæ eam separat a Danubio.

C. Altitudo aquarum Danubii, tempore ipsarum depressionis.

D. Arundines palustres in solo, quod primum exsiccatur.

E. Foramina cancrorum. F. Terra nigra fœtida.

G. Terra cretacea mollis, per quam transeunt aquæ ad Danubium, per lacrimationes &

H. Canales, dictos *Foch*.

I. Notandum est pari modo eas lacrimationes fieri per planities, ad replendas paludes in iis existentes.

L. Terra cœrulea humida, per quam transit alter

M. Canalis major, qui defluit a lacu N.

Si aqua Danubii decresceret plus quam sit altitudo C, denuo alter canalis *Foch* fieret, & sic usque ad finem profunditatis lacus, magnaque copia piscium periret, cum universali aeris infectione. Ceterum hujusmodi paludes, quippe satis amplæ, profundæ & frequentes, in causa sunt, tum ut illuvies Danubii in provinciis inferioribus non statim persentisci queant, (replendæ enim antea sunt paludes;) tum ut amnis iste non adeo subitum aquarum decrementum patiatur, deficientibus nivibus ac pluviis; restituunt enim, quod abstulerant aquarum, paludes.

Jam

Jam quod attinet ad velocitatem Danubii, ea variis locis, in ſuperficie, in medio, & prope fundum, examinata eſt, idque ope quadrantis, in extremitate navis collocati & aquæ imminentis, ex cujus centro funem cum bolide demiſſum a vario undarum impetu varie propelli atque inclinari neceſſe fuit. Deprehenſum autem eſt hac ratione, tam quoad profunditatem, *undas, quo viciniores ſint fundo, eo agi velocius*, quam quoad diverſas ſtationes (quibus, eadem fluminis latitudine, eædem obſervationes repetitæ ſunt) *aquas, quo litoribus ſint propiores, eo tardiori motu, citatiſſimo autem in media fluminis latitudine, deſluere:* id quod clarius patet ex ipſis tabulis harum obſervationum, quæ in *Tomo ſexto* reperiuntur.

Ex iis, quæ circa incrementum & decrementum Danubii experiri licuit, concludit Autor, *fontes ordinarium quoddam alimentum, ſive per circulationes Oceani, ſive aliunde per vias ſubterraneas, de grandi illa maſſa elementi aquæ habere, illasque reſervationes nivium ac pluviarum, quæ per occultos meatus inter ſaxa montium decurrant, alimentum illud augere potius quam dare.*

Et hactenus de *primo Tomo* magni hujus operis. *Altero* de Antiquitatibus Romanorum, in Pannonia, Dacia, Miſia, & imprimis ad ripas Danubii, ſatis frequentibus copioſe atque eruditiſſime tractatur. Harum Antiquitatum pleræque, judicio Illuſtr. Autoris noſtri, de Romanorum olim prudentia, tam in debellandis hoſtibus, & imperii ſui limitibus proferendis, quam his ipſis, circumſpecta admodum & ſollicita muniminum diſpoſitione, contra illos defendendis, clariſſime teſtantur. *Is*, inquit, *cui militiæ artibus inſtructo de his judicium ferre fas eſt, haud fieri poteſt quin hæc videns demiretur ſummopere. Nec afferere refugiam, Cæſareos exercitus in iis habere quod addiſcant, quod imitentur. Nec enim in hac parte Antiquitatem ita rudem ac ſimplicem exiſtimemus, quin utplurimum non modo ad eum, ad quem ſeculi noſtri prudentia extollitur, apicem pervenerit, ſed etiam frequenter altius aſſurrexerit, & huic quodammodo facem prætulerit. Propria id nos docuit experientia, quandoquidem haud raro evenit, ut curæ noſtræ faciendum aliquid ex-*

ruendumque commissum fuerit, quod idem a Romanis olim fuisse præstitum, fidem vestigia faciebant. Hæc Noster; qui deinceps, ut anquitates illas recte a se Romanis adscribi doceat, id partim ex adjunctis inscriptionibus, partim ex conditis in illis locis numismatibus Romanis, ex ipso etiam ordine & constructione operum, aliisque argumentis demonstrat. Divisus autem est hic *Tomus* in *Partes duas*; quarum altera Antiquitates militares, altera miscellaneas complectitur. In priori Fortalitia, Valla, Aggeres, Castrametationes, & alia quæ huc referri possunt; in posteriori Inscriptiones, monumenta, ornamenta, lateres hieroglyphicis inscriptos, Metas, Scapos columnarum, & horum similia, reperire licet. Priorem partem ita rursus divisit Illustr. Autor, ut primo, ad modum itinerarii, ea commemoret, quæ ad utramque ripam Danubii existunt, ipsique proxime adjacent; deinde mediterranea, quæ in continenti longius distant, tum cis Danubium tum etiam ultra. Inter hæc primas merentur, agger ille altissimus longissimusque, qui a Danubio ad Tibiscum ultra sex milliaria integra excurrens, angulum ab utriusque fluminis confluxu factum includit, *die Rœmer-Schantz* a militibus Cæsareis vulgo appellatus; & celeberrimæ Trajani pontis ruinæ, quæ secundum omnes circumstantias depictæ, & luculenta descriptione illustratæ exhibentur; nec non vestigia pontis lignei, a Constantino, multa milliaria infra pontem Trajani, constructi. Ultimum inter has antiquitates locum occupant diversa genera viarum, per descriptas provincias olim stratarum; de quibus, tum quod ad formam, tum etiam quod ad materiam pertinet, erudite ab Illustr. Autore disseritur.

Pergimus ad *Tomum tertium Mineralogicum*, qui *octo Partes* habet. In *prima* de arenis, maxime Danubialibus, quæ partim pro limatura lapidum, partim etiam pro petrificationis quibusdam inchoamentis habentur, de variis earum generibus, de magnitudine cum naturali tum per microscopium visa, de figura, colore, sapore, & proportione ad commixtum lutum; deinde de ipsis quoque lapidibus, tam nobilioribus & quasi pretiosis, quam minus nobilibus atque arenosis, in hoc fluvio & prope illum obviis, deque eorum forma, duritie, & anatomia, exponitur.

Digitized by Google

tur. In *altera* tabulæ mineralographicæ ac metallographicæ, fodinas fere omnes Hungariæ, variasque earum sectiones luculentissime exhibentes, cum succinctis descriptionibus afferuntur. *Pars tertia* de organica montium structura, de cortice terreo, superpositis stratis, interstitiisque cum glutine illo humido atque arenoso, (dicto *Klufft*) nec non de venis & lineis metallicis, harumque rerum situ & figura tractat. *Pars quarta*, quæ est de mineralibus mediis, tribus sectionibus absolvitur. Harum una de sale fossili communi agit; ubi sub finem annexa est descriptio aquæ salsæ amaræ, quæ scaturit in Transilvania, ad pedes collium vitibus refertorum. Neque vero salsedo & amaritudo hujus aquæ tantum affert admirationis, quantum alia ejus proprietas, ardendi, igne admoto. Hi mirabiles fontes sunt in sede Saxona, aut districtu *Megyes*, inter utrumque fluvium *Cocul* majorem & minorem. Distant 1½ hora a territorio *Bastra*, suntque principium rivuli fluentis per vallem. Solum collium & vallium vitibus & frumentis fertile; collibus textura de marmore, nec sine Gypso: aqua nuncupatur a Saxonibus *Saltz-Wasser*, a Wallachis *aqua ardens*. Fons constat duobus receptaculis, majore & minore, per quæ exit aqua, quæ cursu 400 passuum immiscetur duobus aliis rivulis, qui scaturiunt a vivo silice. Receptaculum majus habet diametrum palmorum 3¾, & sua majori profunditate 6 palmos æquat: minus & diametro & profunditate palmos 1½ æquat. Minori unum, majori duo sunt orificia, per quæ sine interruptione fit ebullitio, quæ perpendiculariter a fundo ad superficiem, cum stridore ascendit. Aqua limpida & tactu frigida est, sed nihil obstante universali gelu non erat conglaciata per tota receptacula, sed confluens deinde in rivulum succubuit vi glaciei. Dimidia hujus aquæ amphora, post evaporationem, in fundo vasis deposuit sal crassum amarum, quod projectum in accensos carbones nequaquam arsit. Affuso spiritu vitrioli nihil fermentationis observatum; per oleum Tartari vero exigua quædam detecta fuit conturbatio in aqua, unde orta est præcipitatio coloris albi: ex quo colligere licuit, acido potius quam alcalico accedere. Parvam facem e palea composuit Illustr. Comes noster, qua accensa & superficiei fontis

impoſita, poſt aliquot momenta plures elevatæ fuerunt flammæ, æquantes longitudine digitum & crepitantes ad inſtar pulveris projecti in accenſos carbones: poſt 4 aut 5 alias vibrationes evanuerunt & paullo poſt in conſpectum rediere. In minori receptaculo experimentum promtius & facilius fuit, dum fax aquæ admota, atque etiam palmo uno cum dimidio diſtans, in cauſa fuit, ut ſurgerent deſcriptæ flammæ, quæ ſpatio 60 pulſus vibrationum perſtiterunt, & admota rurſus face pariter aſſurrexerunt. Experimenta hæc molitus fuit Autor menſe Januario, magno frigore & multa nive rigente; qui cum tractaret facem paleæ, decideretque forte in terram modica palea accenſa, continuo flamma ſurrexit & elevata fuit ultra digitum unum cum dimidio, perſtititque 120 vibrationibus. Quo loco, remota diligenter nive, novum perexiguum in ſolo receptaculum detectum eſt. Quod cum ad latitudinem duarum unciarum per quadratum eſſet productum, ita ut aqua cum impetu ebulliens atque effluens appareret, tum igne rurſus admoto, flamma quidem exorta, ſed non diutius quam 40 vibrationibus perſtitit. Quo experimento intellectum eſt, latitudinem receptaculi contrariam eſſe vi flammæ. Ceterum aqua, tempore deſcriptarum flammarum, nec augetur nec imminuitur, nec mutat naturalem frigoris gradum, nec colorem; niſi quod interdum ſpuma prope effluxum obſervata fuit, præſertim in majori receptaculo, cum ignis admoveretur. Flamma in aqua coloris eſt ſimilis colori paleæ, & naturæ conſiſtentis, quandoquidem & ipſa accendit alia corpora, quæ ei admoventur. Denique aqua extracta e ſuo receptaculo conſeſtim ardendi virtute deſtituitur. Deſcriptionem fontis non diſſimilis, in Polonia reperti, vide in Actis noſtris A. 1684 Menſ. Jul. p. 326. Sectio altera *Partis* hujus *quartæ* de corporibus agit petrefactis, atque imprimis de radicibus arborum prope ripas fluminis *Unnæ* in Croatia; quas radices cruſta lapidea, ex granulis conſtante nonnihil mollibus, albis ac friabilibus, obductas ferme omnes, quin & ipſas arbores penitus aridas, fractisque earum nonnullis, ſubſtantiam ligneam abſumtam notavit Autor, relicto duntaxat pulvere in tubulis petrificatis: id quod ex eo fieri arbitratur, quod undæ hujus fluminis, quantumvis aſpectu limpi-

limpidæ, multas minutiores arenulas, a saxis mollioribus, per quæ fluant, abrasas, ad arbores illas earumque radices & poros continuo deferre consueverint. Omissa sectione tertia de vitriolo, ad *quintam* hujus Tomi *Partem* progredimur, quæ rursus in Sectiones quatuor divisa est. In prima tractatur de lapidibus minus pretiosis majoribus mollibusque, Gypso, Amiantho, Talco; in altera de minoribus ac duris, Magnete, lapide Lazuli, Aetite, Saponario; in tertia de lapide pretioso majore, Crystallo, qui nihil esse alsud docetur, quam ramificatio seu propagatio durissimi silicis *Quartz*, cujus puriores ac tenuiores partes, ubi interius in ipso silice aliquid vacui sortitæ sint, ibi tanquam in proprio nido concrescere, atque adeo in angulosas illas & acuminatas crystallos sese explicare soleant, sicut in adjecto schemate ostensum est, TAB. III. ubi A A A exteriorem rudioremque silicis corticem designat, Fig. 3. B B B interiorem ac magis candicantem, intra quem cum vacuum, sive spatium aliquod C C C nanciscitur silex, ibi vegetat crystallus, in angulosos apices D D D desinens, quam comitantur nonnunquam & ambiunt, tanquam tenerioris musci filamenta, fibræ purioris argenti E E E. In *quarta* denique sectione de lapidibus pretiosis minoribus, sive gemmis, de Granato, Hyacintho, Turcoide, Opalo, differit Illustr. Autor; quos quidem lapides, perinde ut crystallos, ex silice *Quartz* oriri, atque inde aquarum alluvionibus, vel etiam aliter divelli, coloribus autem diversis ab halitibus cinnabaris, vitrioli, & forsan auripigmenti, imbui existimat. *Pars sexta* sectiones habet duas: quarum altera est de metallis veris atque perfectis, auro & argento; altera de imperfectis, ære sive cupro & ferro. Aurum non modo in fodinis, sed & extra eas in fluminibus inter arenas, & annulorum specie circa arbusta & culmos triticeos, imo in acinis uvarum aliquando reperitur. De cupro notabile est, quod ferrum in illud transmutari videtur, ope aquæ, a magistris fodinarum *Ciment* nuncupatæ. Scaturit hæc aqua a certis fontibus, originem & cursum per cuprifodinas *Gerrn-Grund* vel *Neusol* habentibus. Purum inest vitriolum, ex quo alias notum, totam fere suam substantiam trahere cuprum. Colligi in fodinis aqua illa magno studio in receptacula quædam asservatoria soler, non alio fine, nisi ut laminæ fer-

reæ ipſis immerſæ haud quidem patiantur ridendam illam vulgo creditam transmutationem unius metalli in alterum, puta ferri in cuprum, ſed ut ferri ſaltim auxilio (quod eſt cupri veluti magnes) habeatur ſegregatio particularum cuprearum, una cum aquis defluentium, & quæ facile ibi cum ferro ſocietatem ineunt ipſique affiguntur. Porro in hac naturæ operatione ſequentia obſervavit Illuſtr. Autor: laminæ ferreæ rubra aut lutea pellicula operiuntur, quæ 3, 4, vel etiam plurium hebdomadum ſpatio conſolidatur, conſtans granulis ſubrotundis, & figuram illius ferri quod inveſtit aſſumens; idcirco ſolent identidem artifices ferrum figuratum illi aquæ immergere ad curioſorum oblectamentum. Perfecta dicti corticis conſolidatio non fit, donec ferrum fuerit penitus conſumtum; etenim aqua iſta, inſtar aquæ regiæ, permeat ferri fibras, & ferrum penitus ſolvit: qua fermentatione ſeu ſolutione durante, incaſſum ſolida coagulatio expectatur: durat vero ea longius vel brevius, juxta majorem minoremve ferri diſſolvendi craſſitiem; nec lamina craſſitiem unius digiti æquans minus quam 6 vel 8 hebdomadas requirit. Porro obſervatum eſt, tacta illa cuticula, cum adhuc ferrum cum aquis iſtis fermentesceret, eam ſtatim diſſiluiſſe, inſtar pulveris diſperſam, totumque opus perturbatum fuiſſe. Affuſo fluido alcalico ſuborta fermentatio in aqua; qua durante, quædam fruſtula concreverunt, & ſe ad fundum præcipitarunt: verum aqua ipſa, poſt demiſſum ſedimentum, alba evaſit, cujus etiam moles plus aut minus intumeſcebat, prout plus vel minus aciditatis ſortiebatur. Denique nec artificialem hujus humoris compoſitionem pertentare intermiſit Illuſtr. Comes. Aquam quippe ſimplicem in vaſe vitreo cum ferro ſociavit, & cum vitriolo e ſodinis extracto, ubi aqua *cimenti* defluit: quo facto obſervavit, floccos ſeu metallicam lanuginem ferro adhæſiſſe, quoad analogiam atque effectus omnes antea expreſſos ſimilem. Aquarum hujuſce generis copia fluit etiam intra viſcera ſodinarum *Deſelmnitz*, in Sepuſienſi Comitatu, quæ ferro affuſæ ſimiliter particulas cupreas deponunt: imo ibi major aquarum ubertas, viribus tamen minus potentium: id quod Autor tribuit negligentiæ tegendi locum illum, ubi eſt receptaculum aſſervatorium pro ferro immergendo, quandoquidem ſpi-

ſpirituoſiores Vitrioli particulæ aquis immiſtæ, uberius ac facilius evolant. Hinc quod in Newſoll tribus quatuorve hebdomadis, id hic loci non niſi trimeſtri ſpatio perficitur. De cetero nec iſtud prætermittendum, quod, ubi ferri aliqua pars non fuerit aquis illis obtecta, tunc cortex puri vitrioli, albi coloris, eam ſuperius involvere obſervatur, quia ſcilicet tenuiſſimi ac defæcatiores halitus vitriolici copioſe per ambientem aerem eo loco diſſeminatī, dum in partem ferri aquis non obtectam impingunt, facile illi adhærent, & ſimul in formam cruſtæ colliguntur.

Pars ſeptima hujus Tomi de metallis agit improprie ſic dictis ſive ſpuriis, de Biſmuto ſeu Marchaſita argentea, Antimonio, & Mini o ſeu Cinnabari nativa; de Mercurio item & plumbo, quod quidem in Hungaria invenitur, ſed propter mineræ paupertatem non effoditur. *Parte* denique *poſtrema* de ſeminio ac generatione metallorum ad hunc fere modum philoſophatur Excellentiſſimus Comes Marſili: Halitus, inquit, ſeu metallici ſpiritus, in montibus non tam facile perviis irretiti ſiſtuntur, in metallum progreſſu temporis coagulandi; quod fit auxiliante humore, argilloſæ terræ inſito, & magna ex parte communicato a pluviis, nec non ab aere vaporoſo, poros terræ *Kluffi* jugiter ſubeunte: quo ſane humore, ope hujusmodi terræ aliquatenus præparato, indeque in lapides montium, retinentes metallicum ſpiritum, ſe inſinuante, tandem halitus ac ſpiritus illi ita digeruntur atque coagulantur, ut metallum ipſum reſultet. Et paullo poſt, quod vero halitus, inquit, ſeu metallicus ſpiritus in metallum denique digeratur, hoc valde comprobat aurum, metallorum omnium puriſſimum; ſiquidem hoc vel in puncta ſeu granula, vel in ſtrata, ibi ſolum ordinaria naturæ lege coagulari cernimus, ubi duriſſimus habitat lapis, metallorum foſſoribus *Quarz* appellatus; quoniam inſignis volatilitas partium tenuiſſimarum, ad compagem auri neceſſariarum, ſatis retineri ac denſari non potuiſſet, niſi denſiſſimo hujusmodi ſilice terram iſtam, *Kluffi* dictam, circumambiente, & ita ſpiritui metallico apta vincula injiciente. Confirmationem dictis ſuggerit mons Juniperinus, prope civitatem *Alt-Sol*, ubi aurum non intra montem, ſed ſupra terram, circa triticeos culmos atque arbuſta interdum coagulatur in craſſiuſcula fila-

filamenta, ſpiralis aut parum abſimilis figuræ; idque ob defectum, (ut Autor judicat) duriorum lapidum montem ipſum componentium, cum mons tantummodo lapidibus conſtet arenoſis maximeque poroſis, quemadmodum diſcere licuit ex ſodina ab incolis aperta, ſpe inveniendi ingentes auri theſauros, qui radix eſſent aureorum corpuſculorum ſupra terram ſe elevantium; veruntamen ſpe infeliciter fruſtrati non niſi purum vitriolum cum ferri fruſtulis ac talco invenerunt. Ceterum veriſimile putat Vir illuſtriſſimus, in ipſo aere, ſuperficiem hujus montis ambiente, licet nullum ibi ſit *Quarz*, ſpiritus metallicos ſiſtens, latere tamen aliquid, quod idem efficere valeat. Id autem quale ſit, aliis inquirendum relinquit.

Nunc ad *quartum* & *quintum Tomum* hujus operis progrediendum eſſet, ubi piſces atque aves, in aquis Danubii, & circa eas, viventes ſiſtuntur. Sed ne longi ſimus, lectores qui his rebus delectantur, ad ipſum incomparabilem Autorem ablegare, ſtatimque ad *poſtremum Tomum* accedere conſtituimus. Comprehenduntur eo obſervationes miſcellaneæ, quæ partim circa priora magis illuſtranda, partim etiam circa res plane novas verſantur; quarum ſingulas ſi ſuſius tractaſſet Excellentiſſimus Comes noſter, quod ipſe quidem tot curis negotiisque vetantibus facere non potuit, compluribus adhuc Tomis augendum opus fuiſſet. Et primo quidem loco de veris Danubii fontibus diſquirit, quos perperam vulgo in *Doneſchinga* arce, paullo infra *Villingen*, aſſignari docet; quippe multo altius, prope *Brukelrein*, in ſummitate montis *Abnobæ*, nunc *Schvvartz-Wald* dicti, a ſe ipſo repertos. Ceterum præter tabulas, quibus hanc rem luculenter ante oculos ponit, etiam aliam adjecit mappam, qua *Æni* fluminis origo, ſimul cum duplici illa Danubii origine (falſa ſcilicet ſeu Doneſchingiana, & vera) exhibetur, ut ex utriusque comparatione cuilibet proclive ſit judicare, *annon forte Ænus, qui ſatis longum decurſus ſui ſpatium emenſus, tandem Danubio, aquali circiter cum hoc aquarum copia auctus, miſcetur, fontes vero multo altiores habet* (nempe in excelſo illo Helvetiæ monte *Septimo*) *jure magis naturali pro ipſo Danubio reputari poſſit*; ut adeo ſummitas montium totius Europæ maxima, omnes etiam maxi-

Digitized by Google

maximos Europæ fluvios emitteret. Sequuntur Obſervationes quædam Anatomicæ, in Aquila potiſſimum, Onocrotalo, Huſone & Lutra factæ, tabulisque æneis accurate atque elegantiſſime expreſſæ. Porro experimenta aſſeruntur, quibus velocitas Danubii ad pontem Petrowaradini, itemque velocitas Tibiſci ad pagum *Sabbia* atque ad pontem *Betz*, ope Quadrantis, de quo ſupra dictum, explorata fuit. In majori profunditate Danubii, quæ loco commemorato 7 orgyas æquavit, deprehenſa eſt velocitas ſuperior 12, media 26, inferior 30 graduum; unde colligitur, tanti fluminis velocitatem paullo minus triplo majorem eſſe in inferiori quam ſuperiori parte. In Tibiſco, ad pontem *Betz*, ubi major profunditas ſex orgyas æquavit, velocitas inferior ſuperiorem ſexies ſuperare inventa eſt. Poſthæc de varietate aquarum fluentium, ſtagnantium, putealium, mineralium, glacialium, pluvialium, thermalium, quæ multoties Danubio immiſcentur, ea ratione agit Illuſtr. Autor noſter, ut primo quidem experimenta ipſa complurибus tabulis exhibeat, ac deinde annotationes quasdam & concluſiones ſubnectat. In tabulis experimentorum, præter loca & tempora habitarum obſervationum, colores, ſapores, odores, fermentationes, mutationesque poſt decoctionem, evaporationem ac deſtillationem, itemque pondera iſtarum aquarum quam curioſiſſime definit. Ex obſervationibus circa aquas fluviatiles factas colligit:

1. Nullam eſſe pejorem aqua Tibiſci circa Segedinum, in ripa Septentrionali, utpote quæ odorem valde terreum reddebat, & ſaporem virioſum, obſcurique erat coloris: contra nullam meliorem eſſe aqua fluminis Maruſii, circa *Makort*, in ripa quoque Septentrionali, utpote coloris clari columbini, nullius odoris, ſaporis optimi:

2. Advertit, aquas ripæ Septentrionalis (excepta illa Maruſii circa *Makort*) eſſe impuriores ac deteriores meridionalibus. Meridionales autem & ſeptentrionales nuncupantur aquæ fluviorum, reſpectu Danubii.

3. Annotat, nullas aquarum illarum, tam ripæ meridionalis quam Borealis fermentationem feciſſe, affuſo ipſis vel Alkali Tartari vel Acido Vitrioli, exceptis ſolum aquis ipſius Danubii circa

Viennam & Briam; quarum illa, ſaporis pinguiter amari, cum acido vitrioli viſa eſt excitare parvulos globulos, hæc, ſaporis itidem pinguiter amari & terrei, cum Alkali Tartari excitavit quid ſimile albidæ nubi.

4. Obſervat, nullum dictarum aquarum ſedimentum, evaporato humore, paſſum eſſe accenſionem, ob inopiam fortaſſe particularum ſulphurearum, vel quia hæ nimis a terreſtribus obrutæ.

Ex præmiſſis circa aquas puteales experimentis concludit:

1. Eas, utpote omnes coloris clari, nullius odoris, ſaporis vero dulcis, longe meliores eſſe ac defæcatiores, quam vel aquas fluviatiles vel ſtagnantes ad ripas Danubii.

2. Obſervat, nullam iſtarum aquarum, affuſo acido vitrioli, paſſam fuiſſe fermentationem ſenſibilem, at vero omnes, affuſo Alkali Tartari, excitaſſe nubeculas albas, ad fundum deſcendentes, quod indicare videtur, particulas ſalium acidorum teneriores, ſeu ſpirituum hujus generis, delitescentes in ipſis.

3. Annotat, ſedimentum hujusmodi aquarum, poſt evaporationem, nullam ſenſibilem flammam concipere, at fumare tamen, ſtridere, & pinguedinem ex ſe præbere. Quoad ſaporem vero, tametſi aqua putei ad Arborem viridem Budæ ſit dulciſſima, & dulcis etiam ad molendinum Bajæ, nihilominus prioris ſedimentum ſaporem habet valde nitroſum, poſterioris autem ſapor quoque nitroſus eſt, ſed non adeo intenſus.

Ex obſervationibus circa aquam nivalem, ad ripas Danubii habitis, colligit:

1. Eam habere ſaporem acrem, linguam mordicantem (ſedimento erat ſapor cinerum) forſan a particulis nitro-ſalinis excitatum, quæ prius coagulationem nivis genuerunt.

2. Tam ipſam aquam, quam ejus ſedimentum odorem nullum præbere; quod reſundi poſſit in particularum ſulphurearum defectum; quamvis ſedimentum ſuſciperet accenſionem ſine fumo, forſan quia non niſi particulas ſalino-nitroſas ſuggerebat.

3. Aquam illam, affuſo ſive Alkali Tartari, ſive Acido Vitrioli, nullam excitaſſe fermentationem.

Circa aquam glacialem Danubii obſervat, eam in multis quidem

dem convenire cum aqua nivali, ceterum discrepare tum sapore, qui in aqua glaciali terreus Alkalicus vel amaricans fuit, tum quoad sedimentum, quod tentata accensione fumum ex se statim dedit, odoremque vini habuit. Porro ut aqua nivalis levior aqua pluvia, sic glacialis levior aquis omnibus reperta est.

Post observationes hactenus commemoratas sequitur catalogus satis copiosus plantarum, quæ circa Danubium, in nemoribus, insulis, collibus, aliisque finitimis locis sponte proveniunt, quasque, pro temporum ac graviorum munerum conditione, observare potuit Illustr. noster Marsilius. Hunc catalogum excipit brevis tractatio de Quadrupedibus ad ripas Danubii. Proximæ sunt observationes habitæ cum Barometris & Thermometris. Ubi primo quidem tabulæ exhibentur, quæ qualitatum aeris variationes, a mense Decembr. 1696 ad Augustum 1697, quam luculentissime repræsentant; ac deinde annotationes quædam subjiciuntur, minime profecto negligendæ: exempli causa, quod Mercurius in barometro meridionali, tota hyeme, & magna veris parte, nempe a mense Decemb. ad d. 8 Maji, semper altior, contra sub finem veris, & æstatis progressu, semper depressior fuit, quam in barometro septentrionali; quod, non quidem semper, at sæpius tamen accidit, ut Mercurius in uno atque eodem barometro plures attingeret gradus ante, quam post meridiem; quod identidem evenit, ut, crescentibus ante meridiem, & decrescentibus post meridiem graduum particulis, in barometro meridionali, eodem die in barometro septentrionali, plane contrario modo, particulæ istæ ante meridiem decrescerent, & crescerent post meridiem; quod barometrum singulis diebus, licet inter se aeris conditione similibus, hoc est, quibus singulis Sol splendebat, vel cœlum erat nubilum, vel ningebat &c. quod, inquam, barometrum, diebus illis similibus, similem altitudinem graduum minime servavit; quod interdum cœlo sereno altitudo barometri major fuit quam nubilo, & cadente nive, interdum plane contra; quod cum frigore intensissimo ac remisso non semper conjuncta fuit diversa altitudo Mercurii in barometro; quod in Thermometro orientali altitudo graduum semper major fuit quam in occidentali, habita in utroque eadem hora observatione; quod in thermometro me-

ridionali, a die 23 Jan. ad diem 23 Martii, constanter altitudo graduum major observata fuit quam in septentrionali, cum postea contrarium usu veniret, atque altitudo illa major reperiretur in thermometro septentrionali quam meridionali; quod frigus intensissimum nec pendere a peculiari vento, nec absolute ab ullo vento compertum est, quanquam flante Africo fere semper in aere aut nullum frigus aut exiguum fuit; quod neque serenitas aut nubes, nec calor ipse in aere ambiente connexionem servavit cum particulari vento, imo nec absolute cum vento; ut alias hujus generis annotationes nunc prætereamus.

Sed & judicium nonnunquam suum interponit Excellentissimus Autor noster, de causis observationum commemoratarum. Verbi gratia, de contraria excessuum altitudinis permutatione in Barometro meridionali ac septentrionali, ad hunc modum sententiam suam exponit: Cuinam causæ, inquit, sit tribuenda ista mutatio, mihi non videtur tam promtum statuere, nisi forsan variationi ortus Solis, in diurnis circumlationibus, quæ scilicet hyeme & post veris initia fiunt propius plagam meridionalem; unde hæc magis forsan a Sole alteratur, tuncque major est altitudo in Barometro meridionali, respectu septentrionalis; at vero appropinquante veris fine, & succedente æstivo tempore, tunc Solis exortus, diurna circulatione, fiunt magis prope plagam Borealem; unde hæc magis forsan a Sole alteratur, tuneque major evadit altitudo in septentrionali Barometro, respectu Meridionalis. Veruntamen admodum hæsitanter sint dicta; oportet enim animadvertere, an cetera bene consentiant.

Postremus in egregio hoc opere locus tributus est insectis; quorum alia sunt terrestria, quæ ad ripas Danubii & Tibisci reperiuntur, alia circa aquas vagantia, alia denique in ipsis aquis degentia. Horum omnium variæ species oculis exhibentur; nonnulla etiam, prout per microscopia apparuerunt, sunt delineata. Atque ex his universis satis superque constare arbitramur, quanta industria, eruditione, atque ingenio, quanto etiam ad posteritatem fructu, Illustriss. Autor res propositas pertractaverit.

Schau-

Schau-Platz der Brücken und Brücken-Baues ꝛc.

hoc eſt,

THEATRUM PONTIFICIALE, AUTORE JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mechanico, Conſiliario Pot. Regis Poloniar. & Elector. Saxon. diverſarum Societatum Regiarum Membro.

Lipſiæ, ſumtibus Autoris, 1726, fol.

Alph. 1 pl. 21 Tabb. æn. 57.

AUtor induſtrius & ingenioſus, qui initio hujus anni diem ſupremum obiit, antequam opus cœptum abſolvere potuit, in præſenti Tomo Theatri machinarum, quem *Theatri pontificialis* nomine inſignivit, conſueta induſtria collegit, quicquid de pontibus eorumque ſtructura reperire licuit. Poſtquam igitur inſtitutum ſuum aperuit & pontes in ſua genera diviſit, hæc vero denuo in ſuas ſpecies ſubdiviſit; varios exponit modos flumina trajiciendi. Occurrunt hic inter alia *Franciſci Kœsleri* hydraſpis una cum cingulo & caligis aquaticis; campana urinatoria, cujus ex *Lorini* Architectura militari figuram duplicem, ex *Georgii Sinclari* autem Arte magna & nova gravitatis & levitatis figuram emendatam deſcribit, non neglecto *Sturmii* experimento in ipſius Collegio curioſo, factaque mentione eorum, quæ *Nicolaus Wiſten* in opere Belgico de Architectura navali & celeberrimus *Hallejus* in peculiari tractatu Anglico de arte ſub aquis vivendi eam in rem moliti ſunt; duo genera cingulorum, lorica, ocreæ, lectus & alia machinamenta in eandem uſum excogitata. Deſcribit quoque Autor inventum *Borelli*, de quo diximus in his Actis A. 1683 p. 75, & quæ in iisdem p. 553 *Jacobus Bernoulli* eidem oppoſuit, fideliter recenſet; modum, quo utuntur piſcatores in Braſilia ad flumen trajiciendum, ex *Frezierii* Itinerario; inventum recentiſſimum, quod potentiſſimo Regi noſtro obtulit artifex quidam, facto apud nos A. 1724. d. 28 Jan. experimento, cui ipſe Autor interfuit, atque *Wagenſeilii* hydraſpidem ex Actis A. 1691 p. 40 & ſeq. Digreditur inde ad ſtructuram pontium & gene- C. 1. C. 2. C. 4.

C. 4. generalia quædam præmittit Architecto obſervanda: & mox ſpecialiora tradit, veluti de diſtantia pilarum & altitudine arcuum in pontibus lapideis, de diſtantia palorum in ligneis atque de anteridibus. Exponit artificia ad eludendum impetum aquarum excogitata, ubi, ut & in ſequentibus, duce utitur *Gautierio* in opere Gallico de pontibus. Eidem accepta referenda ſunt, quæ de aquis ex flumine aliorſum deducendis, ubi pons condi debet, de lignorum uſu, qualitatibus, menſuris; & de aliis in ſtruendis pontibus neceſſariis in medium profert, quamvis hinc inde quædam interſpergat aliunde hauſta. Generalibus abſolutis, ad ſingula pontium genera pergit, nec hic Ducem ſuum deſerit. Primo igitur loco fiſſit pontes ligneos, ubi penſiles quoque delineat, omnium ſane artificioſiſſimas. Pontium ligneorum penſilium genera viginti duo deſcribit paſſim vel extructa, vel apud autores obvia. Similiter poſtquam regulas quasdam architectonicas de ſtructura pontium lapideorum propoſuit, eorum octodecim genera delineat, ſive ipſo opere extructa, ſive apud Autores, qui de Architectura civili argumenta particularia attingunt, obvia. Accidit ſæpiſſime, ut pontes ab aquis, imprimis autem a glacie damnum patiantur: quamobrem Noſter ex *Gautierio* atque *Furtenbachio* docet, quomodo reparatio fieri in iſto caſu debeat, ſive pontes ligneis fuerint, ſive lapidei. Accedit ab hiſce ad pontes ſublicios, quales communiter portis urbium præſtrui ſolent, & his ductarios jungit una cum iis, qui navibus imponuntur, & quorum in bello uſus eſſe ſolet, ubi plurima inventa deſcribuntur. Agmen denique claudunt inventa quædam de pontibus ſingularia, quæ aliis locis commode inſerere non licuit. Comparet hic *Gærtneri*, nuper quoque rebus humanis exemti, pons penſilis ad 400 pedum intervallum extendendus, una cum aliis nonnullis ejusdem artificis inventis agnatis. Et ex *Fiſcheri* opere auguſto architectonico, de quo diximus in Actis A. 1723 p. 326, repetitur pons Sinarum ex catenis ſtructus.

C. 5.
C. 6. & ſeqq.
C. 13 & ſeqq.
C. 17 & ſqq.
C. 19.
C. 20 & ſqq.
C. 23.

DAVIDIS GREGORII M. D. ASTRONOMIÆ Profeſſoris Saviliani Oxoniæ & Regalis Societatis Londinenſis ſodalis, Aſtronomiæ Phyſicæ & Geometricæ Elementa.

Secun-

Secunda editio revisa & correcta. Accesserunt præfatio Editoris; Cometographia Hallejana in modum Appendicis; brevis ad calcem Horologiorum Sciotericorum tractatus, & duplex Index, primus Sectionum & Propositionum, alter rerum & verborum copiosus.

Tomi II.

Genevæ, apud Marc. Mich. Bousquet & Socios, 1726, 4, chart. maj.

Alph. 5 pl. 16 Tabb. æn. 47.

CUm opus præclarum primam lucem in Anglia adspexisset, de eo fuse diximus in Actis A. 1703 p. 452 & seqq. Rarissimum cum esset, extra Britanniam præsertim, *Bousquetus*, bibliopola Genevensis, de rerum Astronomicarum cultoribus bene meriturus cum Sociis, novam ejus dedit editionem. Inscripsit eam Serenissimo Principi *Ludovico* Aurelianensium Duci, cujus imago æri nitide incisa operi præfigitur, & in Dedic. fatetur, quod eam Germanis imprimis destinaverit, apud quos studia Matheseos acrius vigeant, quam ubicunque terrarum. Cl. Editor, cujus opera usus *Bousquetus*, nomen suum post præfationem profitetur: est nimirum C. *Huartus*, qui Matheſin & Philosophiam colit. Secutus is est editionem Oxonienſem A. 1702, quam in his Actis *loc. cit.* commendavimus; correxit errata, quæ in eam irrepserant & schemata, quæ ligno erant incisa, textuique inserta, in Tabulas retulit atque ut ea æri eleganter inciderentur, autor fuit editoribus. Promiserat annotationes aliquot in totum opus distribuendas, sed cum per typographorum in adornanda hac editione, ut ait, diligentiam stare non posset, ne suas cum auro *Gregorii* quisquilias misceret, aliqua tantum in prolixa præfatione adjecit tyronibus ad intelligendas *Gregorii* propositiones utilia & ad corrigendas assertiones nonnullas, in quibus *Gregorium* a vero aberrasse censet Noster. *Gregorius* opus cum Sole & Luna duraturum daturus a numeris abstinuit, quos continuata per secula secutura observatorum industria immutare solet. Quamobrem ut tyrones demonstrationes ipsius geometricas & physicas cum Astronomorum recen-

recentium observationibus & rationibus arithmeticis comparare possent; hunc defectum Cl. *Huartus* supplevit. Brevem igitur totius mundani systematis conspectum exhibet, numeris ex optimis autoribus, *Commentariis* scilicet Academiæ Regiæ scientiarum *Parisinæ*, *Keplero*, *Philippo de la Hire*, *Cassino*, *Newtono*, *Hugenio* & *Keillio* in theoriis planetarum, eorumque revolutionibus, distantiis item atque magnitudinibus veris definiendis transcriptis. Subjungit conspectum totius operis Gregoriani, qui Introductionis loco inservire potest tyronibus, tum illis etiam satisfacit, qui historicam operis profundi notitiam anhelant, immo historicam Astronomiæ notitiam expetunt. Explicat denique anomalias planetarum non minus in hypothesi circulari, quam elliptica in eorum gratiam, qui calculi Astronomici ideam quandam animo concipere gestiunt. *Astronomiæ Cometicæ* synopsis Astronomi celeberrimi *Halleji*, quæ in Appendice primo loco comparet, desumta est ex Transactionibus Anglicanis A. 1705 *Num. 297*, & legitur in Actis A. 1707 p. 218 & seqq. Brevem horologiorum sciathericorum tractatum, qui alteram appendicis partem absolvit, Editor composuit; quatuor ejus sunt capita, quorum primo faciliora quædam Gnomonices problemata continentur; secundo modus horologia regularia in plano delineandi declaratur; tertio modus describendi horologia declinantia, inclinata & mixta exponitur; quarto denique horologia solaria per angulorum calculum describi docentur. Praxi contentus Autor demonstrationes prætermittit.

THE NATURAL HISTORY OF THE EARTH, illustrated &c.

i. e.

JO. WOODWARDI HISTORIA NATURALIS Telluris, illustrata, aucta, defensa; atque nunc ex Latino in Anglicanum sermonem conversa, addita demonstratione physica existentiæ & providentiæ divinæ, aliisque schedis Wood-

Digitized by Google

Woodwardianis antea nunquam impressis, a BENJ. HOLLOWAY, L. L. B. & Societatis Regiæ Sodali.

Londini, apud Thom. Edlin, 1726, 8.

Alphab. 1.

TRedecim jam præterlapsi anni sunt, ex quo *Historiam Naturalem Telluris illustratam & auctam* in lucem edidit celeberrimus *Woodvvardus:* in quo libro, lingua latina conscripto, id potissimum egit, ut doctrinæ, in elaboratissimo suo *Tentamine* propositæ, præcipua quædam capita & luculentius explicaret, & ab objectionibus Cl. *Eliæ Camerarii* defenderet. Hoc scriptum in sermonem Anglicanum nunc convertere, introductionemque præmittere satis amplam, operæ pretium judicavit Vir Nobilissimus, *Benj. Hollovvay.* Nec dubitare licet, quin rem gratissimam fecerit iis omnibus, qui Philosophiam Naturalem rite colunt, & quid in ea illustranda præstiterit Cl. *Woodvvardus*, non ignorant. Agit autem in laudata Introductione cum de hoc ipso, tum & de aliis, partim jam editis, partim nondum editis operibus *Woodvvardianis.* Imprimis ex opere illo majore, de Historia Naturali Telluris, quod jam diu ab eruditis desideratum etiamnum premit celeberrimus *Woodvvardus*, præclara quædam loca, ipsius Autoris verbis, & bona cum ejus venia, transcripsit. Unus horum locorum demonstrationem physicam complectitur existentiæ & providentiæ divinæ, ex mutata ac renovata rerum natura post diluvium, itemque ex gravitate corporum naturalium, hoc est ex nisu eorum ad certum centrum, atque ex ipsa denique animalium admirabili fabrica desumtam: ubi imprimis de generatione disserit doctissimus Autor, hypothesinque *Leeuvvenhœkianam* de vermiculis seminis masculini coarguit, atque prima futuri fœtus stamina in systemate vasorum sanguineorum, cum corde, consistere docet, ita ut universæ reliquæ partes pedetentim, & primo quidem cerebrum, oculos, medullam spinalem, novissime musculos atque integumenta formari contendat. Alius locus narrationem de Diluvio Mosaicam, justam, sinceram, non ab imaginatione, non a traditione, non ab observatione naturæ, sed a

ſola revelatione ortam evincit. Tertio de anathemate, quod telluri, poſt lapſum primi hominis, dictum fuit divinitus, deque veſtigiis hujus anathematis in univerſo mundo vegetabili obviis, de carduis & tribulis, itemque de iride, tanquam ſigno fœderis cum Noacho icti; ac tandem quarto de dogmate Moſis, quod vita animalium in ſanguine eorum conſiſtat, diſputatur. Poſt de tribus aliis tractatibus Woodwardianis, ſua opera in lucem producendis, cum jam per annos pluſculos apud optimum Autorem, nimiis negotiis impeditum, latuerint, mentionem facit doctiſſimus Holloway. Uno Annotationes continentur in caput primum Geneſeos, de creatione mundi; alter eſt de origine gentium Americanarum; & tertius de ſapientia Ægyptiorum. Poſtremo etiam quatuor Epiſtolæ additæ ſunt, quas ad Dom. *Robertum Southvvell* ſcripſit Cl. Woodwardus. Harum duabus prioribus agitur de mutationibus Barometri, & de aſcenſu ac deſcenſu hydrargyri propter imminutatam tempeſtatem: quam quidem rem ita explicat, ut halitus illos e tellure idemtidem, ac præcipue ante ortum pluviarum, inſigni copia & vi ſurſum ejectos, aeremque pari directione impellentes, hujus preſſionem atque gravitatem notabiliter imminuere exiſtimet. Tertia Epiſtola de œconomia ingentis abyſſi, in viſceribus terræ latentis, deque perpetua communicatione atmoſphæram inter & abyſſum; ac quarta denique de diſſolutione & vaſtatione telluris, tempore diluvii, diſquiritur. Atque ut aliquid ſpeciminis loco afferamus, ex hac ipſa poſtrema epiſtola nonnulla hic excerpere placet. Negat in ea Cl. Autor, ſe in abſurda illa opinione verſari, quaſi totus terrarum globus vel ſolis aquis diluvii, vel neſcio quo menſtruo diſſolutus fuiſſet, atque adeo de iis magnopere conqueritur, qui ejusmodi ſibi ſententiam affingere haud dubitaverint. Deinde cum multi concipere non potuiſſent, quomodo lapides, metalla, & duriſſima quæque corpora foſſilia, tempore diluvii, omnino diſſoluta fuerint, ſalvis animalium vegetabiliumque partibus etiam ſatis teneris, primo quidem ita reſpondet, ut, cum ſufficienter demonſtraverit, rem ipſam non aliter ſe habere, tum quidem demonſtrationem modi, quo iſtud factum ſit, a ſe jure poſtulari poſſe neget. Deinde nec illum ipſum diſſolutionis modum adeo

diffi-

difficilem atque incomprehenſibilem judicat, ut plerisque videtur. *Jam olim*, inquit, *indigitavi rationem, qua partes foſſilium cohærent, oppido diſtare a cohæſione partium in animalibus ac vegetabilibus. Hæc tota fibris conſtant, mirifice implicatis atque inter ſe contextis. Illa non niſi particulis contiguis componuntur, quas aer, æther, atque ambiens atmoſphæra, preſſione & gravitate ſua continet. Ergo ad diſſolutionem corporum foſſilium nihil aliud requirebatur, quam ut cauſa ſoliditatis eorum, hoc eſt, gravitas, divina voluntate, ceſſaret. Quo facto univerſa illa corpora ſponte & absque auxilio menſtrui aut vis externæ, in partes minimas dilabi neceſſe erat. Non item vegetabilia atque animalia; quorum implicatæ fibræ, quamvis cauſa gravitatis ceſſaret, ipſa a diſſolutione facile præſtare potuerunt ſecura.* Hæc Vir præſtantiſſimus: in cujus explicatione perquam ingenioſa illam unicam ſupereſſe difficultatem arbitramur, an non fibrarum, quamvis hæ ex minoribus fibris, atque hæ iterum ex minoribus componantur, tamen poſtremas ac minutiſſimas partes, perinde ut partes corporum foſſilium, ſola preſſione atque gravitate ſubtiliſſimi fluidi circumfuſi contineri ſtatuendum ſit. Sed hæc difficultas fortaſſis tanta non eſt, quin expeditam reſponſionem doctiſſimus Autor habeat in promtu.

AUGUSTINI LEYSERI, IN MAGNÆ BRITANNIÆ Regis & Brunſvicenſium Ducis Aulis Conſiliarii, in Tribunali Guelphico Aſſeſſoris, & in Academia Juliæ JCti, Meditationes ad Pandectas, quibus præcipua Juris capita ex antiquitate explicantur, cum Iuribus recentioribus conferuntur, atque variis celebrium Collegiorum Reſponſis & rebus judicatis illuſtrantur.

Volumina III & IV.

Lipſiæ & Guelpherbyti, apud Joh. Chriſtoph. Meiſnerum, 1725, 4. Alphab. 7, pl. 14.

Volumina V & VI.

Ibidem, apud eundem, 1727, 4.
Alph. 7 pl. 5.

DE Conſultiſſimi Autoris inſtituto methodoque dictum, dum Volumina duo priora in Actis noſtris A. 1723 Menſ. Octobri pag. 444 laudabamus. Prodiere inde, Volumen tertium, quod a *Lib. XIII Pand. Tit. II*, ad *Lib. XIX Tit. II* pertingit, & Volumen quartum, quod in *Tit. V Lib. XXII* finit, annexa diſſertatione *de iniquitate & recto uſu exſpectantiarum*. Nuper vernalibus nundinis accepimus Volumen quintum & ſextum, quorum poſterius meditationes ad *Librum XXXIX* integrum claudunt. Atque ſex Voluminibus deſtinaverat Noſter omnem harum commentationum laborem abſolvere, ut in Dedicatione ad Illuſtriſſ. Bernſdorffium Voluminibus IV & V præfixa ſpem fecit. Sed jam, currente rota, amplius exit opus, unique adhuc & alteri faſci materia ſupereſt. Nihil vero mutavit Autor de veteri libere, quod ſentit, profitendi more, atque opinationibus vulgo receptis, ſeque vel magnorum nominum autoritate, vel doctrina & aſſenſu communi tuentibus, alia omnia opponendi ſtudio. *Equidem ſuaſerunt mihi nonnulli*, ipſe inquit, *ut viris eruditis & illuſtribus, qui paſſim contra me ſcripſerunt, atque aliquot ex prioribus meditationibus meis refutarunt, accuratius reſponderem, ſententiamque meam tuerer. At ego mihi hoc perſuaderi non ſum paſſus, nec patiar impoſterum.* Nos etiam more, cujus ſtudioſi ſumus, nonnihil recentium Noſtri meditationum ſtrictim indicabimus. Volumine IV, ſpecimine 141, de jurejurando ſuppletorio, docet contra *Mevii* opinionem, illud ob præſumtiones quaslibet, non ſolum juris, verum & hominis decerni poſſe; impugnat vulgarem DD. regulam: *in cauſis arduis, & ex quibus ingens ad actorem perventurum eſt lucrum, juſjurandum ſuppletorium decernendum non eſſe, ſed purgatorium:* & oſtendit, perſonarum cauſæque expendendas eſſe qualitates, ſecundum has ſtatuendum fore. Aſſerit ibidem porro uſum jurisjurandi ſuppletorii in cauſis matrimonialibus, etſi plus quam ſemiplene probatum non ſit, confutata vulgari *c. 34 X, de jurej.* applicatione: aſſerit quoque jurisjurandi ſuppletorii de credulitate uſum in omnibus negotiis contra *Brunnemannum, Strykium* & *Lauterbachium*.

chium. Specimine sequenti, de jurejurando purgatorio, defendit, inquisito de perjurio suspecto loco purgatorii egressum e civitate recte imperari; posse enim civem noxium, etsi delicti nullius convictum, a magistratu municipali expelli; quam in rem memorabilem JCtorum Helmstadiensium sententiam subjicit. Specimine 144, de morte vim jurisjurandi habente, tria constituit ad hoc, ut jusjurandum a judice impositum propter mortem pro præstito habeatur, integritatem vitæ, seriam oblationem, & impeditionem adversarii: ibidem casum proponit, quo jusjurandum ob mortem ejus, cui impositum fuit, pro deserto habetur, scilicet, cum senex morbidus callide moras nexuit, & in lucrum heredum, expectatione mortis, elusit præstationem jurisjurandi, quibus potuit artibus. Specimine 147, de condictione ob turpem causam, contra sententiam *Ill. Thomasii* probat, Condictioni huic in debitis pecuniariis esse locum, per *L. 9. §. 1. ff. de condict. ob turpem*, item condictioni eidem exceptionem transactionis non obstare. Eodem specimine, enarrato facto, quod D. Augustinus *lib. 1 de sermone Domini in monte, cap. 16* refert, Noster defendit, turpe non esse uxori, consentiente marito, pro servanda ejus vita cum alio concumbere. Specimine 148 inter alia asserit, quamvis debitori, usuras indebitas solventi, condictio recte denegetur per *l. 26 pr. ff. de condict. indeb.* creditores tamen usuras a debitore obærato indebite solutas repetere, per *L. 6 §. 1 ff. quæ in fraudem creditor. j. l. 10 & 17 de condict. indeb. & L. 10 §. 12, quæ in fraud. credit.* Volumine IV, specimine 216, adstruit, conductorem prædii, cui jurisdictio adnexa est, jurisdictionem, etsi de ea nihil in contractu dictum, consequi; conductorem, qui jurisdictionem simul conduxit, ei jurisdictioni, cui reliqui incolæ ejus provinciæ subsunt, subjici; conductorem vero, qui jurisdictionem simul non conduxit, locatori extra causas locationem concernentes subjectum fore. Specimine 235, de creditore in alienationem pignoris consentiente, contra JCtorum Vitembergensium sententiam evictum it, Magistratum, qui alienationem rei sibi oppignoratæ confirmat, jus pignoris remittere. Specim. 255, de probatione negativa, contra *Coccejum* veritatem regulæ, *quod negantis per rerum naturam nulla probatio sit,*

asserit, nec probare negativam illum, qui in ea se fundat, teneri, nec probationem negativæ, etsi aliquando possibilis sit, imponi debere. Ceterum notabile est specimen 283, de arbitrio judicis, unico doctrinæ de testibus fundamento, conspicuis exemplis illustratum. Accedimus ad recentiora duo Volumina V & VI. Specimine 289, de ignorantia & errore, improbato discrimine inter ignorantiam juris & facti, mavult potius in decidendis causis sequi discrimen inter ignorantiam vincibilem & invincibilem. Specim. 290, de consensu sponsalitio, contra JCtos Halenses disputat, consensum simpliciter declaratum, das Ja-Wort, perfecte obligare, etsi non accesserint sponsalia solennia. Specim. 292, de sponsalibus inter consanguineos, memorabile responsum affert & confirmat, quo statuitur, Equitem Imperii immediatum, eumque Principis ministrum, cognatam suam, vel affinem uxorem ducere sine dispensatione posse. Specim. 293, de Actione ex sponsu, novum nomen hujus Actionis ex sponsalibus descendentis profert e Gellii *Noctib. Attic. lib. IV cap.* 4, ubi de hoc nomine testatur Servius Sulpicius, idque Noster præ alio nomine, quo *Actio matrimonalis* dicitur, commendat. Ibidem proponit, quibus casibus ex sponsalibus non ad consummationem matrimonii, sed ad interesse agatur, & quibus judex, etsi in libello consummatio matrimonii petita, possit tamen in sententia ab eo recedere, atque reum in pecuniam condemnare. Specim. 302, de discrimine bonorum uxoriorum, ostendit, discrimen inter bona dotalia, paraphernalia & receptitia nec in jure Romano, nec in prisco Germanico fundari, sed deberi moribus hodiernis: indeque jura singulorum bonorum distincte exponit. Specim. 308, de pactorum dotalium per modum contractus & ultimæ voluntatis discrimine, commonstrat, doctrinam de pactis dotalibus in vim ultimæ voluntatis conditis liberaque eorum revocatione, nec juri Romano, nec Germanico convenire; pacta dotalia in dubio per modum contractus inita censeri, in iisque voces *hereditas, successio*, item *legitima* adhiberi posse, vocem erblich contractum magis indicare, quam ultimam voluntatem; clausulam codicillarem adjectam nil operari ad mutandam pactorum dotalium inter vivos naturam, nec solam quinque

que teſtium adhibitionem, nec diſpoſitionem de omnibus omnino bonis, nec mortis mentionem, & verba auf den Todes-Fall; denique pacta dotalia inter vivos, etſi nullus teſtis adhibeatur, valere. Sed ſatis erit hæc hactenus deguſtaſſe.

ELOGIOS DOS REYS DE PORTGAL COM OS mais verdadeyros Retratos.

h. e.

ELOGIA REGUM LUSITANIÆ, CUM VERISSIMIS eorum, quæ inveniri potuerunt, imaginibus, in ordinem diſpoſita a FRANCISCO BERNHARDO DE BRITO, Hiſtorico Generali & Monacho Ordinis S. Bernhardi, novis ſupplementis aucta a JOSEPHO BARBOSA, Clerico Regulari & Hiſtorico Sereniſſimæ domus Bragantinæ; oblata Sereniſſimo Principi Luſitaniæ, D. JOSEPHO, a DIOCO DE MENDONZA, Secretario Status Regio.

Ulyſſipone Orient. ex officina Ferreyniana, 1726, 4.

Alph. 1 pl. 7½ Icon. Tab. 25.

INter eos, qui Icones Regum Luſitaniæ dedere, maxime ſe omnibus hactenus probavit Antonius Vasconcellius, qui Anacephalæoſin ſuam Regum Luſitan. non modo elegantibus, verum & genuinis Regum iconibus exornaſſe fertur. Nec multum ab iis abludunt in hoc opere repræſentatæ imagines, quamvis paulo rudiori Minerva exprimantur, ultimis tantum, *Alphonſo VI, Petro II* & moderno Rege *Johanne V* exceptis, quos Belgas artifices habuiſſe proclive eſt. In hoc libro vitæ Regum Luſitanicorum ab *Henrico* Comite Luſitaniæ usque ad Johannem V ſuccincte per modum elogiorum enarrantur, quas breviter percurremus. Elogio primo *Henricus*, patria Briſantinus, &, cum ejus natales controverſi ſint, ſecundum meliorem ſententiam, filius Comitis Varnonenſis & Johannæ, filiæ Geroldi Ducis Burgundiæ, fuiſſe dicitur. Matrimonio junctus Thereſiæ, Alphonſi VI Regis Caſtellæ filiæ, Luſitaniam ſub Comitatus nomine accepit. p. 1. 3.

Ad

Ad sacrum bellum irrito per Imperatoris Alexii Comneni fraudes
p. 11. molimine cum Hugone Comite Lusignano, affine suo, & aliis
14. Principibus Borealibus profectus est. II Elog. *Alphonsus I*, pedibus distortis natus, miraculose per precés, quas Egas Monisius Pædagogus ad ædem Mariæ de Carquere, ut appellant, miserat, sanatus est. Scutum, quo Reges Lusitaniæ utuntur, Christus in prœlio Orichiensi contra Mauros ipsi ostendit, ac ut titulum Regis assumat, jubet. Olisiponem Mauris eripit. III Elog. *Sanctius I* cum Saracenis undique irruentibus ac eum divexantibus inducias per quinquennium facit, quas inusitata Solis defectio cum
24. horrendis terræ motibus crebroque imbrium defluxu secuta fuit. IV Elog. *Alphonsus II*, Lusitanice *O gordo* dictus, i.e. obesus, cum fratribus & sororibus ingens dissidium habuit, Pontificis opera
29.30. sopitum. Mauros ex Salacia seu Alcacer Do Sal ejecit. V Elog.
31. *Sanctius II Capello*, hoc est, Cucullus dictus est, quod more Canonicorum Regularium S. Augustini in Cœnobio sanctæ Crucis voto Matris, ob valetudinem eius concepto, adstrictus, usque ad
35. XII ætatis annum linteatus cucullatusque incederet. Ex inconsulto matrimonio afflictis Regni rebus, Alphonsus frater in ejus locum suffectus est, ac ipse interim Toleti exulavit. VI Elog. *Alphonsus III* Turdetaniam a Rege Castellano sub certis conditionibus accepit, ac Lusitaniæ ac Turdetaniæ Regem se scripsit, hinc Regii insignis oræ bracteata ex auro castella seu vetera
46. Algarbiæ insignia addidit, ac Mauros ex ea omnes expulit. VII
49. Elog. *Dionysii I* mira in litteras humaniores ac Poesin propen-
50. sio laudatur. Matrem ad regni societatem admittere noluit, dicens: viro ignominiosum esse, si ab undecimo anno aliena mo-
51. deratione egeret. Cum Sanctio Castellæ Rege ob fidem violatam in his, de quibus in liberorum nuptiis inter eos convenerat, bellum
52. gessit. Regis Castellani & Arragonii lites composuit. Summa
56. ejus liberalitas prædicatur, ac tanta felicitas, ut in proverbium abierit, *El Rey Diniz fez tado que quiz*, hoc est, Rex Dionysius omnia, quæ voluit, fecit. Uxor ejus Elisabetha sancta & miraculis clara fuit, cujus vita ex Vasconcellio supplenda. Ordo Templariorum ejus tempore sublatus & novus Equitum Christi
58. constitutus fuit. IIX Elog. *Alphonsus IV*, *O bravo* i. e. fortis dictus,

Digitized by Google

dictus, venationi maxime deditus, libero Consiliariorum monito ab ea destitit. Contra Regem Marrocanum Haliboazem & Granatensem Hispanias invadentem Castellano auxilium eventu felici tulit, quæ celebris pugna *de Salado* a flumine prope quod gesta est, vocatur. IX Elog. *Petrus I*, rigidus justitiæ satelles & liberalitatis amans adeo fuit, ut laxius se vestiri juberet, quo liberius brachia ad donandum extendere posset, ac neminem Regem appellari posse dixit, nisi eo die quo beneficia contulisset. Mortuus jam, S. Bartholomæi precibus, quem maxime coluerat, in vitam revocatus est, ut peccatum aliquod, quod vivo memoria exciderat, confiteretur. X Elog. *Ferdinandus*, Castellæ Regnum hæreditario jure ad se pertinere prætendens, bellum contra Henricum Regem Castellanum temere suscepit. Quod Pontificis opera compositum, postea recruduit, Anglis etiam in auxilium advocatis. Henrico mortuo, Johanni ejus filio ad pacem firmandam Beatricem in matrimonium dedit. Olisipponem & Eboram muris cinxit. XI Elog. *Johannes I*, bonæ memoriæ (*de boa memoria*) quod nomini ejus ob insignes virtutes adjectum est, cum Rege Castellano, Lusitaniam subigere parante, cruentum bellum gessit & prælio ad Albigarrotam (*Aliubarrota*) Castellanorum Cannas, illum superavit ac in ejus victoriæ memoriam singulare Monasterium, *de Batasha* i.e. prælii, dictum, exstruxit, cujus rudera hodienum supersunt. Septam quoque Mauris eripuit. Leges utiles sanxit & Codicem Justiniani in linguam vulgarem transferendam curavit. XII Elog. *Eduardus I* Judæi cujusdam Astrologi prædictiones in auspiciis inaugurationis contemnit. Tingitana expeditio male ei cessit, & Ferdinandus frater Mauris obsessi datus inter eos obiit. Philosophiam moralem & civilem maxime excoluit & varios libros politicos conscripsit. XIII Elog. *Alphonsus V* urbem maritimam munitissimam Alcacer Seguor in Africa expugnavit, quam recuperaturus Fessæ Rex frustra obsedit, ac postea Arzillam nobilem & antiquam Africæ urbem ac Tingin cepit. Cum Johanna Henrici Regis Castellani filia dotis loco jura in Castellæ & Legionis regna accepit, magno Lusitaniæ incommodo: ipse ea tueri conatus, prælio memorabili apud Taurum victus est, & ad Regem Galliæ Ludovi-

p. 61. 68. 69. 74. 76. 83. 86. 91. 93. 103.

cum XI profectus, frustra auxilium petiit. XIV Elog. *Johannes II* Patri, ex Gallia reduci, titulum Regis, quem obtinuerat,
p.114. summa modestia concessit. Famosum illud promontorium, Caput bonæ spei, detexit. Scutum Lusitanicum ad eam qua hodie conspicitur, reduxit formam. XV *Emanuel I*, boni ominis causa dictus, quod Eucharisticæ pompæ præ foribus Palatii ductæ
127. tempore natus esset, felicissimus Regum, fines imperii per Indi-
131. am plenius detectam & Æthiopiam dilatavit. XVI Elog. *Johannes III* sacrum quæstorum hæreseos tribunal primus instituit. Ac ejus cura Evangelii lux per Orientis regiones late dispersa
152. fuit. Academiam Conimbricensem, a Dionysio fundatam & postea Ulysiponem translatam, Conimbriæ restauravit, videns, ut Autor ait, Musis quietem amantibus cum strepitu aulæ & mercatorum ob negotia ibi confluentium non bene convenire, ejusque
159. rèditus plus triginta millibus aureorum adauxit. XVII Elog. *Sebastianus I*, die S. Sebastiani natus, Principes Orientis, Lusita-
163. nos India ejecturos, bello felici aggressus est. In Africa autem cum Rege Maurocano Muley Abdolmelecho, qui Muley Mohammetem, ejus auxilium implorantem, expulerat, infeliciter manum conseruit. XIIX Elog. *Henricus I*, Regni Gubernator impubere Sebastiano constitutus, & tandem eo extincto ad fastigium re-
150. gni evectus est, at variis competitoribus ortis, postquam annum
156. regnaverat, tabe obiit. XIX Elog. *Philippus I*, Emanuelis ex majori filia nepos, Lusitaniæ hæres, occupavit eam & Antonii
166. funestos conatus oppressit. XX Elog. *Philippus II* nova regna, Pegnanum & Canadense, suo adjecit. Leges Lusitanicas in unum volumen contrahi jussit, ac cum Regum Persiæ & Congi legatis
170. belli contra Turcas & religionis causa egit. XXI Elog. *Philip-*
171. *pus III* Principem Anglicanum de Gales Madriti pompose excepit. Bahiam a Batavis obsessam liberavit. Catalannos & Lusitanos
179. rebelles habuit. XXII Elog. *Johannes IV*, Dux Bragantiæ, Rex
181. proclamatus, Castellanos variis prœliis fugavivit. A morte, in sacra processione publica ipsi intentata, miraculose liberatus, Batavos a
196. Pernambuco repulit. XXII Elog. *Alphonsus VI* Regno exutus
197. fuit, fratre Petro surrogato. XXIV Elog. *Petrus II* Carolum Regem Hispaniæ magnifice excepit & magno exercitu Castellam intravit.

Digitized by Google

intravit. Monetam in Sabaudiæ Ducis nuptias memorabilem cudi jussit. XXV Elog. *Johannes V.* Academiam Historiæ Ecclesiasticæ & Civilis A. 1720 die 8 Decembr. instituit.

SYNOPSIS TOMI QVINTI DE ACTIS sanctorum Julii, collectis, digestis & illustratis a JOAN. BAPT. SOLLERIO, JOAN. PINIO, GUIL. CUPERO, PETRO BOSCHIO, Societatis Jesu Presbyteris.

Antwerpiæ, prostat apud Jacobum du Moulin, 1727, 4, pl. ℔.

TRigesimus hic ordine est accrescentis indies operis tomus, Sanctos centum & undeoctoginta nominatim referens, anonymos centum sex & viginti, præter manipulos alios, quorum numerus non exprimitur. Dies quinque, ut bini præcedentes, continet, a vigesima ad vigesimam quartam. Sancti porro, de quibus agitur, in solitas hic classes distribuuntur; viri primum juxta triplicem Ecclesiæ statum, *Ecclesiasticum, Monasticum & Secularem*, servato regionum ordine; feminæ autem, cujuscunque status aut conditionis sint, quartam & postremam classem constituunt. Antiqui fœderis Sancti *Elias* & *Daniel* extra hunc ordinem positi, non minori tamen quam ceteri gloria in Ecclesia Catholica illustres sunt: & Sanctus quidem ille, arisque sacris admotus, tametsi in vita, nescitur quo modo, superstes; cujus cultus apud Græcos æque ac Latinos receptus, templa & oratoria ei dicata, nec non miracula recensentur, totaque vitæ ex sacro textu series accurate deducitur, ad raptum usque, de quo palliique ejus reliquiis satis fuse disceptatur. Neque ipso minus celebris est *Daniel*, Propheta in paucis mirabilis, de cujus captivitate, sanctitate, virtutibus, sapientia, auctoritate apud reges ethnicos, deque visionibus, somniorum interpretationibus, prophetiis, sepulcro, epitaphio, statuis, cultu sacro, reliquiis & sacris ædibus nil prætermissum est.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Ætate & spectata sanctitate præcipuo *Josepho*, alias *Barsabæ*,

utpote in ipſa Scriptura ſacra *Juſto* declarato, primus debetur locus; is vero cum Barnaba confundendus non eſt, nec cum Joſe, aut Juſto Hieroſolymitano Epiſcopo. De geſtis pauca memoriæ tradita ſunt. Neque de *Cyrillo* patriarcha Antiocheno multo plura dici potuere, quam quæ in ipſa ſerie Patriarcharum dedimus, ut cujus Acta ſcripta non videntur; ipſe vero in ſacris Faſtis vix notus, neque a Baronio in Actis Claudii, Nicoſtrati & ſociorum ſatis apte repertus. Breviora longe ſunt, quæ de *Zotico*, Comanæ in Armenia Epiſcopo, ex Euſebio eduxit Romanum Martyrologium.

Paulo ampliorem materiam præbuit *Apollinaris*, Ravennæ Proto-epiſcopus, S. Petri Apoſtoli diſcipulus; non quod miranda ejus Acta ſincera cenſuerimus, ſed quod longe illuſtrior ſit gloria ejus poſthuma per dilatatum ſolenniſſime cultum & miracula, per hiſtoriam inventionis corporis ſeculo XII factam, & per ejus poſſeſſionem Claſſenſi monaſterio pluribus argumentis aſſertam, unde acceptas oportet ſacras reliquias, alibi venerationi expoſitas, de quarum translationibus ſatis operoſe diſſeritur. Temporibus noſtris vicinior eſt *Joannes*, a loco natali *Tauſſinianenſis* dictus, ex Jeſuatorum Ordine Ferrarienſis Epiſcopus, non ſine miraculo electus; ſtupenda in pauperes miſericordia aliisque prodigiis inclytus, ad cujus cultum probandum, aliaque monumenta procuranda, quibus geſta ejus illuſtrarentur, non parvo labore, nec minori diligentia opus fuit. *Hieronymus* Epiſcopus ad Papienſes pertinet, *Lucanus* in eadem dignitate præfuit Sabionenſibus, *Severus* Caſſini depoſitus eſt.

Liborius, Cenomanenſis Epiſcopus, translatione Paderbornenſi atque innumeris ſignis quam rebus geſtis illuſtrior, ſingulariſſimus eſt adverſus calculum patronus, non Weſtfalis ſolummodo ſed & Italis aliiſque gentibus mire propitius, ex quo ſacræ ejus exuviæ, bello Suecico a furioſo Halberſtadenſi Lutherano Epiſcopo ſurreptæ, ſed poſtmodum reſtitutæ, in alias orbis partes & in Belgium noſtrum transfuſæ ſunt, ubique, etiam Romæ, in ſumma veneratione. *Pavacii*, Cenomanenſis itidem Epiſcopi, ſacra pignora, non in ſede epiſcopali, ſed alibi quoque miraculis clara ſunt, præſertim in Vaſtinenſi Caſtro Rainardi,

quo

quo quando aut quomodo pervenerint, ſatis incertum eſt; Hugonotorum furori feliciter ſubtracta, tota ea vicinaque regione præſens morbis variis medela cenſentur. De *Urſicino* Senonenſi & *Valerio* ſeu *Valeriano* Nicienſi pauca, quæ dici poſſent, ſubminiſtrata ſunt.

Arbogaſtum, Argentinenſem Epiſcopum, Franciæ an Germaniæ adſcribas, parum intereſt: ſub Francis Regibus floruiſſe, imperante in Auſtraſia Dagoberto II, cujus filium Sigebertum vitæ reſtituit, atque ab eo poſſeſſiones multas eccleſiæ ſuæ aliisque impetraſſe, compertum eſt. De patria certant Hiberni & Scoti, quorum rixas compoſueris, ſi Aquitanum fuiſſe, melius aſſeras: Epiſcopatus tempora, annus obitus & controverſa alia recte explicantur. *Bernardi* Hildeſienſis Præſulis cultus extra dubium poſitus eſt. Acta & varia ejus miracula illuſtrata. *Dictinus* Aſturicenſis Epiſc. felici caſu locum inter Sanctos obtinuit. *Declanus* Ardmoriæ in Hibernia ſtupenda geſſit, ſi Actis fides haberi poſſit. Veriora ſunt, quæ de *Paulo* Cordubenſi diacono inclytoque martyre retulit S. Eulogius.

EX STATU MONASTICO.

Claſſem hanc ducit *Joannes* anachoreta in Palæſtina, & propriis virtutibus & eo nomine laudatus, quod famoſiſſimi Symeonis Sali ſocius fuerit, ut ejus geſta in alterius Actis 1 Julii quærenda ſint. *Antonius* ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini Aquiliam in Veſtinis non parum illuſtravit. Fruſtra quæſita eſt ejus Vita Latina, fuitque adeo ex verboſiori Italica Latine vertenda & contrahenda, cum longiori multorum miraculorum ſerie. In Gallia Abbates celeberrimos exhibet hic tomus, *Ioannem Caſſianum* imprimis, ſcriptis ſuis & peregrinationibus per Orientis Ægyptique aſceteria, tum vero præclaris virtutibus & exemplis Maſſiliæ atque in finitimis regionibus æſtimatiſſimum, ibique a ſeculis eccleſiaſtico cultu donatum. Vita, hactenus nunquam ſcripta, ex libris ejus operoſe colligi debuit: ab erroribus autem, quos nonnulli perperam ipſi impegerunt, ex aliorum apologiis probe vindicatus eſt, quemadmodum & patria, huc usque ſatis dubia. *Wandregiſilum*, Fontanellenſis in Normannia cœnobii conditorem, cujus pretioſis reliquiis ditatum olim fuit Blandini-

enſe apud Gandavum cœnobium, ſatis ferme eſt nominaſſe; usque adeo vulgata ſunt præclara ejus geſta & merita, ex duobus ſcriptoribus a nobis recenſita, cum copioſis ſignis & translationis hiſtoria. Neque de *Anſegiſo*, in eodem cœnobio poſtmodum Abbate, multa hic memoranda ſunt: notiſſimus & ipſe eſt æque ac *Vulmarus* in Picardia, *Meneleus* apud Menatenſes in Arvernia, atque etiam *Euſpicius* monachus in monaſterio Miciacenſi: ſic nec recentior *Franciſci Solani* ex Ord. Minorum, nuperrime Sanctis adſcripti, memoria hic prædicanda: ſufficiat, dixiſſe, Americæ ipſum & Peruani præcipue regni apoſtolum & thaumaturgum fuiſſe.

EX STATU SECULARI.

Plato Ancyranus M. apud Græcos potiſſimum celebris, multisque ornatus elogiis, ædes ſacras plures ſibi dicatas habet, innumeris clarus miraculis, ut ejus ſepulcrum miſerorum perfugium appelletur. Fidei etiam inſigne teſtimonium dedit *Theophilus*, dictus *junior*, ordinis ſenatorii & dux ſtrenuus, qui ab Arabibus captus, ſanguinem fundere quam eorum promiſſis acquieſcere maluit. Sebaſtenos MM. S. Athenogenis diſcipulos, non recte diſtinctos oſtendimus. Non adeo noti ſunt *Hymenæus* & *Capiton*; *Cyrillus* & ſocii Antiocheni; *Trophimus* item, *Apollonius*, *Miniſeus* cum ſuis: tum Melitinenſes, Chalcedonenſes, Bulgari, Corinthii atque Ægyptii. In Africa clariores MM. *Maxulitani*, deinde & *Victor* cum variis ſociis. Romam præcipue ornat *Vincentius* M. niſi forte Tiburtinis debeatur; Amiternum *Victorinus*: adde MM. *Cæſenates* & *Siculos*, & confeſſorem *Fantinum* in Calabria haud ſane ignobilem. Inter Galliæ martyres illuſtriſſimus eſt *Victor* Maſſilienſis cum ſociis; de quorum reliquiis, geſtis & miraculis fuſius agitur. *Arnulfus* Moſomenſis a ſynonymis diſtinguitur, vix aliunde quam ex ſignis notus. *Raſipbus* M. non unus, ſed *Ravenni* ſocius, cum ipſo a Normannis honoratur; *Wulfadus & Ruffinus* in Anglia. Gratiæ miraculum fuit *Joſephus comes*, ex Judæo confeſſor egregius, cujus converſionem & adverſus Arianos conſtantiam S. Epiphanio acceptam referimus. In Italia habes *Gualterium* Laude Pompeja; *Oddinum Barottum* Foſſani in Pedemontia: in Gallia *Secundum* apud Cenomanos.

EX

EX SEXU FEMINEO.

Syntyche Philippenſis præclariori elogio ornari non potuit, quam quod, teſte Apoſtolo, cum ipſo laboraverit in Evangelio. *Margarita* diffuſiſſimo in Eccleſia cultu longe nobilior quam rebus geſtis, ſaltem quæ ad nos ſincere ſcriptæ pervenerint. *Niseta* & *Aquilina* ex S. Chriſtophori Actis deſumptæ ſunt; *Anna* apud ſolos Græcos nota. *Praxedes* V. Romæ, cum ſorore Pudentia, nominatiſſima eſt. *Chriſtina* V. M. Margaritæ haud multum abſimilis, utpote cultu ubique & miraculis celebratiſſima, verum cujus Acta aut varias Paſſiones fruſtra expurgare conatus eſt, qui magno volumine id nuper tentavit. De *Primitiva* V. M. paucis agi potuit; *Romulam*, *Redemptam* atque *Hirundinem* laudavit magnus Gregorius. *Maria Magdalena*, Provinciæ aſſerta, in ſignum poſita videtur, cui a ſeculis contradicitur: nos eam & Lazari ſororem, & peccatricem, & a ſeptem dæmoniis liberatam cum Eccleſia Catholica agnoſcimus. *Julia* V. M. cum neſcio quo *Claudio* imperatore & aliis MM. Trecenſibus debetur; *Segolena* vidua Albigenſibus: *Mera* V. Lectoræ colitur; *Severa* apud Treviros. *Wilgefortes* ſeu *Liberata* cujas fuerit, quando vixerit, quid egerit, ignoratur: hoc ſcitur, ut a multis malis liberatricem paſſim invocari. *Columba* apud Luſitanos innotuit. *Chriſtina* V. Belgica *mirabilis* nomen merito conſecuta eſt; eo mirabilior, quo ſtupendiſſima Acta ſolidiori auctoritate nituntur. *Levvinna* M. Angla apud Bergenſes in Flandria miraculis claruit: *Vaſtrada* vidua, Sanctorum mater, Suſtereni ad Moſam. *Kingam* ſeu *Cunegundem* virginem maritatam, ex Poloniæ duce ſanctimonialem, admirabili ſanctitate vitæ ac miraculis vere regni iſtius prodigium dixeris.

Atque hi ſunt præcipui Sancti quorum Acta aut breviora etiam elogia hoc tomo illuſtrantur: quo autem die quibusve paginis quærenda ſint ſingula, docet index alphabeticus eorundem, toti volumini præfixus, ætatem porro chronologicus; cetera in ſubjunctis aliis indicibus quærenda ſunt.

Erunt fortaſſe, qui a nobis apologiam exſpectent adverſus ea quæ non ita pridem vulgavit Odoacer *quidam* Ilbachius, *in Actis Sanctorum diſcernendis aut vindicandis ut minimum ſum-*

ſumme peregrinus. Odioſas is controverſias, ab annis fere triginta exſtinctiſſimas, lævo prorſus fidere renovavit: ipſum nos, dum longe utilioribus occupamur, ad tunc abunde dicta probataque remittimus. Quæ ſi ſufficere non exiſtimet; adeat, obſecro, Librum apologeticum *ab Eminentiſſimo Card. Baronio, ſub Antonii Gallonii nomine, A.* MDCIV *Romæ editum & Clementi P.P. VIII inſcriptum, ad Conſtantinum Cajetanum,* EX BREVIARIO S. Gregorii monachatum Benedictinum *adſtruentem: ubi quid de Breviario, & conſequenter de S. Catharinæ contractis in eo Actis cenſendum, niſi volens cæcutiat, apertiſſime perſpiciet.*

D. JOACHIMI LANGII, S. THEOL. PROF. ORD. in Acad. Fridericiana, Cauſa Dei ac religionis revelatæ, & quidem Chriſtianæ adverſus Judæos, nec non Evangelicæ adverſus Socinianos & Pontificios, methodo demonſtrativa aſſerta.

Halæ, impenſis Orphanotrophii, 1727, 8.
Alph. 3.

TErtius hic eſt & ultimus Tomus Cauſæ Dei, quam Ven. Langius Tomo I adverſus atheiſmum & deiſmum pſeudophiloſophorum, Tom. II adverſus naturaliſmum vindicaverat, quamque hoc III Tomo adverſus Judæos, Socinianos ac Pontificios defendit. Tomum *primum*, qui nunc auctior luculentiorque prodit, in Actis noſtris A. 1723 p. 454; Tomum *ſecundum* A. 1726 p. 412 recenſuimus; nunc *tertii* quoque Tomi argumentum eo libentius exhibendum putamus, quo digniorem judicamus librum, qui ab omnibus rerum ſacrarum cupidis cum cura legatur.

Tractationi præmittitur *protheoria*, quæ continet 1) *poſtulata XX*, de digna inquiſitione in veritatem religionis Chriſtianæ, ſcholiis illuſtrata, 2) *theoremata III*, de libris ſacris novi fœderis, eorumque ætate, auctoribus & auctoritate canonica, integritate, collectione & receptione in canonem. p. 1--13. 13--20.

Protheoriam excipit *tractatio*, cujus *Liber I*, isque dogmaticus,

Digitized by Google

ticus, in veritate historiæ rerum Christianarum asserenda versatur, uti Tomi secundi initium in historiæ Mosaicæ ac Judaicæ veritate extra dubium ponenda occupatum fuerat. Huic deinde superstruitur demonstratio præstantiæ ac divinitatis, qua religio Christiana radiat, & adversus Judæorum exceptiones triumphat.

Libri I pars prior *historica* tribus capitibus constat. Caput I agit *de veritate historiæ Christianæ*, quæ 1) per duodecim argumenta insita & propria asseritur, 2) per Judæorum testimonia ipsasque calumnias confirmatur, 3) per hominum paganorum, imprimis philosophorum, testimonia ac obtrectationes corroboratur. p. 20–25. 45–78. 78–115.

Caput II agit *de præstantia religionis Christianæ*, 12 characteribus evicta, ubi *propositio 1*, tractat de religionis christianæ antiquitate & veritate historica; *prop. 2*, de eo, quod religio Christiana religionem naturalem continet, & defectus ejus supplet; *prop. 3*, de ejusdem universalitate & rituum simplicitate, universo generi humano accommodata; *prop. 4*, de scriptorum sacrorum αὐτοπιστίᾳ & de sermonis dignitate; *prop. 5*, de doctrinis fidei & vitæ, & de utrarumque harmonia, perfectione ac sublimitate; *prop. 6*, de interna conscientiæ libertate, & de externæ disciplinæ æquitate. 117. 118. 120–122. 122–126. 126–129. 129–132. 134–164.

Caput III denique agit *de divinitate religionis Christianæ*, in 12 characteribus aliis, per sex propositiones deductis. *Prop. 1*, de veritate & eventu tum prophetiarum de persona, officiis & duplici statu Messiæ, tum typorum; *prop. 2*, de religionis propagatione ac conservatione; *prop. 3*, de insigni rel. Christ. habitu ad vitam præsentem & futuram; *prop. 4*, de religionis Chr. capitibus duobus præcipuis, lege & Evangelio, mere divinis; *prop. 5*, de confessione martyrum cruenta, & de viva quorumvis aliorum Christianorum experientia; *prop. 6*, de prophetiarum, ipsi religioni Christianæ in libris N. T. propriarum, eventu; nec non de Christi & ejus Apostolorum miraculis, ubi 1) de eventu prophetiarum, 2) de θαυματουργίᾳ Christi & Apostolorum sex propositionibus agitur. 164–170. 170–174. 174–184. 184–197. 184–197. 197–203. 203–246.

Libri I pars posterior *dogmatica* præcipua sistit religionis Christianæ capita, eorumque harmoniam cum doctrinis V. T.

luculentissime ob oculos ponit. Sectio I, agit *de mysterio S. Trinitatis ac simul de persona Christi*, & quidem cap. I, *de mysterio Trinitatis generatim*, ubi *prop. 1*, de locis XXV, primariis; 248–254. *prop. 2*, de locis XXV, subordinatis aliis, cui vindiciæ aliquot 254–274. locorum anti-Socinianæ subjiciuntur; *prop. 3*, de locis quam 274–278. plurimis, quæ de divinitate Christi & spiritus sancti agunt. Cap. II, agit *de divinitate Jesu Christi* per seriem decem propositionum. *Prop. 1*, de illis L. & amplius oraculis, cap. I citatis quæ 279. in N. T. de mysterio S. Trinitatis, atque ita simul de divinitate 279–282. filii Dei, agunt; *prop. 2*, de illis locis, in quibus Christus 283–343. promisisse & misisse dicitur spiritum sanctum *prop. 3*, de VII locis, in quibus Christo nomen *Deus* expresse tribuitur, cum vindiciis Anti-Socinianis; *prop. 4*, de illis scripturæ locis circiter 343–348. D. in quibus nomen Κύριος de Christo adhibetur; *prop. 5*, de 349–354. CVII locis, in quibus Christus vocatur Dei filius; *prop. 6*, de il- 355–362. lis locis, quæ ipsius divinitatis descriptionem habent *prop. 7*, de 362. 363. locis, in quibus Christo attributa mere divina adscribuntur; *prop.* 363–366. *8*, de locis, in quibus Christo opera mere divina assignantur; 366–369. *prop. 9*, de locis, in quibus Christo cultus mere divinus tribuitur; 369. 370. *prop. 10*, de locis V. T. e quibus divinitas Christi jam To- 372–376. mo II, demonstrata est. Cap. III, probat *divinitatem spiritus sancti*, ubi VII locorum & argumentorum classes exhibentur, 377–381. tandemque demonstratio de vera spiritus sancti personalitate subjicitur.

Sectio II partis posterioris tractat reliquas relig. Chr. doctrinas, præcipue ad *Christologiam* pertinentes: ubi cap. I, agit de officio Christi *sacerdotali*, & in eo de salutis nostræ funda- 382–483. mento & acquisitione; cujus membrum 1, agit de satisfactione 484–533. forensi, XXXIV propositionibus tractata, membr. 2, de justificatione, tanquam satisfactionis applicatione. Cap. II, de officio Christi *prophetico*, & in eo de partæ salutis promulgatione, & sic 536–549. de salutis ordine, ubi membr. 1, de regeneratione, 2 de fide, quæ 549–628. justificat. 3 De fide quatenus justificat. Cap. III, de officio 628–686. Christi *regio*, & in eo de applicatæ salutis possessione, amplifi- 686. catione & consummatione; ubi membr. 1, *de juribus ac beneficiis*, quibus Christi cives in regno gratiæ ac salutis fruuntur, referen-

Digitized by Google

ferendis partim ad Deum *patrem*, ut sunt adoptio, cura Dei pa- 690–696.
terna, curatorum hereditas æterna; partim ad Dei *filium*, ut sunt 696–711.
justitia, pax & libertas spiritualis; partim ad *Spiritum* sanctum, 711–729.
ut sunt illuminatio, lætitia & rectio Spiritus sancti: quibus sub- 729–742.
junguntur alia charismata & beneficia, ad *Deum trinunum* refe-
renda, ut sunt unio cum Deo, robur spirituale & certitudo salutis,
quorum omnium complexus est in unctione, & inde oriente di-
gnitate sacerdotii spiritualis & regalis. Membrum 2 agit *de of-* 242.
ficiis civium in regno Christi, ubi sepositа ipsa officiorum tra- 748–784.
ctatione, agitur de criteriis, quibus opera gratiæ ab operibus
naturæ sunt distinguenda, tum V generalibus, tum VII spe-
cialibus.

Liber II est argumenti *elenchtici*, ejusque Pars I *Anti-Judai-* 767–783.
ca, ubi cap. I exhibet Isagogen generaliorem in elenchum An- 783–798.
ti-Judaicum & in dialysin objectionum Judaicarum, cap. 2 dialy-
sin specialem objectionum adversus Christi Genealogiam. Pars 800.
II *Anti-Sociniana*, ubi cap. I agit 1) de *mysterio S. Trinitatis*, 804–845.
2) de divinitate *Filii*, 3) de divinitate *Spiritus S.* disjectis ubique
Socinianorum objectionibus, Cap. II de *statu* Christi duplici; 846–856.
Cap. III de *officio* Christi triplici; Cap. IV de aliis circa salutis 856–912.
ordinem Socinianorum erroribus. Pars III, *Anti-Pontificia*, ubi 912–987.
errores Pontificiorum disponuntur secundum officium Christi
triplex, adeoque agitur de erroribus, 1) qui officio *sacerdotali* 987–1027.
repugnant, ut de satisfactione Christi, de sacrificio Missæ incru-
ento, de purgatorio, de invocatione Sanctorum, de cultu reliquia-
rum & imaginum religioso, de potestate indulgentias dispen-
sandi, de re monastica, de pœnitentia, fide, justificatione & bonis
operibus; 2) qui officio Christi *Prophetico* repugnant; ut de 1028–1060.
Scriptura sacra, de statu integritatis ac imagine Dei, de peccato,
de libero arbitrio, de sacramentis, de ministerio ecclesiastico;
3) qui officio Christi *regio* repugnant, ut de vicario eccleſiæ ca- 1061–1075.
pite & notis eccleſiæ.

Tantam rerum copiam, mirum profecto est, quomodo
Ven. Autor tanta brevitate complecti potuerit, ita tamen, ut il-
lorum omnium, quæ alias in integris voluminibus diffuse tra-
ctantur, nervos omnes, cum in confirmanda thesi, tum in refel-

Digitized by Google

lendis dissentientium argumentis & objectionibus, præmisso controversiæ cujusvis statu, exhibeat. Statuerat secum, elenchum *Anti-Muhammedanum* adjicere, sed indignos judicavit absurdos errores, qui operose refutarentur. Tractationem vero controversiarum, quæ nobis cum ecclesia *Reformata* intercedunt, quo minus adjecerit, tomi mensuram, quæ plura non ceperit, impedivisse, in præfatione profitetur. Demonstrationis, quam singuli causæ Dei Tomi conjunctim exhibent, summam his quinque positionibus Ven. Autor includit. 1) *Datur religio naturalis.* 2) *Et hæc nos deducit ad revelatam, traditam in Scriptura sacra.* 3) *Scriptura sacra, & doctrina in ea contenta, est divina.* 4) *Systema doctrinæ evangelicæ est Scripturæ sacræ conforme, ideoque verum.* 5) *Systema Theologiæ Judaicæ hodiernæ, nec non Socinianæ ac Pontificiæ, Scripturæ sacræ repugnat, ideoque falsum est.* Sub finem præfationis Autor indicat, se, hoc labore absoluto, ad labores *exegeticos* reverti, cœptasque *commentationes in singulas N. T. epistolas Apostolicas*, una cum *Isagoge in lectionem & anacrysin Apocalypseos*, uno volumine majori edendas, sedulo pertexere; ad quod opus feliciter absolvendum largam divinæ gratiæ mensuram ipsi apprecamur.

J. C. S. EXPLANATIO INSCRIPTIONIS cujusdam veteris.

NOta est Inscriptio illa Bononiensis:

D. M.
ÆLIA LÆLIA CRISPIS
NEC VIR, NEC MULIER,
NEC ANDROGYNA,
NEC PUELLA, NEC IUVENIS,
NEC ANUS,
NEC CASTA, NEC MERETRIX,
NEC PUDICA,
SED OMNIA,
SUBLATA
NEQUE FAME, NEQUE FERRO,

NEQUE

Digitized by Google

NEQUE VENENO,
SED OMNIBUS.
NEC COELO, NEC TERRIS,
NEC AQUIS,
SED UBIQUE IACET.
LUCIUS AGATHO PRISCIUS,
NEC MARITUS, NEC AMATOR,
NEC NECESSARIUS,
NEQUE MOERENS, NEQUE GAUDENS,
NEQUE FLENS,
HANC
NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM,
NEC SEPULCHRUM,
SED OMNIA,
SCIT, ET NESCIT, CUI POSUERIT.

II Satis celebres sunt interpretationes Richardi Witii, Joannis Turrii, Franciſci Scoti, Nicolai Barnaldi, Andreæ Nesmondii, Joannis Caſperii Gevartii, Octavii Boldonii, Marci Zoerii Bockshornii, Fortunii Liceti, Ovidii Montalbani, Aldrovandi, Achillis Voltæ, Zachariæ Pontini, Caroli Cæſaris Malvaſiæ, Heumanni, Franciſci Maſtrii, & multorum aliorum. Sed nihilo minus novæ conjecturæ erit locus. III Nos quidem nihil addubitamus, quin *Ælia Lælia Criſpis* ſit Eccleſia, qualis fere his in terris eſſe ſolet. Nam cœtus Chriſti, qui uno capite a Deo eſt ornatus & corporis Chriſti nomine honeſtatur, de ſententia ipſius Pauli *nec vir eſt, nec mulier*, Galat. III, 28, ſed ex viris tamen & mulieribus & puellis & juvenibus conjunctus. IV Autor inſcriptionis fœminæ nomen dedit eccleſiæ, quia ſponſa Chriſti eſt Eccleſia. Caſta tamen non eſt, nec pudica hæc ſponſa, ſi veterem ejus conditionem ſpectes, & eam identidem propter imbecillitatem humanam a ſponſo deſciſcere memineris. Meretrix tamen non eſt, quia ſponſo reconciliata per ejus exuperantiam caſtitatis & honeſtatis condecoratur, ut ipſa quoque caſtiſſima eſſe videatur. V Cœtus hujus membra alia aliis ſuppliciis excruciata occiderunt, & poſt mortem alia alibi ſuum ſortita ſunt locum. Nullum quidem mortis genus eſt, quod non alios Chriſtianos alibi

sustulerit. Eorum autem corpora cum misere fuerint dilacerata & dispersa : *ubique* jacere vere dicuntur. VI *Lucius Agatho Priscius* Autor hujus inscriptionis existimandus est, sive verum hoc ejus nomen fuit, sive commentitium. Dicitur autem nec *maritus* esse, nec *amator*. Maritum quidem ecclesiæ nemo se dixerit sanus. Neque magis amatorem se quisquam appellaverit. Cum enim ecclesiæ his in terris degentis membra multa sæpe sint peccatis contaminata, peccatis autem nemo non recte sit offensus & infestus: amatorem talium personarum nemo se temere profitebitur. VII Idem Priscius nec *mœrere* nec *gaudere* nec *flere* dicitur. Cum enim singula cœtus Christiani membra vitæ rationibus mirifice discrepent: profecto nec amoris nec gaudii nec mœroris materia queunt esse promiscue. VIII Monumentum autem quod cœtui illi Christiano posuerat autor, moles fuit pyramidis speciem quoquo modo imitata, quæ sepeliendi, item ut pyramides Ægyptiæ, locum daret. Magnifica quidem moles illa non fuit, si artem spectares : magnifica tamen satis, si situm ac naturam loci. Moles autem de operibus artis potiore quodam jure vulgo dici putatur. Multa quidem loca & opera ex alio atque alio loco considerata vel moles vel pyramides videantur, quæ ipsa tamen per se & aliis rursus e locis spectata nihil molis nec pyramidis habere videntur. IX Et quia monumentum idem, cum hæc inscriptio confingebatur, nondum cadavera hominum sepulta continebat, & aliis item usibus sacratum erat, uti templa nostra fere sacrata sunt: fidenter sepulcrum esse negatur, quamvis etiam sepulcrum esset, & esse deberet. X Sed Priscius cum nesciret, qui tandem forent ii, qui huc inferrentur aut mole illa uterentur, quanquam hominum usum facile prævidere poterat & eum ipse spectaverat : belle ait se & *scire* & *nescire, cui monumentum istud posuerit*. Scienter quidem loquitur tam inscienter, uti inscienter fecerat monumentum illud & scienter. XI Neque vero quenquam offendi velim literis *D. M.* quæ gentilium monumenta tam crebro insigniunt. Certum est enim ex libris Fabretti, Gruteri & aliorum qui inscriptiones collegerunt, easdem a monumentis Christianorum non magis abesse solere. Et quoniam illæ *Deum Magnum* signare possunt, saltem in Christianorum monumentis cum

Digitized by Google

cum unum ſignare debent, propterea quod religio illorum præter unum Deum nihil auguſti nec ſummo honore digni agnoſcit: non poterunt eæ hic certe in aliam ſententiam detorqueri. XII Nam quod caput cauſæ noſtræ eſt, inſcriptio hæc a Chriſtianis profecta eſt, & eo quidem tempore proponi cœpit, cum jam dudum orbis terræ & præſertim etiam Italia religioni ſibi duxiſſet, religionis non eſſe Chriſtianæ. Inſculpta eſt quoque templo, cui convenientiſſima erat & jure ſuo debita. Et quia *eccleſiæ* nomen jam eo tempore ad *templa* quoque adhæſerat: Autori Inſcriptionis utraque vocabuli hujus vis ante oculos obverſata videtur. XIII Ita igitur conſilium quoque ſcriptoris perſpectum nobis eſt & exploratum. Quando ergo nihil eſt totius inſcriptionis, ad quod non quadret noſtra interpretatio: eruditi judicent, ſatisne fecerimus operæ pretium.

NOVA LITTERARIA.

CUm nuper in manus noſtras inciderit ſcheda Typographi Veronenſis, qua liber novus nuntiatur, eam hoc loco deſcribere non gravabimur: eſt vero hæc: *Officii mei eſſe duxi, ego Albertus Tumermannus, Typographus Veronenſis, ut omnibus ſignificarem, intra proximum Januarii menſem proditurum e typis meis Marchionis* Scipionis Maffeji *Opus, cui titulus: Ars Critica Diplomatica, ſeu ejus ſpecimen duobus libris prioribus comprehenſum, in quibus Hiſtoria continetur documentorum cujuscunque generis. Ex iis ſatis apparebit, quam erroris plena hactenus fuerit eorum opinio, qui rem hanc operibus in lucem præterito ſeculo editis exhauſtam omnino & abſolutam putant. Etenim quæ ferme omnia duobus hiſce libris continentur, nova ſunt, quæque nemo alius animadverterit, etſi ab iis reliqua omnia tanquam a radice ſua oriantur. Veruntamen, cum & libro primo pateat, inſtrumentorum uſum vel apud Etruſcos invaluiſſe, addita eſt de primis antiquiſſimis Italis Diſſertatio, qua Autor idem ignotam adhuc Etruſcorum originem pandit, Etruſcæque linguæ veſtigia oſtendit, quæ Bochartum, Scaligerum ceteroſque omnes hactenus latuere. In*

eadem

Digitized by Google

eadem Dissertatione ostenditur, quanam prima fuerit Latina lingua, ac linguæ ejusdem monumenta a nemine hactenus agnita ostenduntur. Cum autem eodem in opere monumentorum series utilissima promittatur, idcirco & specimen quoddam hujus rei hic exhibetur, ex duobus ineditis Historicis, itemque instrumentis tribus seculi sexti, quorum authentica servantur in philyra. Cum vero liber Sardiniæ Regi inscriptus sit, in calce nuncupatoriæ Epistolæ icon Arcus collocatur, qui Secusiæ est, cum sculptili ejus opere universo, cumque ejus integra plenaque inscriptione, in qua complura ignotarum gentium nomina insunt, veteri Geographiæ nondum comperta, aliaque scitu dignissima. Eam inscriptionem complures eruditi, qui ad invisendam se contulerunt, hactenus frustra exscribere conati sunt. In libri fine placuit opusculum aliud addere Autoris ejusdem, quod ferme ineditum dici potest, adeo pauca ejusdem exemplaria excusa fuere: qua de re, ab iis qui ultra montes degunt, quotidie efflagitatur: id est Epistola S. Jo. Chrysostomi ad Cæsarium, prout in codice Florentino visitur, cum fragmentis duobus ex Græco originali noviter repertis, & animadversionibus tam celebrem quæstionem demum enodantibus. Veronæ Kal. Dec. A. 1726.

Prodit cum hoc Mense Supplem. Tomi IX Sectio VII, qua exhibentur: *1 Eustachii Manfredi* Mercurii Solis congressus observatus, Bonon. 1724, 4; *2 Jo. Rizzetti* Diss. de Lunæ defectu; *3 Ejusd.* Ludorum Scientiæ Continuatio; *4 Frid. Sim. Læfleri* Specimen Exegeseos sacræ in explanatione parabolæ de Patrefamilias & operariis in vinea. Lipsiæ 1726, 4. *5 Maximil. Wietrowsky* Historia de magno Schismate Occidentis, Vetero-Pragæ 1724, fol. *6 Jac. Paul. a Gundling* Atlas Brandenburgicus, Potsdami 1724, 8; 7 *Ejusd.* Atlas Pomeranicus, ib. 1724, 8; *8 Jo. Gottlieb Heineccii* Elementa Juris Civilis &c. Amstel. 1725, 8. it. eadem Elementa cum Animadv. *Jo. Georgii Estor*, Giessæ 1727, 8. *9 Morelli de Mautour* Observatio de Ara Apollinis Colmariæ nuper reperta &c.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCXXVII.

HISTORIÆ COELESTIS BRITANNICÆ Volumina tria; Autore JOANNE FLAMSTEDIO, Aſtronomo Regio.

Londini, apud Henr. Meere, 1725, fol. maj.

Alph. 13.

Joannes Flamſtedius, hujus libri Autor, natus *Derbiæ* A. 1646 d. 19 Aug. & defunctus *Grenovici* A. 1719 d. 31 Dec. primum in patria ſua, deinde ab A. 1676 Grenovici, prope Londinum, obſervationibus Aſtronomicis, annis fere 50, auſpiciis & ſumtibus regiis vacavit. Cujus quanto majora ſunt in aſtrorum ſcientiam merita, tanto etiam hic, qui nunc prodit, collectarum tam longe tempore obſervationum theſaurus magis a rerum peritis æſtimabitur. Opus integrum *Flamſtedius* ipſe quidem abſolvit, ſed cum magna ejusdem pars typis jam exſcripta eſſet, eidem immortuus eſt.

Volumen primum continet ſtellarum fixarum & planetarum omnium obſervationes, ſextante & micrometro peractas, ſubjunctis locis, quæ ex obſervationibus deducta ſunt. Partibus conſtat ſeptem. Pars I obſervationes Derbienſes, P. II Grenovicenſes habet, quæ quidem ſpectant ad ſtellarum fixarum diſtantiam. Pars III refert obſervationes cometarum & planetarum primariorum. Narrat ibidem de cometa A. 1677, quod caput ejus, diametri unius minuti, teleſcopio conſideratum, non rotundum ſed aſperum apparuerit, caudamque traxerit, latam $\frac{1}{4}$ diam. lunaris, & 6 gradus longam. Parte IV appulſus Lunæ ad fixas, P. V ſatellitum Jovialium, P. VI macularum Solarium, P. VII al-

titudinum & distantiarum Solis a vertice, itemque distantiarum Veneris a Sole, observationes, ab A. 1676 ad A. 1689 factas, comprehendit.

Volumen secundum complectitur fixarum stellarum & planetarum omnium transitus per planum arcus meridionalis, & distantias eorum a vertice, nec non Solis, Lunæ & satellitum Jovis observationes arcu meridionali habitas, & loca planetarum inde derivata, ab A. 1689 ad A. 1720.

In *Volumine tertio* occurrunt amplissima prolegomena, catalogo stellarum præmissa. In iis uberius disserit Autor de hi-
p. 1. storia Astronomiæ. Putat igitur, ex historia Mosaica apparere, quod Patriarchæ annos solares, ab exordio mundi computatos, & præterea menses lunares habuerint, quos absque aliqua motuum solarium & lunarium notitia definire haud potuerint, & inde colligit eos Astronomiam coluisse. A Patriarchis, secundum
9. Flamstedii sententiam, pervenit hoc studii genus ad Israelitas, a quibus, cum inter Babylonios captivi tenerentur, Chaldæi eandem scientiam didicerunt. Eodem fere tempore Pythagoram in Babyloniam venisse, & a Judæis principia Astronomiæ accepisse,
16. arbitratur. Ptolemæi Catalogum esse Hipparcheum, traductum ad initium regni Antonini, addendo Hipparchi longitudinibus 2 gr. 4 min. sed errasse Ptolemæum, quia annis 265 motus fixa-
19. rum antrorsum est 3 gr. 41 min. De armillis Eratosthenis ex Procli hypotypos. Astron. C. II colligit, diametrum earum 3 pedum,
20. & gradus in 5 minuta divisos fuisse. Arabes tales non solum armillas habuisse, sed eas ampliores fecisse, & quadrantes quoque
34. & sextantes esse fabricatos. Regem Alphonsum, cum novas suas tabulas componeret, id tantum propositum habuisse, ut eas conformaret Ptolemaicis, & observationibus notatu dignioribus fuis-
36. se destitutum. Observationes recentiorum, Joannis Regiomontani, Bern. Walteri, & Nicolai Copernici, vel proterea meliores esse censendas, quia regulis parallacticis, quæ armillis multum
43 sq. præstant, factæ sunt. Agit etiam copiosius de Tychonicis instrumentis, & totam fere Astronomiæ instauratæ mechanicam a Tychone editam, insertam prolegomenis suis, repetit, nec veretur Tychonicis instrumentis suum sextantem & quadrantem, instru-

Digitized by Google

ſtructum duabus cochleis perennibus, & duobus ſemicirculis dentatis, præferre. Hinc exponit de ſuis obſervationibus. Anno nimirum 1676 ingreſſus eſt obſervatorium regium Grenovicenſe, adhibuitque cœli ſpectaculis ſextantem, cujus limbus erat cochleatus, & duo pendula, hisque primum fixarum diſtantiam, inde etiam planetas menſurare eſt auſpicatus. Sextantem & quadrantem meridionalem, muralem, poſtea paratum, uberius deſcribit. Tandem de catalogo ſuo fixarum, & harum figuris ſpeciatim diſſerit, & monet, ſe debuiſſe recedere a Bayeri mappis, in Uranometria exhibitis, tum, quoniam figuras ex Catalogo Tychonico deſumſit, quasdam etiam viſu tantum æſtimatas addidit, tum etiam quia omnes formas humanas, præter Bootem, Andromedam & Virginem, depinxit, partibus poſterioribus ad nos converſis, qua ratione aſtra, quæ veteres Aſtronomi collocarunt in partibus dextris, cadunt ſecundum eum in ſiniſtras. Putat autem, Bayerum deceptum eſſe lexicographorum interpretatione vocum ἐν νώτῳ, in dorſo, & ἐν μεταφρένῳ, in interſcalpilio, quæ apud Ptolemæum leguntur. Flamſtedius νῶτον coſtas, μετάφρενον ſpatium inter lumbos & ſcapulas interpretatur, & quidem non ſolum a poſteriore, ſed etiam ab anteriore parte. p. 102 ſq. 107 ſq. 154 ſq. 156.

Prolegomenis hiſce pars prima voluminis abſolvitur. *Pars ſecunda* continet præcipuos Catalogos fixarum ante ſe editos: *Ptolemaicum* ex MS. correctum, *Ulugbeighii*, *Tychonis*, *Guilielmi* Haſſiæ Landgravii, & *Hevelii*, nec non *Abr. Sharpii* indicem fixarum auſtralium, in noſtro hemiſphærio haud conſpicuarum. *Parte tertia* ſequitur *Catalogus Britannicus*, ad A. C. 1689, a Flamſtedio elaboratus. Et ſubjunguntur eidem ſeparatim longitudines & latitudines ſtellarum fixarum, quas Luna & planetæ tegere poſſunt. Additur etiam appendicula tabularum aſtronomicarum a *Sharpio* conſtructarum.

THE RELIGION OF NATURE DELINEATED.

i. e.

RELIGIO NATURALIS DELINEATA.

Londini, apud B. Lintot, W. & J. Innys & rel. 1726, 4. Alph. 1 plag. 6.

Occasio hoc scriptum elaborandi Cl. Autori, *Wilhelmo Wollaston*, qui nomen in titulo omittens, adscripsit tamen in fine operis, suppeditata fuit, cum Vir quidam illustris ab eo quæreret, an detur religio naturalis? & si talis existat, quidnam sit? ac quibus mediis homo aptus fieri queat, ut de variis religionibus rectam ferre sententiam, quidve de controversis dogmatibus sit judicandum, solide cognoscere & hoc modo vera animi tranquillitate frui possit, ita ut neque aliis sit molestus, neque ab aliis suam sibi tranquillitatem eripi patiatur? Ut ad hasce quæstiones Autor accurate responderet, totum Systema suum certis sectionibus ac propositionibus inclusit, quas in textu subjuncto fuse explicat; sub singulis autem paginis notæ conspiciuntur, testimonia ex Philosophis Græcis, Romanis & Hebræis continentes, ita tamen ut neque in sermonem vernaculum transferantur, neque loca, ex quibus depromta sunt, indicentur. Prima Sectio agit de bono & malo morali. Nam fundamentum religionis Autor collocat in discrimine inter actiones vel moraliter bonas vel malas vel indifferentes intercedente, & ad talem actionem requiri ait, ut ab agente intellectus ac liberæ voluntatis compote suscipiatur. Ubi imprimis ceu certum axioma ponit: hominem æque factis ac verbis veritati contradicere ac negare posse, quod res sint id, quod tamen revera sunt; nullam vero actionem hominis rationalis, cui bonum vel malum morale imputari potest, pro bona haberi posse, quæ veritati contradicat, aut neget, rem esse id, quod reapse est. Quæ cum ita sint circa actiones cum veritate pugnantes, exinde manifestum est, idem dicendum fore de quacunque omissione, qua res homini rationali agenda negligitur: nimirum per hujusmodi omissionem veritas itidem læditur, nam tum homo ita se gerit, ac si falsum esset, rationem ac legem naturalem tale quid præcipere, quod tamen revera præcipit, & tum tales omissiones ex eodem fundamento paulo ante allegato sunt moraliter malæ & injustæ, siquidem bonum & malum morale cum justo & injusto sint unum idemque. Hinc actiones cum veritate pugnantes esse vitandas ceu moraliter malas, & e contrario actiones veritati convenientes esse suscipiendas ceu moraliter bonas. Ex hisce principiis

fuse

fuse deductis, nimirum existentia boni & mali moralis, jam Autor concludit, dari omnino religionem, quæ proprie dici queat naturalis. Per religionem autem se intelligere dicit obligationem, vi cujus teneamur illud facere, quod non est omittendum, ac omittere ea, quæ non sunt facienda. Omne igitur Ens intellectu ac libera voluntate præditum se ita gerere debet, ut in nulla actione contradicat veritati, sed de quacunque re veritati ac naturæ rei convenienter sentire, loqui & agere pro virili satagat, id quod Autor multis testimoniis Ethnicorum, Judæorum & Christianorum confirmat, & simul ad objectiones respondet, quæ contra hæc principia, omnia religionis naturalis officia, quin etiam discrimen essentiale inter bonum & malum morale continentia, afferri possent. Quo facto in Sect. II inquirit in naturam ac indolem veræ felicitatis, ubi capita primaria eo redeunt, veram felicitatem nulla re, quæ veritati sit contraria, effici posse, & veritatem ejusque exercitium homines non posse reddere infelices, adeo ut genuina via ad veram felicitatem & constans veritatis exercitium sint unum idemque; cumque doctrina de religione naturali nitatur discrimine boni & mali in ipsa rerum natura fundato, quandoquidem, Cicerone teste L. I de legibus, honesta & turpia in opinione, non natura posita existimare dementis sit: omnino religio naturalis exacte convenit cum ea doctrina, quæ veram hominis felicitatem pro scopo habet præfixam, quatenus ea quoque nititur hoc discrimine, quod inter delectationem aut tranquillitatem & dolorem aut anxietatem deprehenditur. Quapropter cum omnia ad veritatem redeant, in Sect. III disquiritur, quid sit ratio, & quibus mediis veritas obtineri queat. Ubi per rationem intelligit facultatem Entis intelligentia præditi, cujus beneficio veritates ignotæ ex magis notis ac perspicuis eliciuntur ac deducuntur. Hic Autor supponit ideas generales, immediatas, neutiquam ope sensuum acquisitas & abstractas, cujusmodi multas ad Logicam, Metaphysicam & Mathematicam pertinentes in nobis deprehendimus, de quarum certitudine nobis intime sumus conscii, & quarum beneficio ratiocinationes ac demonstrationes fiunt, qua occasione contra Scepticos & Pyrrhonios rectam rationem ac ve-

ritatem evertere fatagentes disputat, & vanissimos eorum conatus esse ostendit. Etenim a falsis ratiocinationibus hominum, facultatibus a Deo concessis propter negligentiam vel pravos affectus male abutentium, inepte concludi, nullam dari rectam rationem. Hinc Propos. X Autor observat, quod rectæ rationi convenienter agere, & secundum veritatem actiones humanas informare, reapse sint unum idemque. Quicunque igitur sequitur rectam rationem, cujus est verum a falso discernere, ille necessario est assecla veritatis, eidemque convenienter agit. Hæc autem est lex generalis, quam Autor naturæ omnibus creaturis, quarum excellentissima facultas est ratio, præscripsit, ut sedulo auscultare rationem, eidemque obedire debeant, utpote cujus decisiones in casibus particularibus sint leges particulares, quæ ipsas obligent. Unde iterum manifesto elucescat, dari omnino religionem, quæ sit naturalis. Nam obedire legibus autoris naturæ suæ rationalis, est sine dubio quædam religio: ac obedire legi, quæ exinde nobis innotescit, quod facultatibus naturalibus recte utamur, nil aliud est, quam habere religionem naturalem, adeoque veritati addictum esse, viam veræ felicitatis ingredi, eaque facere, quæ rationi conveniunt, sunt revera unum idemque. Hinc religio naturalis fundatur in triplici eodemque arctissimo nexu *veritatis*, *felicitatis* ac *rationis*. Quæ sunt res ad eundem finem tendentes eademque methodo utentes ad debitam perfectionem naturæ humanæ conciliandam. Ac proinde religio naturalis appellari potest inquisitio felicitatis beneficio rationis ac veritatis. Quam ob causam Autor quoque agit de criterio veritatis, id est certa cognitionis nostræ nota, quæ nos plene convincit, quod hæc vel alia doctrina sit vera, ubi omnia redeunt ad evidentiam idearum internam earundemque nexum, uti & consequentiarum exinde deductarum. Ceterum in hac doctrina de certitudine quoque sensuum, nec non probabilitate, quatenus hominum actiones dirigere possunt, Autor agit Propos. XIII & sqq. Cum vero dubium moveri possit, an homo sufficientibus sit instructus viribus secundum veritatem actiones suas instituendi, quamvis concessum fuerit, eum veritatem satis & abunde cognoscere: hinc Autor Sect. IV agit de obligatione Entium imperfectorum

Digitized by Google

ctorum ratione virium agendi, quibus sunt instructa, ubi Autor, uti alias sæpe, rem altissime repetit & talia haud raro affert, quæ instituto parum inservire posse videbantur. Quo pertinet sine dubio prima propositio in hac Sectione, qua Autor pronunciat, Non-Ens haud esse capax ullius obligationis, addita hac ratione: nam obligare Non-Ens idem est ac non obligare. Sic etiam frustraneum videtur, peculiari propositione indicare, obligationem in Entia vita ac sensu destituta cadere non posse. Quod autem ad Entia intellectu prædita attinet, illa tenentur facere, quantum vires permittunt, ea, quæ rationi conveniunt, ita ut neque verbis neque factis veritatem lædant. Ubi non necessarium esse putat de libertate hominis multa disputare, cum ipsa experientia homines, si serio agere, neque studio nugas agere velint, satis convincat, voluntatem ipsorum neutiquam absolute esse determinatam ad faciendum illud, quod faciunt, neque hac in parte prædestinationem esse, neque fatalem necessitatem, sed pleraque ad agendi rationem spectantia hominis arbitrio esse omnino relicta. Postquam igitur Autor hactenus ostenderat, in quo natura boni & mali moralis consistat, nimirum in convenientia vel pugna cum veritate, ac rebus eodem pertinentibus, ratione scilicet ac felicitate, item quomodo veritas ab hominibus acquiratur, nimirum vel per rationem, vel per sensus, vel per utrumque simul: jam de illis veritatibus speciatim agit, quæ in vita humana sunt maximi momenti, ac respiciunt potissimum vel Deum, vel nosmet ipsos, vel alios. De prioribus igitur agit Sectione V, in quem finem ante omnia demonstrat existentiam Dei, ejusque providentiam, & summam perfectionem. Existentiam Dei probat argumento notissimo, jam ab Aristotele in hoc negotio quam optime adhibito, & a subordinatione causarum desumto. Unde hanc primam format propositionem: ubi est subordinatio causarum & effectuum, ibi necessario est prima causa, prior reliquis omnibus, nullamque aliam causam agnoscens; vel hoc modo: ubi est series, in qua existentia unius rei dependet ab alia, hujusque existentia iterum ab alia, & sic porro, ascendendo demum deveniendum est ad causam primam independentem, a qua omnes reliquæ causæ dependent. Hæc probat

bat ac deducit Autor methodo Algebraica, & confirmat locis variis non Aristotelis solum & Simplicii, verum etiam Philosophorum Judæorum, & ad dubia, quæ opponi possent, itidem respondet. Ex qua prima propositione jam prono alveo sequitur altera, ut nimirum causa, quæ non habet causam superiorem in natura, sit per consequens independens ac per se existens, i. e. existentia ipsi essentialis sit necesse est, vel natura ejus ita comparata est, ut non possit non existere: nam omne Ens existit vel per se, vel non existit per se. Omne quod non existit per se, originem trahit ab alio, & ab eo per consequens dependet. Hinc tertio sequitur, necessario esse Ens, quod omnibus reliquis Entibus existentiam dederit; nam nisi tale Ens existeret, nullum Ens unquam existere potuisset. Etenim nulla res neque hoc universum neque ulla ejusdem pars semet ipsam producere potuit, nam hoc idem foret, ac si quis diceret, rem extitisse, antequam extiterit, vel rem vi agendi præditam fuisse prius, quam extiterit, id quod manifestam involvit contradictionem & absurditatem. Hanc esse rationem Autor dicit, cur Deus Mosi nomen suum ab eo quærenti responderit אהיה אשר אהיה ero *qui ero*, vel uno verbo אהיה, quod in ore alterius, qui de Deo loquitur in tertia persona, est יהוה vel יהוה, neque aliud quid significasse nobilem illam templi Delphici inscriptionem *Ei Tu es*, quam hoc ipsum Dei nomen, quo in secunda persona compellatur, unde Plutarcho dicitur αὐτοτελὴς τῷ Θεῷ προσαγόρευσις καὶ προσφώνησις. Tale Ens, prout hactenus descriptum fuit, quarto non solum necessario esse æternum, sed etiam infinitum, adeoque etiam quinto esse supra omnia Entia, quæ sub nostram cadunt cognitionem, & perfectissimum & unicum, nam si Deus perfectus est, non potest esse nisi unus, id quod VII propositione deducitur. Hoc Ens unicum, supremum, perfectissimum esse Autorem naturæ, a quo existentia & proprietates reliquorum Entium originaliter dependeant, ac uno verbo, nimirum nomine Dei exprimi, quod propositione VIII, IX, X probatur. De Deo porro probat, eum neque esse corporeum, vel materiam infinitam, quod in materia talia sint, quæ naturæ divinæ penitus repugnent, neque spatium infinitum, Propos. XI, XII,

nam

Digitized by Google

nam ſpatium nihil aliud eſſe quam ſimplex vacuum, & ſi quis dixerit, infinitum ſpatium eſſe Deum, vel Deum eſſe infinitum ſpatium, idem eſſe ac ſi dicatur, Deum eſſe infinitum vacuum, quam propoſitionem maxime abſurdam imo blaſphemam eſſe Autor cenſet. Quomodo enim ſpatium, quod nil aliud eſt, quam vaſtum vacuum, ac potius idea negativa, quam poſitiva, poſſet eſſe prima cauſa omnium rerum? quorum attributorum, ſi extenſionem & penetrabilitatem excipias, quarum quæſo perfectionum eſt illud capax? Quando autem Rabbini Deum מקום appellant, quamvis etiam Cabbaliſtica ratio ſubeſſe videatur, imprimis Dei omnipræſentiam & immenſitatem hac appellatione exprimere volunt. Quo itidem ſpectat locus Act. XVII, ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινέμεθα καὶ ἐσμέν. Propoſ. XIV & XV, ex diſpoſitione mundi, ejusque ſtupenda magnificentia, variis item phænomenis, quæ ibidem conſpiciuntur, &c. nec non ex vita, ſenſu, cogitatione & omnibus facultatibus animæ noſtræ rationalis probat Autor exiſtentiam Entis ſupremi, omnipotentis, omniſapientis, nimirum Dei, qui hæc omnia condidit, ubi rejicit eorum opinionem, qui animam corpoream vel materialem eſſe cenſent, id quod vel exinde eluceſcat, quod de materia ſatis convicti ſimus, in ea nihil eſſe, quod cum facultate cogitandi conveniat. Hinc neceſſario ſequi, aliud genus ſubſtantiarum præter corporeas dari, nimirum Spiritus, in quorum claſſem anima omnino noſtra ſit referenda. Poſtquam Autor exiſtentiam Dei, omniaque Entia a Deo producta eſſe probavit, providentiam quoque Dei probare aggreditur Propoſ. XVIII, ubi, quod ad providentiam ſpecialem circa homines attinet, oſtendit, præſcientiam Dei libertatem hominis neutiquam tollere. Nimirum Deus actiones liberas præſcit, quoniam a Creaturis rationalibus in tempore ex libera voluntate ſuſcipientur, ſed non propterea fiunt, quia Deus præſcit; ſi creatura rationalis aliter actiones ſuas determinaret ſive ad bonum ſive ad malum, Deus pro infinita ſua ſcientia aliter quoque prævidiſſet. Sicut tu, inquit Auguſtinus, memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt; ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. Neque hæc præſcientia Dei preces hominum ſtra-

ſtraneas aut irritas reddit. Nam Deus hoc quoque prævidit, fore ut homines pœnitentes ac fideles in tempore precibus ſuis devotis gratiam ac miſericordiam ſuam ita ſibi conciliaturi ſint, ut bona ſpiritualia ac temporalia ipſis clementiſſime impertiturus, varia itidem mala averruncaturus ſit. Hanc providentiam Dei Autor quoque a valde communi objectione vindicat, quod nimirum boni ſæpe in hac vita cum magnis conflictentur calamitatibus, mali e contrario haud raro inſigni floreant felicitate. Autor imprimis oſtendit, haud facile eſſe juſtam ferre ſententiam de virtute ac vitiis, nec non felicitate ac infelicitate hominum. Multi videntur & non ſunt, multi ſunt, & non videntur. Ceterum Autori, circa providentiam Dei, qua omnia gubernat, illud a veroſimilitudine abhorrere non videtur, multas res in hoc mundo geri per ſecretas ac ſubitas inſpirationes mentibus hominum a Deo ſuggeſtas. Saltem Ethnicos huic ſententiæ fuiſſe addictos, quemadmodum Homerus Deos ſuos hoc ipſum facientes ſæpiſſime introducat:

Τῷ δ' ἄρ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε Θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Quem & alios hujusmodi locos quamplurimos Poetæ Plutarchus ita explicat, ut Poetam ſignificare velle dicat, quod Deus homines in rebus magnis gerendis adjuvet: τῆς ψυχῆς τὸ πρακτικὸν καὶ προαιρετικὸν ἀρχαῖς τισι, καὶ φαντασίαις καὶ ἐπινοίαις, ἐγείροντες, ἢ τοὐναντίον ἀποτρέποντες, καὶ ἰσάντες. Id quod Cicero hisfere verbis confirmat: *Fuit profecto quibusdam ſummis Viris ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna.* Sic etiam fieri poſſe & valde probabile eſſe etiam ſecundum lumen rationis, Autor exiſtimat, quod exiſtant ſubſtantiæ inviſibiles & ſpirituales noſtra natura longe ſuperiores & excellentiores, quas alias Spiritus vel Angelos appellamus, quorum opera ac miniſterio providentia Dei in gubernatione hujus orbis terrarum, & ſingulorum quoque hominum ſæpiſſime utatur. Nam affirmare, tales omnino dari ſubſtantias, nullam prorſus implicare contradictionem vel abſurditatem: e contrario maximam adeſſe rationem credendi, dari creaturas rationales nobis longe excellentiores ac perfectiores, cum de noſtra imbecillitate ac imperfectione abunde convicti ſimus, & quamvis ſubſtantiæ ſpirituales

ſub

Digitized by Google

ſub noſtram imaginationem cadere non poſſint uti corporeæ: nihilo ſecius tamen ſuperiori ac rationali parti mentis humanæ ideam ſubſtantiæ ſpiritualis, æque ac corporeæ, claram & perſpicuam eſſe, illosque, teſte Platone, eſſe Philoſophos admodum ineptos, omnisque veræ ſapientiæ expertes, qui nihil exiſtere putant, niſi quod manibus contrectare, vel oculis uſurpare queant.

Exiſtentia igitur ac providentia ſummi Dei certo demonſtrata, neceſſario ſequitur, ut homines Creatorem ac gubernatorem ſuum rite colere teneantur. Hic cultus autem veritati ac ipſius Dei naturæ debet eſſe conveniens. Hoc Propoſ. XIX ab Autore tractatur. Ergo non debemus Deum ſub ulla imagine vel figura picturave, quæcunque demum ſit, nobis repræſentare, nam hoc ipſo negaremus naturam ejus incorpoream ac incomprehenſibilem. Ergo etiam de Deo ejusdemque attributis divinis cogitare ac loqui debemus cum maxima reverentia ac modo, quoad ejus fieri poteſt, Deum decente, ita ut quando de Deo talia dicimus, quæ hominibus quoque competunt, in ſenſu longe ſublimiori ac excellentiſſimo hæc intelligamus, certo perſuaſi, Deum omnes noſtros conceptus de eo longiſſime ſuperare. Quando laus honor & gloria Deo tribuitur, vel ipſe dicitur propter manifeſtationem gloriæ ſuæ omnia feciſſe, item quando noſtras actiones ad Dei gloriam promovendam ceu ultimum finem dirigimus, hæc non eo ſenſu accipi debent, quo accipiuntur inter homines, ubi de gloria, honore & applauſu loquuntur, quæ a multis tanto molimine affectantur. Quæ tamen gloriæ ſitis, ſi nimirum ab homine quæratur tantum propter ſe ipſum, ambitionem & vanitatem ſpirat, ac reapſe eſt ſomnium & phantaſia, id quod pluribus Autor probat. Adeoque ubi Deus dicitur omnia feciſſe propter gloriam ſuam, ſententia eo redit: quod ſumma naturæ divinæ excellentia ejusque ſapientia ac potentia infinita abunde eluceſcat ex forma hujus mundi omniumque rerum gubernatione, item ubi gloriam omnium, quæcunque a nobis facta ſunt, Deo adſcribimus, hoc ipſo ſignificare volumus, nobis nullam deberi gloriam, qui nulla potentia inſtructi ſimus, ſed toti ex Deo pendeamus, & ſi quid boni in nobis fuerit, hoc Deo ut vero autori penitus in acceptis referendum eſſe. Neque tamen

Deum quisque solum pro se intra privatos parietes, verum etiam publice colere vi religionis naturalis tenetur. In Sect. VI, VII & VIII Autor agit de veritatibus sive officiis, quibus homines inter se obligantur in statu naturali prius, quam leges humanæ in statu civili conditæ fuerunt. Item de veritatibus, quæ tum ad primas generis humani societates vulgo simplices dictas, nimirum conjugum, parentum & liberorum, Dominorum ac servorum, tum ad societates compositas & maximas civitates nimirum pertinent. Sectione tandem IX eæ veritates proponuntur, quæ alias officia hominis erga se ipsum dici solent, quæ singula Autor methodo hactenus observata pertractat, imprimis etiam Propos. VII & VIII immaterialitatem & immortalitatem animæ rationalis demonstrat, ita ut multa omnino egregia hic occurrant, quæ tamen specialius recensere velle, nimis longum & ab instituto alienum foret. Quam ob causam eadem ipsis lectoribus talium cupidis perlustranda relinquimus. Ceterum notamus, librum hunc jam antea, A. 1722, sed in gratiam fere amici A. F. ad quem scripsit, paucissimis exemplis editum, & jam demum publici juris factum tanto omnium plausu exceptum esse, ut & Ill. *Fridericus Christianus Weberus*, M. Brit. Regis Consil. ac Cel. *Jo. Laur. Mosheim*, Theol. Prof. Helmstad. Germanicam ejus versionem cum notis uberrimis moliantur, & nova ejus versio Gallica A. 1726 Hagæ Comitum 4 prodierit satis elegans, sub tit. *Ebauche de la Religion naturelle, par Mr. Wollaston, avec un Supplement & autres Additions considerables*, in qua nihil omisit interpres, quod ad ornandum illustrandumque opus pertineret. Nam & a Cl. Viro *de la Fayc*, Linguar. Orient. Hagæ Professore, loca Hebraica ad Græca omnia, paulo negligentius ab Autore citata, evolvi magna cura & accurate indicari curavit, verum & ipse novas notas passim subjecit, & sub finem addidit Supplementa, ubi 1) de Systematis hic propositi genuina ratione exponit, & cur ipse in Notis nonnullis ab Autore dissentiat, indicat, 2) quid Critici in hoc opere desideraverint, enarrat, & 3) de actione Dei in creaturas & de præmonitionibus physicis ingeniose disquirit. Ex eodem etiam interprete didicimus, Autorem paulo post editum librum e vivis excessisse, dolendumque adeo, hunc opus

opus alterum de religione relevata, quod molitum fuiſſe cenſet Interpres, perficere non potuiſſe. Quanquam inventus ſit in Anglia, qui librum non inelegantem *The Religion of Jeſus delineated*, Londini 1726, 4 eadem methodo edidit, de quo proxime in Actis noſtris dicemus.

AN INQUIRY INTO THE ORIGINAL OF OUR Ideas of Beauty and Virtue &c.

hoc eſt,

DISQUISITIO DE ORIGINE IDEARUM, quas de pulchritudine & virtute habemus, in duos Tractatus diviſa, quorum prior de pulchritudine, ordine, harmonia & conſilio, poſterior de bono & malo morali agit. Editio ſecunda, correctior & auctior.

Londini, apud J. Darby, A. Bettesworth, F. Fayram &c. 1726, 8, chart. aug. Plag. 22.

AUtor duplicis hujus Tractatus eſt *Franciſcus Hutcheſon*, Hibernus, qui ſub finem dedicationis nomen ſuum profitetur. In notionem pulchritudinis, inquiſiturus definitiones quasdam & obſervationes præmittit, quæ perceptiones noſtras concernunt, *ſenſationum* nomine venientes & actiones mentis inde conſequentes. Per *ſenſationes* intelligit ideas, quæ oriuntur in mente præſentibus objectis, in organa ſenſoria corporis externa agentibus. Obſervat, menti competere facultatem ideas ſeparatim receptas componendi & in complexis involutas ſigillatim perpendendi. Nos non alias habere ſubſtantiarum ideas, quam compoſitas ex variis ſimplicibus una menti impreſſis, dum eidem ipſæ ſubſtantiæ præſentes ſiſtuntur. Quodſi inſtructio, educatio vel præjudicium quoddam excitare debeat deſiderium vel averſionem objecti, opus eſſe opinione de perfectione vel defectu illarum qualitatum, quas in eo percipimus. Senſationes quasdam immediate animum voluptate perfundere, vel tædio affi-

Tract. I. Sect. I.

cere. Ideas ſimplices ab eodem objecto in diverſis ſubjectis ortas probabiliter differre, immo differre in eodem ſubjecto diverſo tempore, pro diverſa imaginationis diſpoſitione. Voluptatem vulgo quæri nonniſi in ideis ſimplicibus, ſed majorem offerri in complexis objectorum, quæ pulchra, regularia, harmonica appellantur. Sumit autem vocem *pulchritudinis* pro idea in mente exorta, *harmoniam* pro ideis, quæ placent, ortis ex compoſitione ſonorum. Pulchritudinem enim ad viſum, harmoniam ad auditum refert. Facultatem percipiendi illas ideas *ſenſum internum* appellat, propterea quod etiam pulchritudinem deprehendamus in objectis ſenſui non obviis, veluti in theorematis & cauſis generalibus. Senſum appellat, quia ex confuſa oritur voluptas ideæ pulchritudinis adhærens, non ex diſtincta cognitione. Ideas vero pulchritudinis & harmoniæ cum voluptate neceſſario eſſe conjunctas, quæ differat a gaudio ex utilitate, quam ab objectis ſperamus, percepto. Dividit pulchritudinem in *originariam* ſive *abſolutam* & *comparativam* ſive *relativam*. Illa oritur absque comparatione objecti percepti cum re aliqua externa, quam referre ſupponitur; hæc vero, dum objecta quædam tanquam aliorum
Sect. II. imitamina ſeu imagines conſideramus. Inquirit deinde in qualitates objectorum, quæ vel excitent, vel ſint occaſio pulchritudinis & harmoniæ idearum. Primo loco hic producit figuras regulares, quæ placeant ob uniformitatem varietati admixtam, ut major ſit pulchritudo, ſi major varietas cum æquali uniformitate vel major uniformitas cum æquali varietate occurrat. Digreditur inde ad naturæ opera, ubi itidem ex varietati infinitæ admixta uniformitate pulchritudinem oriri probat. Ad pulchritudinem originariam, de qua hic agit, refert quoque harmoniam ſeu ſoni pulchritudinem, quam etiam ex uniformitate varietati admixta deri-
III. vat. Theorematum ſeu veritatum univerſalium demonſtratarum pulchritudinem deducit ab unitate infinitatis objectorum in iis incluſa, qua infinite varia ad canonem generalem reducuntur. Axiomata minus pulchra haberi, propterea quod unitas pæne non advertatur ob vagam determinationem eorum, quæ ad eam reducuntur. Propoſitiones obvias & faciles minus placere a cognitione noſtra magis remotis. Et theoremata imprimis placere, quæ in-

gen-

Digitized by Google

gentem corollariorum numerum ſuppeditant. Pulchritudinem phantaſticam appellat, quam *Carteſius* ex principio, *cogito ergo ſum*, Scholaſtici ex principio contradictionis, *Leibnitius* ex principio rationis ſufficientis, *Puſendorffius* ex principio juris naturæ, ſocialitate, percepere. Placere quoque theoremata, quæ diſtincte cognita vera deprehenduntur, cum confuſe agnita viderentur falſa. Exempli loco affert *aſymptotas* curvis continuo appropinquantes, nunquam tamen ipſis occurrentes. Pulchritudinem operum artis ab uniformitate ſeu unitate derivat, quæ a ratione partium inter ſe & ad totum pendeat. *Pulchritudinem comparativam* a conformitate ſeu unitatis quadam ſpecie inter prototypon & ectypon arceſſit, ut adeo in hoc caſu nulla pulchritudo ineſſe poſſit prototypo. Exempli loco profert deſcriptiones poeticas, metaphoras, ſimilitudines, intentiones artificum in operibus artis, ubi quoque pulchritudinem conſiderat, quam intentioni Dei in operibus naturæ acceptam refert. Conſiderat deinde noſtra ratiocinia de fine & ſapientia cauſæ a pulchritudine & regularitate effectuum petita. Stabilire nititur principium, quod, ſi in ſyſtemate aliquo, ad alias formas indifferente, regularitas deprehendatur, cauſa deſtinato conſilio egerit. Multus eſt in eo, ut oſtendat, caſui regularitatem tribui non poſſe ex lege vel probabilitatis, quod irregulare ad regulare ſit ut infinitus numerus ad unitatem. Concludit tandem, ſi effectus aliquis ſæpius recurrat, quam per legem caſus determinari poteſt, præſumi conſilium agentis, & combinationes, quæ per vim absque intentione agentem explicari non poſſunt, idem probare; probabilitatem vero eſſe tanto majorem, quanto magis multitudo caſuum, in quibus contrarium contingere poteſt, ſuperat omnes caſus, in quibus aliquid fieri poſſe concipitur. Similitudinem quoque individuorum probabiliſſime arguere cauſam deſtinato conſilio in mundo producendo agentem. Nec minus huc facere diſſimilitudinem individuorum ejusdem ſpeciei. Unde Hypotheſin *Epicuri* atque *Carteſii* abſurditatis redarguit, quod formam univerſi deducant a vi citra directionem cauſæ deſtinato conſilio agentis materiæ infinitæ impreſſa. Etſi autem contendat, ex regularitate probari poſſe deſtinatum conſilium agentis, negat tamen ex irregularitate argui

Sect. IV.

V.

poſſe

posse ejus defectum. Inquirit tandem, quando sapientia & prudentia per pulchritudinem operis probari possit. Intelligit autem per sapientiam prosecutionem finis optimi per media optima. Huc refert mechanismum, quo plures partes invicem complicatæ ad eundem finem tendunt, quemadmodum Cl. *Wolfius* in Metaphysicis demonstravit, mundum & corpora ideo fieri opus sapientiæ divinæ, quod sint machinæ. Huc refert porro plurium effectuum utilium seu pulchrorum dependentiam a causa generali, ut adeo generales leges motus & causæ universales in natura rerum lo-
Sect. VI. quantur sapientiam Numinis. Hunc sensum pulchritudinis omnibus hominibus competere ostendit. E contrario autem contendit, sensum doloris esse externum, non perinde ac sensum pulchritudinis internum. Universalitatem sensus pulchritudinis a posteriori probat, & dubia quædam removet, quæ suboriri poterant.
VII. Docet deinde, sensum pulchritudinis objecto inhærentis dari in hominibus ante omnem consuetudinem, educationem & exem-
VIII. plum. Et ultimo denique loco removet præjudicium nonnullorum, qui sibi persuadent, inter steriles nugas referri debere sensum pulchritudinis internum. Omnium enim hominum molimina eo tendere, ut sensui interno, qui voluptate nos perfundit, satisfaciant. Hunc esse primarium finem, cur homines divitias appetant atque potentiam. Ceterum Autor sibi imaginatur, sensum istum pulchritudinis esse arbitrarium quid respectu Dei, ita ut Deus efficere potuisset, si libuisset, ut non placerent, quæ nunc placent, aut ut prorsus displicerent. Ac ideo in causas finales hujus sensus inquirit.

Tract. II. Progredimur ad Tractatum alterum, in quo Cl. Autor inqui-
Sect. I. rit in originem idearum virtutis & boni moralis. Per *bonum morale* intelligit qualitatem actionum, ob quam eas approbamus & in eo laudamus, qui nullam inde utilitatem recipit; per *malum* vero *morale* actionum qualitatem contrariam, ob quam eas aversamur. Primum igitur probat, sensum quendam moralem competere homini, quo bonum & malum morale percipit, diversum prorsus ab eo, quo percipit bonum & malum naturale: id quod exinde probat, quod ex actionibus aliorum bonis percipiamus voluptatem, etiamsi nulla inde in nos redundet utilitas, quodque

dete-

deteſtemur hominum ante plurima ſecula mortuorum actiones malas. Provocat quoque ad diverſos mali phyſici atque moralis in animo hominis effectus. Refutat eorum ſententiam, qui actionum honeſtatem ex utilitate metiuntur. Senſum moralem non pendere a religione contendit, propterea quod honori, fidei, generoſo animo, juſtitiæ ingens pretium ſtatuatur ab hominibus, qui vix ullam Dei notionem habeant, aut de præmio poſt hanc vitam obtinendo cogitent, & e contrario ab eo, quod eſt injuſtum, ſceleſtum atque crudele, abhorreant, etiamſi pœnam poſt hanc vitam metuant nullam. Imprimis urget, quod nullis præmiis pœnisque nullis adduci quis poſſit, ut aliorum laudet atque reprehendat actiones, quæ ipſum prorſus non tangunt. Oſtendit denique, ſenſum moralem nec conſuetudini, nec educationi, nec exemplis, nec ſtudio tribui poſſe, conſequenter Deum determinaſſe mentem noſtram, ut ex actionibus aliis voluptatem, ex aliis tædium percipiamus, quamprimum eas obſervamus, antecedenter ad commodi vel detrimenti opinionem, quod inde in nos redundare valet, perinde ac figura regularis primo adſpectu nobis in Geometria placet, etſi nullum inde in nos redundet commodum. Præter hunc ſenſum moralem agnoſcit quoque in homine determinationem quandam naturæ ipſius ad promovendum bonum aliorum, antecedenter ad omnem rationem utilitatis inde expectandæ. Atque in ea immediatum actionum virtuoſarum motivum conſtituit, rejectis aliis, quæ ab amore ſui ac utilitate ducuntur, locum habiturum, etiamſi non attendas ad ſtatum futuri ſeculi. Principium itaque virtutis ſtatuit benevolentiam ſeu ſtudium felicitatis aliorum, ita ut omnes actiones judicentur moraliter bonæ, quia benevolæ erga alias, nequaquam autem aliis perniciosæ. Hinc ipſam derivat religionem ſeu devotionem naturalem, cum non evidentius demonſtrari poſſit benevolentia adverſus benefactorem, quam ſincera laude & gratitudine, ſincero ſtudio agendi, quicquid a nobis requirit, infucata inclinatione ad deſideria ejusdem complenda & animo contento ſorte, quam noſtram eſſe voluit. Monſtrat porro, quomodo benevolentia ſit principium virtutis ſocialis. E contrario ſummum vitii gradum eſſe defendit malitiam minime lucroſam, ſeu

Sect. II.

III.

lætitiam ex alterius infelicitate perceptam. Fontem vitiorum ordinariorum esse amorem præpostterum sui ipsius, adeo violentum, ut benevolentiam superet. Amorem sui in sensu morali esse indifferentem, ubi alios non respicit. Hominem fieri objectum benevolentiæ propriæ, quatenus se ipsum consideret tanquam partem systematis rationalis, quæ utilis esse potest toti. Pulchritudinem moralem non alterari per morales qualitates objecti, nisi quatenus benevolentia actionis vel bonum publicum ea intentum augetur: inde nimirum esse, quod amor inimicorum niquissimorum inter summas virtutes numeretur. Ubi ex pluribus actionibus virtuosis una eligenda, hæc observari theoremata sensui morali conformia. 1) Si a pluribus actionibus idem felicitatis gradus expectandus, virtutem esse ut numerum personarum, ad quas se se felicitas extendit. 2) Si numerus hic personarum fuerit idem, virtutem esse ut quantitatem felicitatis ab actione procedentis. 3) Virtutem adeo in genere esse in ratione composita quantitatis boni & numeri personarum, quæ ejusdem participes fiunt. Quodsi bono sive felicitati substituas malum seu infelicitatem; habebis theoremata, quæ condit Autor pro æstimando vitii gradu. Quodsi actiones fuerint mixtæ, partim aliis proficuæ, partim noxiæ; dignitatem personarum & gradum felicitatis vel miseriæ compensare numerum personarum. Hinc concludit, electionem esse maxime virtuosam, quæ tendit ad maximam plurimorum agentium rationalium felicitatem. Ad dispositiones morales seu habilitates ad virtutem refert omnes animi dispositiones naturales atque habitus acquisitas, quibus homo redditur potens ad aliorum felicitatem promovendam. Et ad computandam moralitatem actionum sequentes canones commendat. 1) Quantitatem boni publici ab agente productam M esse in ratione composita benevolentiæ *B* & habilitatum A, hoc est, M = B. A: 2) Momentum boni privati I esse in ratione composita amoris proprii S & habilitatum A, hoc est, I = S. A: 3) Habilitatibus igitur duorum agentium existentibus iisdem, esse M ut A: 4) Benevolentia existente eadem, esse M ut A: 5) Virtutem adeo agentium seu benevolentiam B esse ut M directe & ut A reciproce, seu B = M : A. Inde porro deducit Noster, esse 6)

B =

Digitized by Google

$B=(M-1):A$, quando amor proprius & benevolentia conſpirant; ſed 7) $B=(M+1):A$, quando actio bona cedit in detrimentum agentis. Porro 8) quoniam benevolentia ſeu virtus agentis eſt ut $M:A$, velut $(M \pm 1):A$, nec agens poteſt agere ultra vires ſeu habilitates ſuas, perfectionem virtutis fore ſummam, ſi $M=A$, conſequenter cum in hoc caſu virtus ſit ut unitas, ſi vel maxime $A=\infty$, qui caſus in Deo obtinet; hinc patere ait aſſertum Stoicorum, quod creatura innocens, tota vi, qua pollet, virtutem perſecuta, ſit virtute Deo æqualis. Non abſimiles canones condit ad computandum malum morale ac ex utrisque varia corollaria deducit. Senſum moralem, quem Noſter virtutis prin- Sect. IV.
cipium eſſe ſtatuit, univerſalem eſſe probat, quod omnis homo interrogatus, cur actionem aliquam laudet, perpetuo alleget utilitatem publicam, in quam cedit, nunquam vero utilitatem privatam; defenſurus autem actionem, hanc rationem reddat, quod in neminem ſit injuria. Si quis oſtendere velit, dari homines ſenſu morali carentes, is, Noſtro judice, afferre debet exempla actionum crudelium & malitioſarum, quas in aliis probamus, etſi nullum inde expectemus commodum, ſive verum, ſive apparens, aut exempla hominum, quibus perfidi, crudeles & ingrati in eodem cenſu ſunt ac generoſi, fidi, humani atque grati. Reſpondet deinde ad unam alteramve objectionem, quæ contra univerſalitatem illius ſenſus in medium afferri poterat. Homini ideo rationem a Deo datam eſſe agnoſcit, ut de actionum ſuarum tendentia ad publicum bonum judicare poſſit, nec in eo, quod primum appareret, acquieſcat. Ulterius confirmat, naturæ hominis implantatas V.
eſſe diſpoſitiones practicas ad virtutem. Huc refert amorem parentum erga liberos, nec non amorem erga agnatos, quem univerſalem eſſe affirmat, niſi privata quædam utilitas obſtet. Huc porro refert animum gratum erga beneſactores, amorem honoris & pudorem. Univerſalem illam benevolentiam erga omnes homines comparat cum gravitate univerſali *Newtoniana*, vi cujus omnia corpora verſus ſe invicem tendunt. Multus quoque VI.
in eo eſt, ut oſtendat, quantum momentum ad felicitatem præſentem afferat ſenſus moralis & quomodo in negotia humana influat. Provocat ad voluptatem, quam inde percipimus, ceteris vo-

luptatibus omnibus longe anteferendam, & multis argumentis fla-
Sect. VII. bilitam. Ultimo tandem loco notiones quasdam morales ex suo sensu morali derivat, veluti obligationis, juris cum perfecti tum imperfecti &c. Facile vel divinare licet, Nostrum admittere obligationem naturalem antecedenter ad legem vel voluntatem alicujus superioris. Atque ideo urget, ad promovendum virtutis studium incumbere philosopho, ut ostendat, quomodo benevolentia universalis tendat ad felicitatem benevolentis. *Jus* vocat facultatem aliquid faciendi, postulandi vel possedendi, quod ad bonum commune tendit, & gradus juris constitui per majorem minoremve tendentiam ad bonum publicum existimat. *Jus perfectum* appellat, sine quo vita humana foret intolerabilis, admissa scilicet universali violatione: *Jus imperfectum* ipsi est, quo universaliter violato, genus humanum non fit miserum.

BIBLIOTHECA JURIS IMPERANTIUM, quadripartita, sive Commentatio de Scriptoribus Jurium, quibus summi Imperantes utuntur, Naturæ & Gentium, publici universalis & Principum privati.

Norimbergæ, apud Petr. Conr. Monath, 1727, 4.
Alphab. 2 pl. 2.

FElicitatem seculi Bibliotheca hæc ultro jubet agnoscere. Rari olim nantes in gurgite vasto. Jam tantus extat Autorum de juribus, quibus summi Imperantes utuntur, proventus, ut Bibliothecam conficiant. Vix ullum restat jurium illustrium, quod non scriptorem nactum sit, argumentum. Itaque fieri nunc potuit felici successu, ut ordine systematico & secundum methodum, qua hodie singula Jura, Publicum jus universale, jus Gentium & jus Principum privatum proponi tractarique solent, insigni cum apparatu Commentatores potuerint recenseri. Institutum est nobile, utilissimum & quavis laude dignum, cujus conscientia & publico plausu fruatur, qui latere maluit, Autor doctissimus, ni conjectura fallit, librorum juridicorum & historicorum censuris, per aliquot fasciculos editis, clarus. Quatuor illa, quibus hæc com-

men-

mentatio absolvitur, capita, vel ut rubrum, quod supra adscripsimus, indigitat, singulorum capitum methodum & argumenta succinctæ positiones constituunt, quas specialius exequuntur subjecti paragraphi, & sub his distinctim recensiti singuli scriptores, ut omnia in oculos statim incurrant tædioque sublevent Lectorem. Imitatur liber bibliothecam bene instructam, quæ voluminibus per forulos, loculosque accurate dispositis, auget usum suum, Eruditorum suspensis iconibus & Elogiis additis docet simul & delectat. Nam & majorum gentium scriptores in hac Bibliotheca cum cura laudati, eorum vitæ repræsentatæ, doctorum hominum de ipsis judicia addita. Caput I complectitur *scriptores Juris Naturalis generaliores*, scilicet Historiæ & Bibliothecarum juris Naturæ, de juris Nat. existentia, principio & certitudine, desideratis, systematibus *Mevii*, *Græningii*, *Thomasii*. Recensetur opus *Grotianum*, præmissa *Grotii* vita, & enumeratis reliquis ejus scriptis, referuntur de eo judicia, indicantur ejus editiones, versiones, commentatores, epitomatores. Sequuntur *Pufendorfii* vita, scripta, adversarii, commentatores & enucleatores, parique cura de *Thomasio*, *Seldeno* & *Hobbesio* dicitur. Demum promiscui scriptores juris Nat. ordine Alphabetico recensentur, itemque Dissertationes de Jure Nat. singulares. Capite II comparent *scriptores Juris Publici universalis*, & quidem primo systematici, scriptores jurium Majestaticorum, ubi sigillatim enarratur *Bodinus*, succedunt dissertationes de Majestate, subditis, Principibus, eorumque sanctitate, officiis & juribus, regalibus. Sequuntur *Machiavellistæ*, *Monarchomachi*, & singulorum refutatores. Sistuntur deinde scripta de origine Majestatis & modis constituendi eam, successione, pactis successoriis, inauguratione & homagio, de limitibus Majestatis & potestate summorum Imperantium in Jus Divinum & Naturale, legibus fundamentalibus, de modis amittendi Majestatem, abdicatione & depositione, de Tyrannis, de emigratione, de juribus Principum personalibus, de Crimine læsæ Majestatis & de Principum delictis, de juribus circa sacra, ubi & singulorum horum jurium & scriptorum Belgarum, Gallorum, Anglorum, Germanorum distincta ratio habita, de jure Pontificis Romani in Principes, ubi itidem de Pontificiis, præsertim

tim Bellarmino, ejusque adversariis & defensoribus, Principum denique contra usurpationem Pontificis vindicibus. Hinc exhibentur scriptores de potestate Legislatoria, jurisdictione, jure puniendi, torquendi, multandi, privilegia concedendi, dispensandi, aggratiandi, asyla constituendi; scriptores de jure Majestatis circa dignitates, de fama, nobilitate, hujus origine, speciebus, de jure civitatis & nundinarum, Academiarum, quarum alii catalogos, alii originem, alii jura & privilegia recensuerunt; scriptores de dominio eminenti extraordinario, de alienatione & oppignoratione subditorum, de jure Regio Ebræorum, de dominio eminente ordinario, in specie de jure tributorum, fisci & ærarii, domaniorum, venationum, metallifodinarum, monetarum, viarum publicarum & postarum, residentiarum & Palatiorum, Archivorum, Diplomatum & sigillorum. Caput III agit *de Scriptoribus Juris Gentium*, quorum extant labores de dominio maris & de legibus nauticis, de commerciis, in specie maritimis & bellicis, de pactis Gentium expressis & tacitis, v. c. moribus Gentium, derelictione, præscriptione, clientela, de legationibus & de his, quæ ad Legatorum jura vel officium spectant, de juribus belli singulis, de duello, de pace, amnestia, induciis & obsidibus, arbitris, mediatoribus, de neutralitate & assecuratione, de jure ceremoniarum, de dignitatibus, de præcedentia Ecclesiastica & seculari, de prærogativa Hispanorum, Gallorum, Anglorum aliorumque, Apanagiatorum, Legatorum, fœminarum. Capite IV colliguntur *Scriptores Juris Principum privati*, de jure illustrium personarum, in specie fœminarum, Ministrorum Principis, conjugiis Principum, speciatim iis ad Morganaticam, de dote, dotalitio & viduitate illustri, de foro causarum matrimonialium, de patria potestate Principum, de liberis naturalibus, adoptione illustri, unione prolium, emancipatione & tutela illustri, de Principum dominio & hæreditate, tum ab intestato, ubi de obligatione successoris illustris, jure Senioratus, primogenituræ, apanagii, tum ex testamento, vel pacto successorio, Confraternitatis, Ganerbinatus, de Principum pactis, stipulationibus, contractibus, delictis, denique de principum judiciis & foro, processibus, prætensionibus, denique jurium illustrium deductionibus. Ceterum, cum nobilissima

hæc

hæc pars jurisprudentiæ, jus privatum Principum, adhuc desideret idoneum interpretem, neque præter Generosum Dn. de Ponikau, qui ad mentem Præceptoris sui G. G. Titii primas lineas duxit in Dissertatione *de conditione Statuum Imperii privata*, quisquam ambitum hujus disciplinæ, distinctæ a reliquo jure publico & privato, complexus sit, operæ erit pretium exhibuisse methodum jurisprudentiæ privatæ Principum, quam Autor hujus Bibliothecæ in tabula repræsentat. Primum spectandum *Jus Personarum Illustrium*, quæ considerantur vel ratione sexus, ubi agitur de jure fœminarum Illustrium, vel ratione status & Societatis, in qua vivunt, herili, seu dominica, ubi de ministris Principum; conjugali, ubi de matrimoniis Principum; paterna, ubi de liberis naturalibus, adoptione, unione prolium, modis solvendi patriam potestatem, v. c. emancipatione, morte parentis, & tunc loco patriæ potestatis est tutela, quæ iterum solvitur venia ætatis impetrata. Deinde expendendum *Jus in re*, quale est dominium, quod & acquiritur præscriptione, & donatione; hæreditas, quæ acquiritur ab intestato, ubi de successione, obligatione successoris illustris, Senioratu & Majoratu, jure Primogenituræ & Apanagio; ex testamento; per pacta successoria, Confraternitatis, Ganerbinatus, dotalia & feudalia. Sequitur *Jus Principum ad rem*, quod est obligatio, quæ oritur vel ex pacto & contractu Principum, quales sunt stipulatio, emtio, locatio, mandatum; vel ex delicto, v. c. duello. Denique agendum de *actionibus & judiciis personarum Illustrium*, ubi de earum foro, modo in eo procedendi & prætensionibus illustribus.

JURISPRUDENTIA RESTITUTA, SIVE Index Chronologicus in totum Juris Justinianei corpus, ad modum JAC. LABITTI, ANT. AUGUSTINI & WOLFG. FREYMONII. Accesserunt opuscula IV & c. In usum Auditorum animadversiones passim adjecit ABRAHAM VVIELING, J. U. D. & Pro-Rector Amstelædam.

Amstelædami, apud Jansonio-Waesbergios, 1727, 8, chart. maj. Alph. 2 pl. 22.

Egre-

EGregie consuluit Cl. Editor masculæ & interioris jurisprudentiæ studiis, dum illos Triumvirorum aliosque in juris Justinianei corpus Indices, quorum ope omnis jurisprudentia vetus in libris juris reliqua restitui novaque optime illustrari potest, methodo commodiore adornatos & multa luce circumfusos, reddidit in manus studiosorum, quibus illi, si Labitti indicem, paucis abhinc annis in Germania recusum, excipias, antea frustra commendabantur, ob raritatem & pretium minime parabiles. Nihil in luculentissima hac editione prætermissum, quod usum Dædalei illius inventi, Indicum inquam juris, vel commendatiorem, vel amœniorem, vel faciliorem, vel uberiorem denique juris cultoribus præstare possit. Ad commendationem faciunt & præfatio Doctiss. Wielingii, &, quæ præmissa sunt, *Jacobi Labitti dedicatio Indicis sui ex editione prima Parisiensi 1557, præfatio editionis Genevensis 1585, dedicatio & præfatio Guil. Schmuccii ex editione Lipsiensi 1616*, porro, *judicia* virorum eruditissimorum *de usu Indicis Legum Chronologici, Ludov. Russardi, Franc. Balduini, Franc. Duareni, Joan. Mercerii, Georg. Beyeri, Anton. Schultingii, Nic. Hier. Gundlingii, Jo. Salom. Brunquelli.* Amœnitatem conciliant non solum externus voluminis totius nitor & elegantia, sed potissimum doctæ, quas Cl. Editor passim adspersit, notæ, ad *jurisprudentiam historicam*, cujus ipse meditatur Systema, spectantes. Commoditatem in evolvendo affert facilior, quæ nunc adhibita, methodus; quippe indices & Pandectarum & Codicis, nunc Alphabetico, secundum nomina Jurisconsultorum & Imperatorum, ordine sunt digesti, quorum olim alter sequebatur Indicis Florentini, alter temporum seriem. Uberiorem denique usum efficiunt cum Indices noviter inserti, quos infra singulos enumerabimus, tum præstantissima *quatuor opuscula*, quæ partem voluminis posteriorem conficiunt, numeris nunc primum distincta & summariis aucta, scilicet *usus Indicis Pandectarum per Labittum, cum notis Wilh. Schmuccii, Henr. Habnii oratio, de usu Chronologiæ in Jure, Henr. Brencmanni dissertatio, de Legum Inscriptionibus, & Bern. Henr. Reinoldi oratio, de Inscriptionibus legum digestorum & Codicis*; quibus singulis vel lucem, vel emendationem, vel spicilegium præstant,

ſtant & notulæ cum aſteriſco contextui ſubjectæ, & *auctaria* atque *prætermiſſa* ſeparatim in calce opuſculorum adjecta. Sed indicandum eſt plenius, quæ priore & præcipua voluminis parte contineantur. Partis hujus ſectiones ſunt duæ. Prima *Indices* ſiſtit *Pandectarum*, puta 1) Indicem *Florentinum*, 2) Indicem veterum Juriſconſultorum Chronologicum, 3) Alphabeticum Librorum Veterum, ex quibus fragmenta Pandectarum decerpta ſunt, 4) Alphabeticum Juriſconſultorum, eorumque Librorum, etiam citatorum, cum notis, 5) Indicem Legum omnium Pandectarum, & Juriſconſultorum in iisdem laudatorum, ſecundum Alphabeticam inſcriptionum ſeriem digeſtum, 6) Indicem Alphabeticum Autorum veterum, ex quorum libris nulla legum capita deſumta ſunt, ſed qui tantum nomine citantur, 7) Indicem Regum Romanorum, qui in digeſtis laudantur, Chronologicum, 8) ſimilem Conſulum, cum quibusdam notulis, 9) ſimilem Imperatorum, 10) Alphabeticum legum veterum, quæ in digeſtis citantur, 11) ſimilem Senatusconſultorum, 12) ſimilem Actionum, 13) Cautionum, 14) Decretorum, 15) Edictorum, 16) Interdictorum, 17) Poſſeſſionum, 18) Regularum, 19) Stipulationum, 20) ſimilem Autorum Græcorum, 21) ſimilem denique Autorum Latinorum in Digeſtis laudatorum. Sectione ſecunda comparent *Codicis*, *Novellarum*, *Edictorum* & *Inſtitutionum Indices*, 1) Index legum *Codicis* ſecundum Alphabeticum Imperatorum ordinem, 2) Chronologicus *quinquaginta Deciſionum* Juſtiniani, cum notulis 3) Alphabeticus Juriſconſultorum veterum, qui in Codice laudantur, 4) Index legum Codicis per Novellas Conſtitutiones mutatarum, 5) Index Alphabeticus Notarum, ſive potius Siglarum, in inſcriptionibus quæ & ſubſcriptionibus legum Codicis conſpiciuntur, 6) Chronologicus Imperatorum, quorum in Codice extant Conſtitutiones, 7) ſimilis *Novellarum*, cum animadverſionibus nonnullis, 8) Alphabeticus JCtorum veterum, qui in Novellis citantur, 9) Chronologicus *Edictorum* Juſtiniani, 10) Index *Deciſionum*, quarum fit mentio in *IV Inſtitutionum Libris*, 11) Conſtitutionum Græcarum Juſtiniani in iisdem libris laudatarum, cum aliquot annotationibus, 12) Conſtitutionum Latinarum Juſtiniani ibidem citatarum, adjectis quibus-

dam notulis, 13) Index Chronologicus Constitutionum aliorum Imperatorum, quæ in iisdem Institutionum libris referuntur, cum animadversionibus nonnullis, 14) Alphabeticus legum veterum, quarum ibidem fit mentio, 15) similis Senatusconsultorum, quæ in iisdem libris memorantur, 16) similis JCtorum, cum notulis, 17) similis aliorum Autorum, ibidem laudatorum, 18) Index locorum singularium, quibus similes in Jure alii, præterquam in libris Institutionum, non reperiuntur, 19) Index Novellarum, atque excerptarum inde Authenticarum, quibus nonnulla Institutionum loca emendata sunt. Sequuntur *Auctaria* ad Indices Codicis, Novellarum & Institutionum, in quibus & prætermissa quædam notarum superioribus Indicibus adjectarum, & singularis Index Consulum, quorum in Institutionum libris fit mentio, cum annotationibus, exhibentur. Claudit volumen Index Legum, quæ in laudatis supra quatuor opusculis emendantur, vindicantur atque illustrantur.

CHRISTIANI ULRICI GRUPEN TRACTATIO de Uxore Romana, cum ea, quæ in manum convenit, farre, coemtione & usu, tum illa, quæ uxor tantummodo habebatur.

Hanoveræ, apud Nic. Fœrsterum & fil. 1727, 8.
Alph. 1 pl. 2 cum fig. ær. incis.

NObile multaque laude condignum est Consultissimi Autoris, Consulis Hanoverani, utramque Romanarum uxorum formam, unde permultis veterum jurisque nostri locis egregia lux acceditur, nova diligentia repræsentandi studium, singulari hoc libello navatum. Enimvero dictum & tractatum erat hoc argumentum summis Viris, *Pithœo*, *Rævardo*, *Balduino*, *Hottomanno*, *Sigonio*, *Brissonio*, sed ita, ut non spicilegio, verum integræ tractationi, vel potius retractationi locus relictus videretur. Multis implicarunt Viros doctos erroribus commenta Servii Boethiique, adeo, ut a juris etiam ratione subinde in hac doctrina defecerint, amplexi parum solida, & quæ nec veterum stant autoritate. Vidit hoc *Illustr. Thomasius*, remque diligentia Jurisconsulto-

rum

rum magis obſcuratam & intricatam, quam in luce poſitam, in ordinem redigere tentavit, Diſſertatione *de uſu practico circa Nuptias*, qua de judicat Noſter, quamvis in ea multa docte ſint diſputata ac plurima diligenter collecta, quæ alibi fruſtra quæſiveris, non potuiſſe tamen ſibi cum Viro egregio convenire, aliter conſtitutis conventionis in manum modis, forma, vi atque poteſtate. Cl. *Heineccius* de uxore, quæ farre, coemtione in manum convenit, & de illa, quæ uſucapta, docte diſſeruit in *Syntagmate* ſuo *Antiquitatum Romanarum*, *Jurisprudentiam illuſtrantium*. Verum nec cum eo in omnibus conſpirat Noſter, & quoniam nimis ſero, jamque abſoluta præſenti commentatione, illum inſpexerat, notavit in præfatione capita illa, in quibus a Viro doctiſſimo diſcedit, additis diligenter diſſenſus rationibus. Namque primum *Heineccio* viſum, jam ante Romuli tempora molæ ſalſæ uſum in ſacrificiis in Latio fuiſſe receptiſſimum, ducto argumento ab *immolandi* verbo ex loco *Varronis* apud *Servium Æneid. Iv. 541.* Noſter quidem probat, confarreationem a Romulo inſtitutam, ſic tamen, ne fides *Plinii* damnetur, qui *Lib. XIIX cap. 2* Numam refert, inſtituiſſe mola ſalſa ſupplicare, atque far torrere. *Immolare* eſt, farre molito hoſtiam aſpergere, imo idem, quod ſacrificare, quippe *Varro II de Re Ruſtica*, Græcos, qui integras nec molitas fruges libationibus affundebant, *porcam immolaſſe* dixit. Et fuerit licet ante Romuli tempora farris uſus receptiſſimus, farris torrendi, atque molæ ſalſæ conficiendæ ratio haud dubie Numæ debetur. Non magis placet Noſtro, quod Vir egregius dixit, in farreatis nuptiis tam neceſſariam fuiſſe domum deductionem, ut, quia fixa fuerint Penatium ſacra & hæreditaria, nemo per confarreationem uxorem accipere potuerit, niſi cui eſſet domus ac lararium, in quo uxor cum eo communibus ſacris uteretur. Noſter enim deductionem quibusvis nuptiis communem docet, ſic tamen, ut ſolo conſenſu ſine deductione matrimonium conſtet. Eum effectum omnis conventionis in manum & generatim omnis patriæ poteſtatis fuiſſe, ut quotque perſonæ unius parentis ſubjectæ eſſent poteſtati, Deorum aras uno eodemque communi ſacrificio honorarent, & in univerſum publice privatimque iisdem ſacris adſtringerentur, quibus teneretur familiæ

princeps. Nihil certe domum atque lararium sive ad conventionem in manum perficiendam, sive ad faciendas nuptias vulgatas potuisse attinere. *Ducere domum* esse ducere eo, ubi maritus habitat, *l. 203. ff. de V. S.* & deductionem factam in mariti domum, quasi in domicilium matrimonii, *l. 5 ff. de R. N.* Domicilium ut ubique constitui, ita Lares ad illud constituendum ubique collocari potuisse, *l. 7 C. de incolis*, inde habuisse quemvis domum, ubi Larem matrimonio collocasset, *l. 1 §. 2 ff. de agnosc. & alend. lib.* Difficile sane, sine domicilio esse quenquam, *l. 27 §. 2 ff. ad municip.* sed quod si is, qui est sine domicilio, puta qui domicilio relicto navigat, vel iter facit, quærens, quo se conferat, atque ubi constituat Lares, rerum & fortunarum summam, potuit habere justam uxorem, & liberos ex eadem natos in potestate, quod nemo negaverit, quidni & ei, qui sine domicilio est, conveniri in matrimonium & manum simul, sive potestatem potuisset? Neque vero apud Romanos sacra Penatium ædibus affixa, sed ex jure Pontificio iis personis adjuncta fuisse, ad quas morte patrisfamilias pecunia perveniisset. Denique & filio uxorem in manum conveniisse, quamvis neque domum, neque Lararium sibi habuisset, sed esset in domo atque sacris parentis. Quæ porro autumavit Heineccius, sponsum coemtum æque esse ac sponsam, *Nonium XII, 50* & *Cic. de Orator. I, 56* de coemtione uxorum sensisse, & in solennibus hujus coemtionis verbis mulieres *Cajas* vocatas, autore *Cicerone pro Murœna II, 12*, procul dubio ad formulam: *ubi tu Cajus, ibi Caja*, respiciente; senes coemtionales in coemtione adhibitos fuisse testes, libripendem, & qui alias in mancipationibus adesse solerent; coemtionem in confarreatione adhibitam, tanquam ritum accessorium, & postremis temporibus, neglecto primario confarreationis ritu, retentum solum accessorium i. e. coemtionem; usu denique omnino in manum uxores non conveniisse: hæc etiam singula aliter proposuit Noster, docuitque, in conventione in manum per coemtionem sponsum nunquam coemtum; loca *Nonii* & *Ciceronis* ad coemtionem nuptialem prorsus non pertinere: *Caji* quoque & *Cajæ* appellationes minime fuisse proprias coemtionis solennitati; senes coemtionales nihil omnino ad hanc coemtionem facere; conventionem

Digitized by Google

nem in manum uſu, conſarreationem & coemtionem diſtinctos utique conveniendi in manum modos eſſe ſemperque manſiſſe, neque hanc ſucceſſiſſe illius in locum. In alia quoque omnia abit Noſter a Viro Celeberrimo, in coemtione ſponſam juxta *Nonium* ſtatuente, primo aſſe, quem manu teneret, virum, ſecundo, quem in pede haberet, & in foco Larium poneret, Lares & Deos Penates coemiſſe, tertium viro aſſem, quem in marſupio condidiſſet, tum demum reſignaſſe, cum in compito vicinali, (quod interpretatur cum *Ill. Gundlingio* maceriam in horto,) in domum mariti tranſiret & materfamilias efficeretur. Prorſus, eam explicationem Varroni aptam eſſe, dubitat. Nihil enim apud eundem dici de coemtis Laribus, eo aſſe, quem in pede haberet, & in foco Larium poneret; primum aſſem emendi cauſa dediſſe ſponſam, an emendi mariti cauſa? non expedire Varronem; ſecundum aſſem in foco Larium poſuiſſe, quem in finem, emendi, an ſupplicandi cauſa? non adjectum eſſe: deductam vero aliquando in quibusvis nuptiis in hortos fuiſſe ſponſam, ibique ſeparata diæta ſive maceria egiſſe, antequam nuptiæ fierent, & in domum ipſa deduceretur, ex *Terentio Adelph.* & *L. 66 §. 2, ff. de Donat. int. V. & U.* recte quidem colligi; ſed eandem deductionem in hortos deductioni in domum præceſſiſſe ſemper & debuiſſe præcedere, non inde evinci, neque ſignificari uſpiam, maceriam idem fuiſſe, quod compitum vicinale. Compita quippe, monet Noſter, fuiſſe viarum concurſus, loca in quadriviis, quaſi turres per omnes quatuor partes patentes, in urbe viisque publicis, ubi viæ competebant, in quibus ſacrificatum Laribus vialibus, ex inſtituto Servii Tullii, a vicinia, ſingulis familiis liba conferentibus. Diætam, docet, eſſe habitationem, ſive manſionem in hortis, quæ dicatur *diæta ſeparata, d. l. 66 §. 1, diæta amœna, l. 13 §. 8 ff. de uſufr. diæta in uxoris hortis*, quos in dotem acceperat, *l. 43 §. 1 ff. de Leg. 1.* Confer. *Plin. II Epiſt. 17*, de diætis in hortis villæ Laurentinæ, *Anton. Velſeri epiſtola de Diæta, apud Solerium de Pileo, pag. 571. Noodt I de uſufr. 2.* Maceriam autem, autore *Varrone*, eſſe fabrilo ſepimentum, factum e lapide, aut lateribus coctilibus, vel crudis, aut ex terra & lapillis compoſitis. Maceriam poſitam ductamve *l. 17 ff. comm. præd.* circa hortos, *Liv. XXIII, 9*, mouu-

menta & sepulchra, *l. 73 §. 7 ff. de contr. emt. Sueton. in Neron. c. 33.* Dirutam horti maceriam fuisse, cum ex separata horti dicta virgo domum ducenda esset, ex verbis Demeæ, apud *Terentium* ad consequentias non producendum fuisse, siquidem peculiaris diruendæ maceriæ ratio ab eodem addita: *multo rectius est*, inquit Demea, *quam illam puerperam huc nunc duci per viam ægrotam.* Igitur, cum assem tertium, quem in facciperio considerat sponsa, in compito vicinali soleret resignare, i. e. deponere, magis intelligendum id fore de compitis a vicinia extructis, in quibus Laribus sacrificabatur, & consueverant aliquando poni & alia, v. c. juga, a rusticis, finita agricultura, neque id fingendum esse de horti dicta aut maceria, sive sepimento. Hæc hactenus Noster, ut diximus, in præfatione. Ipse libellus septem constat capitibus, quorum argumenta sigillatim indicabimus. *Cap. I*, agit *de uxore Romana, ejusque duplici forma*, in quo hæ duæ uxorum formæ probantur ex *Cicerone, Quintiliano, Gellio, Livio*, ex juris autoribus, ex *Servio, Nonio, Boethio*; commonstratur deinde, invaluisse eas jam ætate Romuli; indicantur matrisfam. & matronæ variæ appellationes, item promiscua matrisfam. & matronæ, pro notæ autoritatis fœmina, nunc patio; denique matremfam. esse suæ potestatis fœminam. *Caput II* est *de conventione in manum generatim, & quibus modis fiebat.* Dictum ibi, quid convenire in manum; patriæ potestatis esse varias, & in uxorem easdem appellationes; conveniri in manum tribus modis, confarreatione, coemtione & usu, qui posterior modus asseritur contra opinionem *Ill. Thomasii. Servii & Boethii* commenta de conventione in manum, quasi ea fieret per solam coemtionem, tres vero illi modi non essent conventionis in manum, sed nuptiarum, refelluntur, ostensa utriusque obscuritate & inconstantia in hoc argumenta, variæque doctorum sententiæ de conventione in manum recensentur. *Cap. III* explicat *effectum conventionis in manum, cum usu, tum confarreatione, tum coemtione:* effectum conventionis in manum non recte soli coemtioni a quibusdam adscribi, conventione in manum veniri in potestatem, examinata *Thomasii* sententia, negantis, uxores confarreatione patrio jure exiisse inque viri potestatem transiisse, exceptis sal-

saltem Flaminica Diali, quæ olim ante Tiberii legem patrio jure exierit, post eam legem tantum sacrorum causa in potestate viri, in reliquis, ut ceteræ uxores, a non Flaminibus sine confarreatione ductæ, in potestate patris manserit. Asseritur porro marito jus occidendi uxorem, quæ in manu erat, & quæ sine conventione in manum uxor habebatur, quamvis limitatum, & in duobus tantum delictis, adulterii & si vinum bibisset, adhibito cognatorum judicio, idque marito Lege Julia ademptum, patri in filia adultera tributum. Jus vendendi vero, quod patri in liberos erat ex lege Romuli, marito negatur. E contra jus omnia acquirendi per uxorem eidem vindicatur, adeo, ut nec opus ei fuerit successione; unde nulla marito cum uxore actio, nec inter conjuges donatio; uxori, quæ in manu scripti hæredis, sub conditione legatur, ipsi vero non est jus testamenti faciendi; Conventionem in manum esse capitis diminutionem, quia mutatur familia: jus sui hæredis in intestatorum ingenuorum hæreditatibus uxori in manu existenti & in civis Rom. liberti hæreditate legitima, item in causa testati quale fuerit, jusque consanguinitatis uxoris, quæ in manu est, luculentissima patriæ potestatis mariti in uxorem talem argumenta, explicantur. Elegans sequitur conjectura de optione tutoris a marito uxori in manu testamento data, deque jure legitimarum hæreditatum & tutelarum manumissori sive marito sive parenti fiduciario in uxore remancipata, competente, quam in rem hujus remancipationis ratio, vis & effectus exponitur. Jus sacrorum & sepulchri non uxori, quæ in manu, soli, sed & ei, quæ uxor tantum, dispari tamen cum obligatione asseritur. De nomine uxorum in manu, censas eas maritorum gentilitiis nominibus & modo maritorum, modo parentum cognominibus nuncupatas, sententia *Reinesii*, argumento ab adoptione ducto, probatur, brevique tandem juris dotium & rei uxoriæ actionis illustratione caput hoc finitur. *Capite IV* figillatim enarratur *modus conventionis in manum confarreatione*. Præmissis autorum de confarreatione testimoniis, de Legum Romuli & Numæ sensu, & quid in illis per *sacratas leges* intelligatur, de farris usu in quibusvis sacrificiis & de sacrificiis in quibusvis nuptiis, deque farris usu in confarreatione disseritur.

Ipsa

Ipſa confarreationis forma non adeo perſpecta eſſe poteſt, cum requiſita illa, quæ memoravit *Ulpianus*, certa verba, decem teſtes præſentes & ſolemne ſacrificium nusquam veterum monumentis explicata reperiantur. Quæ in *Servio Danielis* ad confarreationis formam referuntur, ſunt omnibus matrimoniis, etiam ſine conventione contractis, plane communia, id quod per ſingulas ſolennitates eundo confirmat Noſter, adjectis quoque illuſtrationis cauſa duobus nummis Aurelii & Commodi, item parte monumenti ſepulchralis inferiore, ex *Boiſſardo*, in quo maritus & uxor ad aram dextras jungere, virque manu ſiniſtra tabulas tenere nuptiales viſitur. Origine conventionis in manum ex ſacris LL. ſive per confarreationem, ad Romulum relata, ſententiæ de confarreatione *Huberi*, *Thomaſii*, *Bachovii*, *Nic. Abrami*, *Greg. Tholoſani*, *Ravardi* & *Mercerii*, quibus plerumque confarreatio & coemtio miſcentur, confutantur. Singularis confarreationis effectus, ut Patrimi & Matrimi inde naſcantur, ejus contrarium, diffarreatio, ſucceſſio jurium apud Romanos circa divortia, & ratio divortiorum in conventione in manum diligenter illuſtrantur ac recenſentur. Colophonem huic capiti imponunt obſervationes *Laur. Begeri* de nuptiis confarreatis, ex ejusdem *contemplatione Gemmarum Dactyliotheca Gorlæi*, ſcriptæ ad gemmam, in qua oblatio primitiarum, ut & ad Marmor Romanum, in quo ſolennitates nuptiales, a *Jac. de Rubeis*, *Caſp. Bartholino* & *Begero* editum, adjectis Noſtri animadverſionibus, quibus non confarreatas, ſed vulgatas nuptias utrobique repræſentari, docet; utrumque vero antiquitatis monumentum, & poſterius quidem bifariam, æri inciſa ob oculos ponuntur. Succedit *Caput V*, *de conventione in manum coemtione*. Rara hujus apud ſcriptores veteres & juris Autores mentio, nec ſi a *Cicerone*, *Feſto*, *Arnobio*, *Servio*, *Boethio*, *Iſidoro* diſceſſeris, apud alterum unum obvia. Nec ipſe *Cicero* ejus meminit ſæpius, quam uno loco, *pro Flacco cap. 34*. Quæ vero a *Servio* eo referuntur loca, & a Viris doctis eam in rem citari ſolent, ex *Ciceronis de Orat. I c. 56*, *Orat. pro Murena cap. XII*, ex *Varrone* apud *Nonium*, ex *Gregorio Nazianzeno*, *Euripide*, *Stobæo*, *Chryſoſtomo*, ex inſcriptione Patavina, & de *Gaji* & *Cajæ* appellationibus in ſacris nuptialibus uſurpari

patri solitis ex *Plutarcho*, *Plinio*, *Quintiliano*, autore de nominibus apud *Valer. Maximum lib. X* atque *Festo*, aut ad coemtionem nihil videntur attinuisse, aut certe dubia suspectaque debent haberi. Cavendumque sedulo, cum *coemtionis & coemendi* verbum, *coemtoris* nomen, mulieres atque *senes coemtionem facere* leguntur, ne hæc statim ad conventionem in manum coemtione referantur. Coemtio ipsa fiebat per nuncupationem: unde de mancipationis forma, de nexu, de mancipationis usu vario differendi occasio sumta. Coemtionis ritus non magis in luce positus, quam superior confarreationis. Id constat, coemtionem, sive patre sive tutoribus autoribus, expeditam fuisse, nihil quidem habuisse nuncupationi simile, sed solo consensu perfectam, licet ad ejus impletionem mancipatio, tanquam legitima traditio ad effectum consequendi dominii ex jure Quiritium adhibita fuerit, non fuisse mutuas emtiones, intercessisse vero rogationes. Ceterum nihil ad coemtionem donatio ante nuptias, nihil taxatio dotis, utut *Isidorus* & *Servius* aliter doceant, nihil quoque ad eam faciunt senes coemtionales, contra opinionem *Revardi*, *Manutii*, *Hottomanni*, *Alciati*, *Gronovii*. *Caput VI* tractat *de conventione in manum usu*. Productis hic iterum veterum autoritatibus, ipse conveniendi in manum modus explicatur. Convenit enim uxor in manum usu, autore sive patre, sive tutore, cum matrimonii causa anno cum viro, licet sine legibus i. e. solennitate coemtionis vel confarreationis fuisset & sic annali usu capta in manu sive mancipio & potestate viri esse cœpit, nisi trinoctium, quod abesse a viro usurpandi causa ex XII tabb. deberet, usurpatum isset, *Gell. III, 2*, *Cicero pro Flacco*, *c. 34*, *Serv. I, Georg. ad v. Teque sibi generum*. Usus variæ significationes; in conventione in manum usus est possessio, varie tamen usus, quo uxores factæ, intellectus doctis. Sed uxores, tanquam res mobiles mancipi, annuo usu, sive continuata anni possessione ex justa causa animoque dominii sive b. f. captæ atque mancipatæ. Possessio uxoris apiscenda erat corpore, puta matrimonii consuetudine & firmul animo sibi habendi. Quare traditio facta, autore patre vel tutoribus, marito, ut sibi haberet. Justa causa aderat, *matrimonii causa*, quam suggerit *Mucius*

apud *Gellium*. Usucapionis effectus, acquisitio dominii pleni, legitimi & Quiritarii, obtenta marito a patre, si uxor in ejus mancipio, ab ipsa uxore, si sui mancipii fuerit. Mire de usurpatione uxorum ad locum Gellianum discrepant eruditorum sententiæ. Vera *Conani*, de uxore, interrumpendæ usucapionis causa, per trinoctium usurpatum eunte, sive usucapionem interruptura. Annus in hac uxorum, ut in alia usucapione, computatur. Suntque hoc capite singula demonstrata, quæ Ill. *Thomasius*, usucapionem uxorum negans, a doctis sibi demonstrari postulavit. Supereſt *Caput VII de uxore tantum*. Hæc vulgo confundi solet sæpe cum uxore, quæ confarreatione usu in manum convenit, sæpe cum uxore injusta, concubina, & pellice. Uxor tantum convenit in matrimonium, intercedente connubio, quo intervenient liberi patrem sequuntur. Hæ sunt nuptiæ *vulgatæ*, sive *nuptiæ tantum*, de quibus sunt *tituli* in libris juris de *ritu Nuptiarum*, neque in his libris alia uxorum species, quam uxorum tantum occurrit, excepto conventionis vestigio, quod inadvertente *Triboniano* remansisse videtur in *l. 135 ff. de V. S.* Matrimonii verbo omnia matrimonia demonstrantur, *l. 13 §. 1 ad L. Jul. de adulter.* cum ea, quæ jure Gentium, tum illa, quæ ex jure Quiritium fiunt, quæque sunt proprie juris civilis, *legitimæ*, sive *justæ nuptiæ*, quas inter se cives Romani contrahunt connubii jure. *Connubium* est uxoris jure ducendæ facultas, quod habent cives Romani cum civibus Romanis; cum Latinis autem & peregrinis ita, si concessum sit. Differunt uxor tantum & quæ in manu est forma & effectu, quam differentiam vel ipsa particula *tantum* a *Cicerone* & *Gellio* notanter addita indigitat. Forma distant: nam illa fit solo consensu atque declaratione *liberorum procreandorum causa*, sive expressa sive tacita, etiam sine solennitatibus nuptialibus: hæc vero fit non per nuptias tantum, sed requiritur solennitas confarreationis aut coemtionis, aut forma usurpationis. Distant effectu: illi nulla familiæ jura, sed tantum jura connubiorum possunt accommodari, estque *matrona*: huic applicantur omnia familiæ jura, supra indicata, estque *materfamilias*. Differunt quoad dotem & parapherna, jureque successionum. Hactenus utraque justarum uxorum forma plene descripta, juraque

que earum examinata: paucis jam dicitur de *uxore injusta*, *concubina* & *pellice*. Injusta uxor est, quæ *contra Leges* nupta, *l. 24 ff. ad L. Jul. de adult. l. 17 ff. de Æt. rer. amot.* licet liberorum procreandorum causa habeatur. Contra Leges ducta est uxor, si ætas nuptiis conveniens, aut parentum consensus, aut consensus contrahentium deficiat, aut cognatio, affinitas aliave causa, puta dignitas, tutela, curave, it. metus potentatus impedimento sit. Cessant ergo omnes effectus justarum nuptiarum. Concubina ab uxore *solo dilectu* separatur & *sola animi destinatione* æstimatur. *Paul. II Sent. 20 l. 31 ff. de donat. l. 4 C. de concub.* In uxore est *destinatio liberorum procreandorum* & consuetudo matrimonii causa: in concubina conjunctio solum consuetudinis causa: neque hæc in muliere honestæ vitæ & ingenua libere permissa, *l. 3 ff. de concub.* Pellex est, quæ corpus miscet cum illo, qui uxorem sive in manum, sive sine in manum conventione habet, *Gell. IV, 3, l. 144 ff. d. V. S.* neque enim eodem tempore, quo uxorem quis haberet, concubina potuit haberi, *Paul. II Sent. 20.* Sed ohe! jam totius libelli compendium dedimus.

Ruhe des jetzt-lebenden Europä, dargestellet in Sammlung der neuesten Europäischen Friedens-Schlüsse ꝛc.

h. e.

QUIES EUROPÆ MODERNÆ, SEU COLlectio Instrumentorum Pacis fœderumque sub Imperio Imp. CAROLI VI inde a Pace Ultrajectina usque ad A. 1726 compositorum, cum remissionibus, notis & indicibus.

Pars I & II,

Gallica & Hispanica complectentes.

Coburgi, apud Paulum Guntherum Pfotenhauerum, 1726, 4. Alph. 5 pl. 20.

Pars III & IV,

Ea exhibentes, quæ ad pacem in Oriente & Septentrione spectant; Autore JOHANNE JACOBO ZINCKE, *Consil. Aulico Ducali Saxon.*

Ibid. apud P. G. Pfotenhauerum & Fil. 1727, 4. Alph. 5 pl. 14.

COnstat hoc maximæ utilitatis opus quatuor Partibus, quarum duæ priores uno volumine A. 1726 absque autoris nomine prodierunt, posteriores autem, quæ hoc anno lucem aspexerunt, secundumque volumen constituunt, Autorem produnt *Joh. Jacobum Zinckium*, Consiliarium Saxonicum, Virum in rebus publicis admodum versatum. Et prioris quidem Voluminis, præter collectionem, non omnem sibi adjudicat laborem, cum ob iter, quod Principum nomine instituere debuit, & alia negotia, cura atque revisio horum magno labore multisque sumtibus collectorum documentorum alii commissa fuerit. Ceterum prima operis pars fœdera cum Gallis; altera cum Hispanis; tertia cum Porta Ottomannica, & quarta cum regnis, quæ circa Septentrionem jacent, sancita, continet; quibus coronidis loco additum est Supplementum, quod varios tractatus, fœdera, constitutiones & documenta, præsentem imprimis statum concernentia, exhibet, quibus nemo paulo curiosior carere poterit, uti exemplo est sanctio illa pragmatica, qua successio domus Austriacæ, deficiente sexu virili, definita, & Bruxellis 1724 publicata est; item privilegium illud, quod Imperator Societati, quæ Ostendæ floret, A. 1722 dedit; tum amicitiæ fœdus Imperatorem inter Rom. & Hispaniarum Regem Viennæ 1725 conclusum, aliaque inter Angliæ, Sueciæ, & Poloniæ Reges A. 1719 & 1720 concluſa, quæ omnia maximam historiæ seculi nostri afferre lucem nemo dubitabit. Præmisit Nobilissimus Editor cuique Volumini, præter præfationem, seriem accuratam seu syllabum tabularum & instrumentorum ibidem contentorum, quorum in IV Tomis & Supplemento CXXX reperiuntur. In quibus colligendis laudanda utique singularis ejus sollicitudo, qui ut undique hæc ex archivis colligeret, nulli operæ aut sumtibus pepercit. Præterea non solum cuilibet paragrapho summam ejus præfixit, sed etiam omnia fere instrumenta

menta lingua, uti dicitur, originali seu primaria & simul accurate in vernaculam linguam translata exhibuit. Quædam quidem fœderibus adjecta, quæ ad illa primario non pertinent, faciunt tamen ad illorum illustrationem accuratioremque historiarum seriem; imo quædam, quæ in Supplemento occurrunt alio commodiori loco inseri potuissent; quas tamen objectiones ipse Nob. Autor in præfatione secundo Volumini præmissa removit. Notas quod attinet, quas Cl. Autor passim operi subtexuit, etsi multæ earum omitti potuissent, præsertim quæ priori Volumini adjectæ (illæ enim sæpe in præfatione aut textu jam dicta recoquunt) multæ tamen ex illis magnam præstant utilitatem, & ex antiquitatibus historiam illustrant. Quod denique ad ordinem, placuit Autori secundum regna procedere, nec sine ratione, cum id ad historiam cujuslibet regni facilius addiscendam faciat. Universo demum operi Autor indicem subjecit locupletissimum, personas non solum & res, quarum in opere fit mentio, sed provincias etiam, urbes, castella, ceremonias, jura aliaque indicantem, unde operi non exigua utilitas accedit. Nos merito operam Autoris Nobilissimi deprædicamus, eumque, ut in instituto utilissimo strenue pergat, etiam atque etiam hortamur.

D. JOH. GEORGII LIEBKNECHT, IN ACademia Giessensi P. P. Ordinarii, Observationes de antiquitatibus quibusdam Solmensibus, VVetteraviam subterraneam, quam meditatur, illustrantibus, ex Epistola ejus ad Virum Doctissimum N. N. excerptæ.

UTi compluribus abhinc annis *Wetteraviam subterraneam*, multis ac variis rebus notabilibus, a natura, vel arte, vel quomodocunque relictis, abundantem, promisi publice: ita interea temporis hujus generis non pauca, antiquam & medii ævi Geographiam imprimis illustrantia, monumenta collegi; ab illo præsertim tempore, quo arbor in mineram ferri mutata in Salmio-Laubacensi Comitatu erata, mihi clementissime exhibebatur examinanda. Quo studiosius igitur promtiusque huic

me tunc operi accingebam, eo plura occurrebant, adeo ut obſervationes ſolæ in integrum excreſcerent tractatum, quem A. 1714 publicavi. Ubi quidem Cap. I §. XXVII inter alia indicavi, foſſores urnam quandam in primo ſuperficiei ſtrato deprehendiſſe; unde mox Capite IV §. XII p. 337 conjicere cœpi, extra dubium eſſe, hanc urnam teſtari de ſepulchrali loco, ſeu buſto quodam communi, in quo gentilium corpora combuſta & ſepulta fuerint: nec dubitandum eſſe, quin complures ejusmodi urnæ in hacce regione inveniri poſſint. Quæ ſane conjectura vana non fuit. Multæ enim urnæ eo ipſo A. 1714 fuerunt detectæ ad pagum *Villingen*, parum a Laubacenſium oppido diſtantem. Et ſicuti has, prout memini, egregie deſcripſerat Generoſiſſ. Vir *de Galliardi*, Gallicis de hac materia literis ad Illuſtriſſ. Comitem Solmio - Braunfelſenſem datis: ita & ipſæ mihi clementiſſime exhibitæ fuerunt, una cum ſpeciali regionis & urnarum quoad altitudinem & latitudinem delineatione. Quæ ſingula ulteriori conſideratione digna reputavi, cum præſertim A. 1718 mihi Geometricum exercitium cum auditoribus meis inſtituenti occurrerent in ſylva quadam prope Gieſſam nonnulli tumuli & colles ordine diſpoſiti: quos ego protinus ſepulchra gentilium antiquiſſimo tempore has regiones incolentium, oſſa continentia, pronuntiabam. Quibus dictis & ſimul antiquarum rerum cupiditate moti nonnulli ſtudioſi, die ſequenti unum alterumve collem perſcindunt, itaque tandem in fundo quodam urnam ſtudioſe diſpoſitam offendunt. Nec multo poſt omnes fere tumuli effoſſi, pluresque inventæ urnæ fuerunt, publica imprimis ſuccurrente militum opera. Qua de re peculiare ſchediaſma Celeberrimus, dum viveret, *Weberus*, Academiæ quondam hujus Cancellarius meritiſſimus, publicavit. Sed cum has urnas beatus Vir ſolis adſcriberet Romanis, me quidem & Celeb. Academiæ hujus Profeſſorem *Ayrmannum* ſemper diſſentientes habuit. Nam quæ de nonnullis nummis Romanis prima ſtudioſorum opera erutis narrat, parum certitudinis habent: quia hi nummi a ſtudioſorum uno alterove primum fuerunt injecti, ut fortaſſis reliqui ad majorem excitarentur laborem, ceu mihi confeſſi ſunt aliqui. Neque tales nummi in reliquis effoſſis collibus fuerunt inventi. Quare puta-

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. IV ad A. 1727 M. Aug. pag. 375.

Fig. 5.

Fig. 1.



Fig. 6.



Fig. 7.

Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 4

Fig. 8.

Fig. 9.

Digitized by Google

putarem, tales colles a Cattis, vel Tencteris, Usipiis, aliisque indigenis gentibus, Romanorum quidem armis semper vicinioribus, olim erectos fuisse. Etsi vero cuilibet in rebus ejusmodi conjectandi sentiendique libertatem relinquam, placuit tamen nonnulla cum eruditis communicare, partim ut nostra ab illis studia adjuventur, partim ut suis ipsi inventis accommodent, quæ forsan aliquam cum illis convenientiam habere videbuntur. Primo loco annulum æneum repræsentamus, quales quatuor in urna Laubacensi A. 1719 reperti sunt, omnes ejusdem formæ & magnitudinis, ex una parte nodosi, ex altera plani: de quibus Vir præclare doctus *Jo. Mich. Heusingerus*, Illustrissimæ Juventutis Solmio-Laubacensis tunc temporis formator, ac studiorum moderator, nunc Scholæ Laubacensis Rector, in Epistola ad me data egregie exponit. In eadem urna duo conditi fuerunt orbiculi, subrubri, pari magnitudine, conulum detruncatum imitantes, circa centrum autem concavi & perforati, qualem exhibemus: quorum alter igne exploratus odoramenti genus videtur referre, vel ex thure, vel ex succino factum; alter vero durior, nec ferro, nec igni cedens, calefactus sulphureum odorem emisit. Subjeci proxime urnæ Villingensis, operculo tectæ, schema, cujus altitudo unius pedis est, materia nigra & friabilis. Et sane regionem, ubi hujusmodi urnæ inventæ sunt, si respiciamus, notabilis admodum est, quippe ubivis fere ejusmodi tumulos exhibens: quorum explicationi supra allegata epistola Generosissimi *de Galliardi* multam potest lucem addere. Continet nimirum isthæc regio vicum *Inheiden* dictum; in cujus agro etiam diversis temporibus variæ inventæ sunt antiquitatis reliquiæ, imprimis versus molendinum *Ricdmühle* dictum. Est autem vicus *Inheiden* ad Wetteraviæ propriæ limitem in Comitatu Solmensi situs, ad radices jugi *Vogelsbergensis*. Locus ipse patulum ac leviter ex cetera planitie undique editus, & ab ortu hiberno in occidentem æstivum porrectus est, quem ab oriente angusta atque uliginosa, a meridie vero spatiosior vallis, æque tamen palustris, quippe in quam nivibus atque imbribus auctus amnis *Horlof* sæpe exundare solet, ab immanentibus altioribus montibus dividit; ab occidente vero rivus, e subjectis pratis aquosissimis collectus, præterfluit.

TAB. IV. Fig. 1. Fig. 2. Fig. 3.

Ae-

Accolarum ſeniores referunt, toto hoc fere tractu paludes quondam fuiſſe, quæ unicum a Septentrione aditum reliquerint: quod verum eſſe, altius ductæ paſſim foſſæ confirmant, quibus ſuperfluus humor nunc quidem temperatur, ſed nec ſiccioribus æſtatibus plane exhauritur. Multa in hoc colle dirutorum murorum rudera, integraque ædificiorum incendio deletorum fundamenta eſſe audio, in quæ agreſtes, cæmentorum quærendorum cauſa altius terram rimantes, incidunt; atque aliqua in ſummo ſolo adhuc exſtantia conſpici poſſunt: unde forſan is tractus jam dudum auf der Mauer dici conſuevit. *Inhcidam*, oppidum quondam ſatis celebre, hic ſitum fuiſſe, vetus fama eſt: quam antiqui ſcriptoris teſtimonio probatam, ex beato Cancellario *Hertio*, illarum rerum peritiſſimo, Illuſtriſſimus Comes CAROLUS OTTO in SOLMS audiviſſe ſe aliquando meminit, & ea, quæ ab agricolis ſubinde eruuntur, magis confirmant. Videas enim hic magnam coctilium lapidum & tegularum vim, teſtas inuſitati plane operis ac coloris per agros ſparſas, vaſculorum a vulgatis uſu abhorrentium fragmenta, oſſa, ni fallor, humana: audias hic erui ſæpe ferramenta vetera, clavos, nummos, multaque alia ruinarum veterum veſtigia. Ad pedem quoque hujus collis, qua Auſtrum ſpectat, defoſſa fuit urna ſatis capax, tres nimirum pedes alta, quæ ſola fere illæſa manſit. Circumpoſitæ,
TAB. IV. ſi inventoribus credimus, patellæ fictiles fuerunt coloris rubri:
Fig. 4. quarum fragmenta plura habeo (nulla enim integra ſervata eſt) uniusque baſin ab interiori parte literis antiquis eminentibus inſcriptam, quas adeo forma aliqua impreſſas eſſe apparet. Quales autem hæ literæ ſint, quidve ſignificent, aliis quidem dijudicandum relinquo. Proxime ab hac piſcina in agro ejusdem collis, eo-
Fig. 5. demque fere tempore *tauri ſignum* illud æneum inventum eſt, quod in vera ſua magnitudine heic exhibeo. Qualem uſum habuerit, & quid ſignificet, varia proſtant judicia: & quia pes ille poſticus dexter deficit, quem punctulis ſolum indicamus, ut & caudæ pars media, ſunt, qui pro ornamento quodam, armis forte antiquorum annexo, habent. Materia ex vulgari ære eſt, cui quidem hydroſtatica prodit, & gravitatem 7 ſeminunciarum refert. Artificium ſigni rude quidem, ſed tamen ex omni parte curate

ſuſum

fusum conspicitur. Hæc & similia ibidem quotidie eruuntur. Habet enim laudatus Illustrissimus Comes etiam minutum gladium, quem se mecum communicaturum promisit; & superiori demum mense inter adventantes rusticos quidam calcaris rotulam ferream mihi roganti dedit; ut alia taceamus. Inter talia quoque ferramenta non immerito *sagittarum & telorum* reliquias referimus, qualem in Fig. 7 exhibemus. Quod *nummos* attinet, quos vulgo *Heydenkæpfe* vocant, vix memini ullum in Germania esse locum, qui plures det, quam nostra Wetterauia; hosque, si æmei fuerint, a plebecula ut plurimum pueris crepundiorum loco dari, sin argentei, aut aurei, ad Judæos deferri, vulgarique moneta permutari, certo certius est. Et quia inter varios usus, quos olim *Spanhemius* in conquirendis nummis antiquis annotavit, meo quidem judicio minimus non est, si regiones, ubi eruuntur, probe connotentur, dubium non est, quin & Wetteraviæ antiquæ faciei, isiusque satis singularibus, ex tali collectione nummorum, ibidem inventorum, maxima lux addi queat. Libet in præsentiarum illos saltem nominare quos idem ille Illustrissimus Comes, ex prædicto Wetteraviæ tractu non adeo multis abhinc annis collectos, pro sua in me gratia inspiciendos concessit. Sunt autem argentei sequentes: TAB. IV. Fig. 6. Fig. 7.

1) ANT. III. VIR R.P.C. Triremis.
LEG. VII. Aquila legionaris inter duo signa miliaria.

2) CÆS. VESP. AUG. Laureatus.
AUGUR. TRI. POT. Instrumenta auguralia.

3) IMP. CÆS. NER. TRAIANO OPTIMO HIS. GER. DAC. PARTHICO. Effigies laureata.
P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. Mars gradiens.

4) ANTONIUS AUG. PIUS. Laureatus.
COS. IV. Salus ad aram stans & sacrificans.

5) ANTONINUS AUG. PIUS. P. P. IMP. II. Laureatus.
TR. POT. X. COS. IIII. Victoriæ sedentis imago.

6) FAUSTINA AUGUSTA. Uxoris Antonini effigies.

JUNONI REGINÆ. Juno ſtans. Eſtque hic nummus ideo notabilior, quia ſubæratus apparet.

7) M. COMM. ANT. P. FEL. AUG. BRIT. Laureatus.

P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. Æquitas ſtans.

8) L. SEPT. SEVER. – – – – – – – –

HERCULI DEFENS. Hercules ſtans cum clava, arcu & leonis exuviis.

9) JULIA AUGUSTA - - - Sinceri uxor. Caput reticulo ornatum.

JUNO REGINA. Stans.

10) IMP. MAXIMINUS PIUS AUG. Laureata effigies.

PAX AUGUSTI. Stans ramum prehendens.

11) M. ANTONINUS AUG. Radiatum caput.

- - - XXI IMP. V - - - - S. C. Alata effigies.

12) DIVA FAUSTINA.

ÆTERNITAS velata cum Sceptro S. C. Hic ſolus alio in loco, Münzembergæ ſcilicet, duarum horarum ſpatio diſtante, eſt inventus.

13) IMP. ALEXANDER PIUS AUG.

MARS ULTOR. Sagatus cum haſta & clypeo.

15) Numulus æneus plane detritus, ſed tamen Imperat. Rom. effigiem monſtrans.

15) SALL. BARBIA ORBIANA AUG. Caput reticulo ornatum.

CONCORDIA AUGG. Hic nummus eſt argenteus, *Inheidæ* ante aliquot dies inventus, elegantiſſimus.

Ceterum cum inter hos ſæpiſſime etiam inveniantur nummi argentei, & ex auro, licet non ex obryzo illo maxime pretioſo, facti, concavi & ſolidi, quos cum *Wedelio* in Med. Philolog. Dec. IX exercit. X *Gothicos* vocant, vel cum aliis *Germanos:* nos duos nunc tantum, qui cum Romanis ſimul inventi, producemus, quorum alter Fig. 8 exhibitus argenteus eſt, concavus, ſolidus, ſolitoque craſſior, utrinque ſignatus, ponderis ſeſqui drachmæ vul-

TAB. IV. Fig. 8.

vulgaris; alter ejusdem soliditatis & formæ, quem iisdem terra Solmensis in Wetteravia nuper dedit, in Figura 9, aureus est, decem florenorum pretio & pondere æstimatus. De quibus ut & reliquis Wetteraviæ antiquitatibus mox plura. Scr. Giessæ Mense Nov. 1726. TAB. IV. Fig. 9.

J. C. S. INTERPRETATIO NUMMI CUJUSdam veteris.

I. VAillantius in Numismatibus æreis Imperatorum, quæ in coloniis cusa sunt, Tomo I pag. 5 habet nummum, qui caput Julii Cæsaris ostentat, circumscriptis hisce literis: C. ARRI. A. F. C. AQ. C. JUL. T. ANC. In altera ejusdem nummi parte conspicitur aratrum circumfusis literis illis: II VIR. QUINQ. EX. D. D.

II Has literas Vir literatissimus ita interpretatus est: *Caio Arrio, Auli filio, Caio Aquilio, Caio Julio, Tito Anchario, Duumviris quinquennalibus ex decreto Decurionum.*

II Porro fatetur Vir eruditissimus, se nescire, cui tandem Coloniæ nummum hunc attribuat. Neque animadvertit, se peccare in eo, quod eum nummus Duumviros prædicet, ipse quatuor nobis obtrudat nomina, &, quod ei consequens est, quatuorviros.

III Nos, bona literatorum venia, utramque nummi partem conjunctim ita legi malimus: *Caio Arrio, Auli filio, Caio Aquilio Duumviris quinquennalibus ex decreto Decurionum. Colonia Iulia Togata Ancona.*

IV Nam Anconam coloniæ nomine insignitam fuisse, diserte memoriæ prodidit Plinius Histor. Natur. lib. III cap. XIII.

V Plura quæ ad nummi hujus interpretationem pertinent, proposuimus in *Monumentis ingeniorum* Tomo II p. 65.

THREE DIALOGUES, BY GEORGE BERKELEY &c.

hoc est,

TRES DIALOGI INTER HYLAM ET PHILONOUM, quibus veritas & perfectio humanæ cognitionis, incorporea animæ natura, & immediata Dei providentia,

contra Scepticos atque Atheos plane demonſtratur, novaque methodus pro majori ſcientiarum facilitate, uſu & compendio aperitur; Autore GEORGIO BERKELEIO, Magiſtro Artium & Collegii Trinitatis Dublinenſis Socio.

Londini, apud Wilhelmum & Joannem Innys, 1725, 8. Pl. 11½.

SUmmus Ariſtoteles, ſi Berkelejo credimus, male rerum cacumina trutinavit, cum, quicquid in orbe eſt, in duo divideret. Tribus enim his Dialogis hoc unum agitur, ut negetur, dari *ſubſtantiam*, quam Philoſophi vocant *materialem*. Hanc opinionem nec phantaſticam, nec ſenſui communi adverſam, nec Scepticismi matrem filiamve eſſe; ſed *realitatem rerum ſenſibilium* earumque naturam longe melius demonſtrare atque explicare, quam communem philoſophorum de *exiſtentia materiæ* doctrinam, confidenter Autor affirmat. P. 3.

In *Dialogo I* ergo ſequentia axiomata conſtabilire inſtituit. 7. I) *Omnes res ſenſibiles non mediate, ſed immediate a ſenſibus percipiuntur*; cum *concludere* & *inferre* non ſit *ſenſuum* ſed *rationis*: adeo ut viſu, præter lucem & colores, auditu, præter ſonum, palato, præter guſtum, olfactu, præter odores, tactu præter qualitates tangibiles, nihil percipiamus. 9. II) *Realitas objectorum ſenſibilium in hoc ſolo conſiſtit, ut percipiantur*, nec differunt inter ſe τὸ *exiſtere* & τὸ *percipi*. Dolor igitur & voluptas, cum in materiam, tanquam ens nec ſenſibile, nec cogitans, cadere non poſſint, nullo modo diſtinguuntur ab *idea* vel *ſenſatione*, inque 16. ſola *mente* exiſtunt. Hinc Autor concludit, calorem non magis eſſe in igne, quam dolor eſt in acu, qua digitus compungitur; ſaccharum non eſſe dulce, abſinthium non amarum; nec odorem vel fœtorem in materia odorifera, nec ſonum in corpore ſonoro, vel in aere, aeriſve motu eſſe; colores denique corporibus externis non inhærere; ſed omnia iſthæc in ſola *mente*, *ſenſatione* 32. & *idea* exiſtere. Concludit porro: ipſas *qualitates primarias*, extenſionem, figuram, gravitatem, motum, & quietem in corporibus non quærendas, nec quidquam niſi totidem *ſenſationes* atque

c

Digitized by Google

que *ideas* esse, nullibi nisi in *mente* existentes. III) *Objecta non differunt a sensationibus*, tum quod in objecto e. g. tulipa, præter colorem, figuram & extensionem, nihil videmus; hujusmodi ideæ autem, vel potius combinationes idearum in substantia non cogitante & ab omni mente remota non possunt existere; tum quia perceptio nihil *actionis* habet, sed lumen, color, gustus, sonus &c. nil sunt, nisi meræ *passiones*, seu *sensationes* animæ. IV) *Non datur substratum materiale nec substantia*, cui qualitates sensibiles inhæreant, vel quæ subjaceant accidentibus; cum tale substratum talisque substantia non differat ab *extensione*, quam ideam esse, nec extra mentem existere, Autor supra asseruit. p. 44. 49.

In *Dialogo II* initio reprobatur sententia modernorum, qui statuunt, objecta externa, dum organa sensuum tangunt, nervisque certos motus vibrativos communicant, varia vestigia cerebro imprimere atque sic animam ideis afficere; id quod Autori nostro nihil aliud est, quam *ideas* in rebus sensibilibus, i. e. *in ideis*, collocare. Tunc absurdum esse demonstratur, tot rebus in sensus cadentibus, sylvis, speluncis, fluminibus, oceano, cœlo denique & astris omnem *existentiam realem* denegare, atque sic in crassissimum Scepticismum velle delabi. Cum tamen hæc entia a mentis nostræ cogitatione nequaquam dependeant, sed existentiam habeant a *perceptione* nostra plane distinctam, hinc certissime concludendum: *oportere esse mentem aliam, in qua hæc omnia existant*, atque hanc mentem, hunc spiritum infinitum & omnipræsentem, qui continet & suffulcit omnia, esse *DEUM*. Directam hanc & immediatam ait Autor esse demonstrationem *existentiæ divinæ*, ab evidentissimo principio deductam. Cum enim vulgus Philosophorum sic ratiocinetur: *Deus est, ergo percipit omnia*; Berkelejus argumentum invertit: *Entia sensibilia vere existunt, quæ si vere existunt, a mente quadam infinita percipiuntur; est ergo mens quædam infinita*, sive *DEUS*. Porro, cum omnia, quæ immediate percipiuntur, sive ideas vocare velis, sive sensationes, a mente quadam vel spiritu producantur; nos vero harum idearum non simus autores, utpote in quorum facultate positum non est, dum aures oculosve aperimus, quibus ideis velimus affici, argumentatur, *esse mentem, quæ omnibus impressioni-* 68. 74. 75. 79.

bus ſenſibilibus, quas percipimus, continue nos afficiat. Ex varietate, ordine & modo autem harum impreſſionum concludit, eas habere autorem *ſapientiæ, potentiæ* atque *bonitatis* incomprehenſibilis. Reliqua pars hujus Dialogi ſecundi nova argumenta contra *exiſtentiam materiæ* expromit, quam nec *cauſam*, nec *inſtrumentum*, nec *occaſionem* idearum eſſe, imo plane exiſtere non poſſe, Autor diſputat. p. 80

107. *Dialogo III* Berkelejus probare allaborat, 1) *ſententiam, quam hactenus defendit, ab omni Scepticismo eſſe alienam.* Se enim de ente incognito, quam materiam vocant, minime ſolicitum, cum vulgo ſenſibus fidere, entiaque vera putare ea, quæ videmus, ſentimus, percipimus. Se nivem albam, ignem calidum, cum ſimpliciſſimis credere. Rem quandam vere percipi, & ſimul non vere exiſtere, videri ſibi plane contradictorium; adeoque ſe non eſſe Scepticum, ſive naturam rerum ſpectes, ſive exiſtentiam; ſed 113. *cognitioni humanæ* jura ſua ſarta tecta ſervare. 2) *Cum ſenſui communi, tum Chriſtianismo, examuſſim convenire hanc ſententiam*, quippe cujus hæc ſumma ſit: *Omne ens vel percipit, vel percipitur*: ſive: *Omne ens cogitationis expers neceſſario, & per naturam exiſtentiæ ſuæ, percipitur ab ente quodam cogitante, ſeu mente, ſi non finita & creata, certe tamen infinita* 130. *ſive Deo, in quo vivimus, movemur & ſumus.* 3) *Sententiam hanc non eſſe novam*; ſed opponi potius novitatibus & paradoxis Scepticorum, e. g. quod objecta non habeant qualitates, quas percipimus; quod ſenſibus non ſit credendum; quod materia, h. e. res ſtupida, cogitationis actionisque incapax, poſſit operari in 144. ſpiritum, &c. 4) *Hanc ſententiam Scripturæ S. & hiſtoriæ creationis non contradicere*; cum Moſes nullibi dicat, Deum creaſſe *quidditates ignotas, ſubſtantias corporeas, occaſiones, ſubſtrata,* 155. verbo, *materiam* in ſenſu philoſophico. 5) Tandem maximam utilitatem, quæ ex doctrina *Immaterialismi*, tam in *religionem*, quam in *ſcientias humanas*, redundet, Autor commendat. Quippe Dei exiſtentiam, ſpiritualitatem, omnipræſentiam, providentiam, omniſcientiam, infinitam potentiam & bonitatem, neque minus incorruptibilitatem animæ, clare, conſpicue & evidenter hoc modo probari, tum intricatas quæſtiones, obſcuritates, & contradi-

Digitized by Google

tradictiones *philosophiæ naturalis*, circa continuitatem, homogeneitatem, gravitatem, divisibilitatem materiæ, per suppositionem Immaterialismi, ceu nodum Gordium, uno ictu dissolvi, affirmat, aliosque hujus doctrinæ usus in *Moralibus*, *Metaphysicis* & *Mathematicis* subjungit. Atque ita Berkelejus paradoxon suum de *non-existentia materiæ* specioſe satis defendit, de cujus veritate alii judicent; de origine, quicquid Autor dissimulet, sic sentimus, ex *Cartesii*, *Malebranchii* & *Spinosæ* philosophiarum mixtura prognatum hoc λυβικὸν θηρίον. Cæterum ea, quam sub manibus habemus, horum Dialogorum editio altera est; prior jam prodiit A. 1713, cujus amplam doctamque recensionem Lector inveniet in Diario Gallico *le Journal literaire Tom. I art. 16.*

NOVA LITTERARIA.

PRodiit Neapoli superiori anno vergente liber admodum elegans, cui titulus: *Camilli Eucherii de Quintiis, e Soc. Jesu, Inarime seu de Balneis Pithecusarum Libri VI, Serenissimo Lusitaniæ Regi Joanni V dicati*, in 4 minori. Carmen est heroicum, ad Lucretii fere morem compositum, notisque historicis ac physicis eruditis illustratum ac figuris aliquot bellissimis exornatum. Prodiit & ibidem nuper liber sub tit. *Principi d'una nuova Scienza*, 8. Cujus libri Autor quamvis nomen suum eruditos celet, certiores tamen facti sumus per amicum quendam Italum, esse eundem Abbatem Neapolitanum, cui nomen *Vici* sit. Agitavit Autor in isto libello novum Juris Naturæ Systema aut figmentum potius, ex aliis longe, quam hactenus fuerunt Philosophi, principiis deductum, magisque ad ingenium Pontificiæ ecclesiæ accommodatum. Multo labore contra Grotii & Pufendorfii doctrinas & principia disputat, ingenio tamen hic magis indulget quam veritati, longaque conjecturarum mole tandem sibi ipsi deficiens ab ipsis Italis tædio magis quam applausu excipitur.

Genevæ Perachon & Cramer, Typographi, in duobus Operibus, altero Juridico, altero Medico, recudendis valde occupantur. Illa sunt rara hactenus *Joannis del Castillo Sotomajor* Opera, una cum *Jo. Pauli Melii* Additionibus & Observationibus, & *N. Antonii* J. U. Doct. & Prof. Repertorio generali, X

Tomis

Tomis distributa, quæ ut nunc emendatiora & ad usum magis accommodata, ita & ad calcem additionum Melianarum recentissimis S. Rotæ Romanæ Decisionibus, hactenus ineditis, aucta prodibunt. Hæc vero sunt *Richardi Morton* Opera omnia, quæ jam olim una cum scriptis aliorum, *Gualtheri* nempe *Harris*, *Cole*, *Listeri*, *Sydenham*, praxin pariter & materiam Medicam concernentibus, iidem Typographi ediderant, nunc aliis insuper scriptis, *Caroli Leigh* Phthisiologia Lancastriensi, *Gualtheri Harris* ultimis Operibus, *Vinc. Kattelaer* M. D. Commentario de Aphthis, & Dissertationibus quorundam de nova methodo inoculationis & transplantationis Variolarum aucta; quæ quidem Opera hoc ipso anno proditura speramus.

Londini Cl. *Edmundus Chisbull* novum opus promisit, publico programmate propositio, quo inter alia hæc refert: *Titulum ferent:* Antiquitatum Asiaticarum Reliquiæ: *sive nobiliores quædam ab Asia Minore Inscriptiones Græcæ. Opus in tres Partes divisum.* Prima *dabit Inscriptionum duarum Sigearum, cum commentario & notis, editionem novam. Accedent eidem Latina Monumenta duo: unum Ancyranum, ex autographis schedis Tournefortianis, longe quam antea auctius & emendatius: alterum Stratonicense, ex Itinerario Sherardiano nunc primum in lucem datum.* Secunda *complecteturInscriptionum Græcarum seriem, numero circiter trecentarum, partem longe maximam hactenus ineditarum, a Teo, Lebedo, Epheso, Mileto, Stratonicea, Magnesia ad Meandrum, Trallibus, Aphrodisiade, Laodicea, Hierapoli, Philadelphia, Sardibus, Thyatiris, Pergamo, Lesbo Insula, Smyrna, aliisque Urbibus Asiaticis. Adjicientur passim breves notæ criticæ, cum non paucis, de singulari quarundam Inscriptionum materia, & locis ubi repertæ sunt, Proœmiis.* Tertia *exhibebit Alphabeticum ad variora & difficiliora Inscriptionum Commentarium; variosque, secundum methodum Scaligeranam & Reinesianam, Indices.* Ceterum quod ad specimen, huic programmati ab Autore subjunctum, attinet, eo describendo facile supersedemus. Evolvant, qui legere cupiunt, Diarium Hagiense *Histoire Litteraire de l'Europe* M. Jun. 1727 p. 180.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXVII.

FLAVII JOSEPHI, QUÆ REPERIRI POtuerunt, Opera omnia, Græce & Latine, cum Notis & nova Verſione JOANNIS HUDSONI. Accedunt nunc primum Notæ integræ D. Eduardi Bernardi, Jacobi Gronovii, &c. ut & ineditæ Joannis Cocceji, Ezechielis Spanhemii, Hadriani Relandi & rel. Autore SIGEBERTO HAVERCAMPO, Linguæ Græcæ, Hiſtor. & Eloquent. Profeſſ. in Academia, quæ Lugduni eſt, Batava.

Tomi II.

Amſtelædami, apud R. & G. Wetſtenios,
Lugd. Batav. apud Sam. Luchtmans,
Ultrajecti, apud Jacobum Brœdelet, 1726, fol. maj.
Alph. 22 pl. 18, cum tribus Tabulis æneis.

FLavium Joſephum tandem poſt diuturnas eruditorum cunctationes in lucem prodire, lacunas, quibus antiquiores ejus editiones ſcatebant, Codicum MSS. ope ſuppleri, veramque Græci, ubi aut luxatus, aut plane corruptus erat, textus lectionem reſtitui, quorum intererat, gratum iis acceptumque omnino erit, illuſtris adeo Scriptoris, elapſo nondum decennio, bis vulgata fuiſſe, quotquot habentur, Opera, tanto molimine elaborata, ut vix in iis ſit, quod jure deſiderare poſſint intelligentes hujus rei æſtimatores. Priorem illarum editionum quæ Oxonienſis eſt, Cl. *Hudſono* debemus, poſteriorem *Sigeberto Havercampo*,

campo, Linguæ Græcæ, Historiarum & Eloquentiæ in Academia Lugdunensi Batava Professori. Et de Hudsoniana quidem diximus in Actis A. 1722 M. Majo, quæ cum pretiosa esset pro more gentis, nec facile comparanda omnibus, præclaro utique instituto laudatissima Bibliopolarum apud Batavos Triga de revocandis ad suos Josephi Operibus typos cogitavit, suumque illa consilium aperuit Cl. *Havercampo*, qui id a studii officiique sui ratione alienum haud fore, ratus, præsentem nobis post nonnullorum annorum labores Josephi editionem dedit, quæ cum denuo ad Codices MSS. castigata, novis accessionibus & doctissimorum Virorum curis auctior prodeat, suam etiam præ cæteris dignitatem præstantiamque facile tuebitur. Quibus autem subsidiis instructus, ad opus accesserit, ipse edisserit in Præfatione præmissa Cl. *Editor*. Inter Codices MSS. quibus usus est, principem locum merentur Codices duo, qui in Bibliotheca Lugduno-Batava habentur, scripti in charta, sed notæ valde bonæ & antiquæ, quos olim possedit *Isaacus Vossius*. Prior Antiquitatum Libros novem posteriores integros continet; posterior septem de Bello Judaico Libros omnes complectitur, in initio tantum & fine paululum mutilus. Horum Codicum copia facta non fuerat Cl. *Hudsono*, præter quædam ex iis excerpta: diligenter vero eos inspexit Cl. *Havercampus*, passimque varietatem eorum, ubi a lectionibus *Hudsonianis* discrepabant, literis *L. B.* notavit in subjectis animadversionibus. Usui deinde ejus inserviit, quod in Græcis ante defuit & in eadem Bibliotheca asservatur, Fragmentum Josephi ex Libro Antiquitatum XIV, descriptum ex priori illo, Antiquitatum nimirum Codice Lugduno-Batavo. Comprehendit Decreta Romana & Asiatica pro Judæis ad cultum divinum per Asiæ minoris urbes secure obeundum, quæ cum Emendationibus quibusdam in Suidam singulari libello duodecimo Seculi præsentis anno primus vulgavit *Jacobus Gronovius*. Ingentem hanc lacunam in editione Oxonienſi suppleverat quidem *Hudsonus*, sed pauca in adjectis animadversionibus sua fecerat ex illis *Gronovianis*, quæ suis insertæ locis integræ in hac nova editione comparent. Ad hæc reperta ipsi fuit Agrippæ Regis, Judæos a bello cum Romanis gerendo dehortantis, Oratio,

Tom. I p. 706.

&

& quas ab editis discrepantes in Codice lectiones invenit eas inter addenda Tomo II retulit. Unam quoque & alteram Josephi editionem ab *Isaaco Vossio* multis in locis cum MSS. suis, & ab aliis collatam, ob oculos habuit, Basileensem nimirum & Genevensem editiones, quem apparatum universum in præstantissima illa Lugduni Batavorum Bibliotheca servatum in usus suos convertit. Et hæc propius adeo ad manum fuerunt Cl. *Editori*. His vero auxiliis, quamvis egregiis, adjutum esse, cum nondum satis haberet, de plurimorum Eruditorum votis bene merendi studio ductus, doctos ubique Viros, a quibus opis quid sibi latum iri, existimavit, laudando sane consilio, quo & successu non caruit, literis solicitavit. Possedit *Fred. Rostgardus*, Nobilissimus Danus, præstantissimum, quadringentorum circiter annorum, de Bello Judaico, Codicem MS. Græcum, eundemque integrum & nullo modo interruptum, in cujus calce adjectum fuerat illustre illud Josephi de Jesu Christo testimonium. Ad hoc MS. exemplar edita contulerat *Joannes Grammius*, Linguæ Græcæ in Academia Hafnienſi Professor, & quas in illo varias lectiones notaverat, manu sua descriptas ad nostrum transmiserat, una cum iis in Josephi contra Apionem Libros. Priores sub Codicis Rostgardiensis, sub Hafnienſis nomine posteriores citantur, & harum nonnisi paucissimas, illarum nullas ad *Hudsonum* perveniſſe, collatis invicem utriusque Editionis libris, unicuique facile apparebit. Mox in immensum auctus fuit ille variantium lectionum numerus, ex quo nonnullos Josephi libros, ad Codices MSS. in Bibliotheca Christianissimi Regis recognitos e Gallia transmisit ad Virum Cl. *Jacobus Philippus d'Orville*. Feracissima est lectionum illarum in molem vix tolerandam fere excrescentium seges, quæ cum serius veniſſent, adjectæ sunt Tom. II additionibus. Complectuntur de Bello Judaico Libros ad septem Codices MSS. collatos, inter quos Regius seculi undecimi & insigne Bibliothecæ Coislinianæ exemplar; librum porro de Maccabæis & vitam Josephi. Ordo tum sequitur & lectio Capitum Librorum Josephi de Bello Judaico, cum fragmentis quibusdam, ex Regiis quoque Codicibus. His accesserunt variæ lectiones in Antiquitates Judaicas, ex quatuor Codicibus Regiis descriptæ, quarum magna parte

p. 181. f. 157. 171. 176. 189.

usus fuit *Bigotius*. Excerpta illa *Bigotiana* in plurimorum Eruditorum manus & Bibliothecas pervenerant, quo etiam nomine passim in *Hudsonianis* memorata leguntur, verum sine ulla Codicum, unde depromtæ fuerant, autoritate. Ultimam hanc lectionum farraginem, notatis ubique Codicibus, qui eam submiserant, Parisiis misit *D. Sallierus* ad Cl. *Editorem*, qui, cum
p 424. conspectum illius invidere Lectori noluit, in Tomum II totum
479. conjecit, quo præter Antiquitatum Libros, ii simul, quos de vita sua & contra Apionem scripsit Josephus, cum MSS. collati exhibentur.

Tot subsidiis instructus, tandem opus aggressus est Cl. *Havercampus*, & ad Codices cum impressos, tum MSS. præcipue Lugduno-Batavos, Græca Josephi recensuit, præclaro certe conatu, sed qui, ut verum fateamur, valde simul adjutus fuit ope & auxilio, quod illis tulerat *Hudsonus*, qui suas aliquando manus afferre Josepho velint. Quantum enim in Literarum Græcarum scientia excelluerit *Hudsonus*, quanto ingenii judiciique acumine polluerit, quam in discernendis lectionibus veris a falsis aut suspectis sagacem, quam in vertendo ex Græco in Latinum fidelem & doctum se præstiterit, supervacaneum foret, hic multis repetere. Quare etiam Græca Josephi ad illa *Hudsoniana* ita imprimenda curavit doctissimus Editor, ut ubique fere utriusque Editionis consensus atque concentus, rarissime dissensus appareat. Scilicet cum plures Codices inspiciendi data fuisset Cl. *Havercampo* copia, prima ipsi cura fuit, Græca Josephi cum illis conferre præcipue Lugduno-Batavis, qui etiam utramque fere in hac nova Editione paginam faciunt. Hinc quando lectionum, quas genuinas *Hudsonus* agnoverat, ab illis in Codicibus nulla erat varietas, studiose hoc notatum Cl. Viro in animadversionibus. Si qua deinde erant in *Hudsonianis*, quæ a MSS. leviter variabant, sensum vero nec corrumpebant, nec in adversa detorquebant, Græca Josephi ob leve illud discrimen castigare, religioni quidem sibi duxit, differentiam tamen iterum indicavit in Notis. Tandem cum in Codicibus, imprimis Lugduno-Batavis, lectiones compararent significantiores utique & ab editis illis *Hudsonianis* valde discrepantes, quæ magis ad mentem Josephi accederent,

Digitized by Google

rent, addita interdum voce, quam librarii manu temere adjectam fuisse, suspicandum non erat, tum illas gravioris momenti lectiones textui etiam inferre, haud dubitavit, hujusque suæ castigationis causas & rationes sufficienter in animadversionibus expofuit. Notandæ hinc lectiones, quas perlustrantibus nobis Græca Josephi obviam inter legendum factas speciminis loco damus Lectori Benevolo. Antiquitat. Judaicar. Libr. XII Cap. IV §. 9 lin. 38 editis *Hudsonianis* in editione præsenti ex Codice Lugduno-Batavo accesserunt illa πρὸς ἕκαστον, quæ ob præcedentium similitudinem ex aliis Codicibus excidisse videbantur, longe significantius, quando coram singulis simulasse dicitur Hyrcanus. Tom. I. p.605.

Libr. XVI Antiquit. Cap. X §. 1 lin. 20 τιμώμενον legitur pro νικώμενον, & Libr. XVIII Cap. IX lin. 2 προσχωρεῖν πρὸς αὐτὸν, cum in ante editis περσχωρεῖν; optima conjectura *Hudsonii*, qui ad hunc locum in subjecta animadversione, *forsan* περσχωρεῖν πρὸς αὐτὸν, scribit; cui lectioni cum faveret Codex Lugduno-Batavus, Textui eam inseruit Cl. *Editor*, sicut & ibidem lin. 31 nomen Ἀνιλαῖον cum Articulo τὸν, ejusdem Codicis autoritate ductus. Sic porro Libr. IV, de Bello Judaico, Cap. I lin. 25 edita habebant πολλὰ δέους συνεργήσαντες, lectione quidem non contemnenda, sed dubio procul elegantiori, πολὺ τῷ δέει συνεργήσαντα, qua etiam priorem illam emendavit Cl. *Editor*, cum præter Codicem Lugd. Bat. eam Rostgardiensis exhiberet, ad quorum autoritatem etiam illa in editis, ἣν παρ' αὐτῶν ἐπλήγησαν ἀπόντα Ῥωμαῖοι. castigata, nunc emendatiora leguntur ibid. lin. 30, ἣν παρ' αὐτὸν ἐπλήγησαν ἀπόντα Ῥωμαῖοι. Nec prætereri possumus, quæ ad finem Capitis hujus observata sunt Viro doctissimo. Nimirum Gamalæ urbis obsidionem & excidium hoc Capite describit Josephus; tandem ad finem ejus victricibus Titi Vespasiani armis horrendam Judæorum stragem in urbe editam fuisse, neminemque præter duas mulieres, easdemque Philippi fororis filias, interitum effugisse, refert. Jam de Philippo dicturus, quis fuerit, ait: Ἦν δὲ ὁ Φίλιππος Ἰακίμου τινὸς ἀνδρὸς ἐπισήμου στρατηχήσαντος Ἀγρίππα τῷ βασιλεῖ, quæ quidem ultima verba in editis omnibus inepta hæc sequebantur φίλος τυγχάνων, ut adeo juxta sensum eorum Philippum fuisse Tom.II. 268. 269.

oporteat amicum Jacimi illius, qui Agrippæ, Regis, exercitui præfuerat. Et ita quoque visum Cl. *Hudsono*, qui lectionem eandem exhibet, simul tamen infra observat, illa φίλ& τυγχάνων a *Bigotianis* abesse & *Vossianis*, nec ea agnoscere veterem Interpretem, *Rufinum*; nec tamen deleverat Vir doctus. Subintelligenda autem necessario est in iis Josephi vox υἱὸς; Philippum enim Jacimi illius filium fuisse, Autor est ipse Josephus Antiquitat. Judaicar. Libr. XVII Cap. II §. 3: καὶ Ἰάκειμ& ἐν γήρᾳ τελευτῶν, φίλιππον ἄνδρα χρῆσας ἀγαθὸν κατέλιπε τὸν υἱόν. Quare cum præter Roftgardiensem, etiam Codices Parisini illa φίλος τυγχάνων, ut ab inepto Glossatore profecta, haud agnoscerent, recte omnino ea expunxit, &, quæ ad mentem Josephi probe accedit, *filii* vocem versioni Latinæ inseruit Cl. *Editor*. Atque in hunc modum etiam in reliquis ad Codices suos Græcam Josephi dictionem castigavit, rarius tamen, nec nisi cum illorum lectiones magis ad rem accommodatæ, atque adeo dignæ essent, quæ editis *Hudsonianis* præferrentur.

Non omnis vero in iis labor versatur, quem suo Josepho impendit Cl. *Havercampus*. Quod enim præclaro ejus de præstantissimo Scriptore bene merendi studio debemus, exhibentur etiam nobis Doctorum Virorum curæ, animadversiones & notæ, editæ & ineditæ, quibus tot novæ huic Editioni factæ sunt accessiones, ut longe ea auctior, illa *Hudsoniana*, prodiisse omnino dicenda sit. Quanto conatu, quam varia instructus doctrina ad edendum Josephum animum applicuerit *Edvvardus Bernardus*, Vir undecunque doctissimus, & linguarum præcipue Orientalium callentissimus, norunt omnes, & abunde expositum, qui Josephi Bernardini, veluti abortivi fœtus, Historiam in vita ejus libro peculiari complexus est *Thomas Smithus*. Editæ autem fuerant in quatuor Archæologiæ Judaicæ Libros & partem quinti *Bernardi* annotationes & scholia, quorum nonnisi pauca, quæ ad lectionis varietatem facerent, in usus suos *Hudsonus* transtulerat; in hac vero Editione integra comparent, ea nimirum, quæ Græcam Josephi dictionem, aut Historiam ejus illustrant; quæ enim indoctam illam & Græco Textui in quamplurimis parum congruam interpretis veteris versionem latinam spectabant animadversiones,

Digitized by Google

siones, nullum ex hic locum merebantur, quia novam eamque elegantem *Hudsonianam* suam etiam fecerat Cl. *Editor*. Præter illa *Bernardi*, *Henrici* quoque *Aldrichii* in librum primum & partem secundi de Bello Judaico animadversiones leguntur. Fuit *Aldrichius* Rector in Ædibus Ecclesiæ Christi Oxonii, literarum humaniorum studiis egregie excultus; & succinctæ sunt ejus notæ & breviores *Bernardianis*, sed multiplici doctrina refertæ, quæ ex antiquioris recentiorisque ævi Scriptoribus lucem sæpissime fœnerant iis, quæ obscura videri poterant in Josepho. Librum de Maccabæis Commentario quondam illustraverat *Franciscus Combefisius*, cui nec suus in præsenti editione defuit inter notas doctorum locus; quibus tandem *Jacobi Gronovii* in locum illum hiantem & primum ab isto expletum, scilicet Decreta Romana & Asiatica pro Judæis, adjectæ sunt animadversiones integræ.

Adeo utiles & doctas summæ existimationis Virorum curas, quæ sparsim editæ fuerant, uno jam fasce collectas exhibuisse, multum ad operis commendationem faciebat; verum longe majorem huic dignitatem conciliabit, legi simul, quæ lucem nondum aspexerant, ac tantum in Bibliothecis, ad quas non facilis æque accessus patebat, hucusque delituerant. Hujus generis sunt *Johannis Cocceji*, *Hadriani Relandi* & *Ezechielis Spanhemii*, in omnia Josephi Opera notæ & scholia, jam pridem votis doctorum expetita, quibus nunc, quasi e pulvere extractis, primum exornata procedit hæc nova editio. *Johannis Cocceji* exemplar, quod jam ante magno pretio sibi comparaverant laudatissimi supra Bibliopolæ, ad oras ubique habebat MSS. collationes, *Bigotianæ* ex duobus optimæ notæ Codicibus ad X priores Antiquitatum Libros; *Vossianas* ad reliquos, ut & de Bello Judaico Libros. Multa insuper ad marginem *Coccejus* scripserat, quæ non Codicum autoritate nitebantur, sed conjecturis, quorum omnia, quot & quanta fuerunt, summa fide sub celeberrimi Viri nomine in notis publicavit Cl. *Havercampus*. Non minora sunt *Hadriani Relandi* in Josephum merita. Notas ille suas & animadversiones, charta pura exemplari inserta, ubique seminaverat, in majorem dubio procul numerum augendas, nisi acerbiora fata adeo præclaros

tanti

tanti Viri, qui omnem, qua patet, Musarum orbem eruditionis laude nobilitavit, interrupissent conatus. Interim cedant in Lectorum usus, quæ conservatæ nobis sunt in hoc opere ejus curæ; sunt enim tales, quæ scribentis doctrinam mirifice commendabunt, & quod doctissimis suis scriptis sibi paravit nomen, plane ab oblivione vindicabunt. Præter hæc magnam ineditorum partem constituunt elaboratissimæ in Josephum notæ *Ezechielis Spanhemii*, Viri meritorum in rempublicum civilem æque ac literariam amplitudine illustris; asservabatur exemplar Josephi in Bibliotheca Potentissimi Borussiæ Regis, manu Spanhemii notatum & emendatum, quod ex gratiosa indulgentia *L. B. de Printzen* transmissum fuit ad nostrum a Cl. Viro *Maturino Veyssière la Croze*, Regiæ Majestati a Bibliotheca. Breves plerumque sunt Viri illustris Notæ, sed elegantes; etenim Josephi dictiones & narrationem ubique inter se contulit, rariora deinde verba & voces significantiores, quarum multæ in nobili scriptore occurrunt, ex *Homero, Æschylo, Euripide, Sophocle, Hesychio*, aliisque illustravit, excrescentibus in magnum numerum istis *Spanhemianis* animadversionibus, quibus sane tantum dignitatis attulit huic editioni Cl. *Editor*, quantum quidem detracturus ipsi fuisset, si carere illa debuisset tam egregio omnifariæ eruditionis thesauro. Particeps vero illarum factus est, ubi typi jam pervenissent ad finem Libr. V Archæologiæ Judaicæ, nec prius inter aliorum notas locum iis dare potuit, nisi ad Libri VI Antiquitatum initium; quæ autem nota-
p. 416. ta fuerant ad Libros V priores, ea inter Tomi II Addenda retulit. Exemplari *Spanhemiano* adjectæ fuerant chartæ solutæ, manu Viri doctissimi scriptæ, quæ præter Indicem Geographicum aliosque, comprehendebant Stemma & Prosapiam Herodis Magni, Chronologica Josephi, Æras apud Josephum in Historia sacra & externa observatas, Syriæ porro & Judeæ Rectores, Præsides Judeæ & Procuratores, nomina quoque aliorum Præsidum in Josephi scriptis occurrentia, observationes de Josepho ipso, loca & verba in Josepho suspecta & notanda, verba denique Josephi apud Hesy-
402. chium observata, quæ omnia exhibentur Tomo II.

Selectioribus his doctorum Virorum animadversionibus, quæ ante ineditæ in usus pauciſſimorum pervenerant, omnibus

inter

inter *Hudſonianas* locum dedit in opere præſenti Cl. *Havercampus*, easdemque ſuis ſubinde notis & correctionibus auxit, adjecto ubique Autoris nomine, cui unaquæque illarum debetur. Quibus additum nomen non eſt, ea *Johannis Hudſoni* ſunt, *Hudſoniana* enim omnia in hanc novam editionem recepta ſunt, una cum ſcholiis *Ibbetſoni* & *Lauthii*, quorum nomina hinc & inde ille laudaverat. Ad finem quoque primi Antiquitatum Libri *Johannis Sibrandæ*, Franequerani, & in patria ibidem Academia Literarum Græcarum quondam Prælectoris, leguntur Notæ poſtumæ, quæ tamen ultra primum Antiquitatum Librum non pergunt. Tom. I. p. 60.

Ex iis, quæ diximus, abunde apparet, quanta a Viro doctiſſimo cura requiſita fuerint, quæcunque ad Joſephi aut dictionem, aut Hiſtoriam illuſtrandam factura eſſe, exiſtimavit. Neque vero in his poſita eſt omnis operis hujus dignitas. Quæ enim commode ad ſcriptionem Joſephi trahi poterant, ea etiam ſolicite collegit, & in Tomum poſteriorem, ut ſua priorem mole æquaret, conjecit. Unde præter eas, quas nominavimus, varias Codicum lectiones, ibi ſiſtuntur *J. Waſſe* ſpecimen examinis V. L. *Hudſonianarum*; & mox excerpta e *Joh. Alberti Fabricii* Bibliotheca Græca de Flavio Joſepho, longe auctiora, quam edita fuerant. Sequuntur *Arnoldi Peraxyli Arlenii* ad *Diegum Hortadum de Mendoza*, apud ampliſſimum Senatum Venetum olim Legatum Cæſareum, in Joſephi Opera Præfatio, editioni Baſileenſi præfixa, aliarumque ſimul ſubſequentium editionum Præfationes, inter quas *Thomæ Ittigii* doctiſſima in Joſephum Prolegomena, omnium conſenſu digniſſima, quæ in hac nova editione locum invenirent. Appendix deinde ad Fl. Joſephi Opera, Autore Cl. *Fabricio*, qua continentur Ariſteas de LXX interpretibus; fragmentum ex Libro περὶ παντὸς, ſub Joſephi nomine quondam a *Davide Hæſchelio* editum, *Stephano le Moyne* interprete: tum præterea habetur excerptum de Joſepho ex *M. Andreæ Franckenbergeri*, in Academia Wittenbergenſi olim Profeſſoris, Inſtitutionibus Antiq. & Hiſtor. quod excipiunt *Caroli Daubuz* pro Teſtimonio Joſephi de Jeſu Chriſto Libri duo, quorum poſteriori γνησιότητα teſtimonii hujus probare & ab aliorum objectionibus vindicare conatus eſt Autor ejus Cl. Verſantur hi Libri circa nobile argumen- Tom. II. 51. 57. 72. 78. 99. 182. 189.

mentum, de quo gravis jam dudum agitata est inter doctores concertatio, aliis spurium, aliis ab ipso Josepho locum hunc scriptum esse, contendentibus. Multorum igitur commodis consuluit Cl. *Havercampus*, quod, quæ utrinque de hoc argumento ab eruditis prolata fuerunt, præter illos *Caroli Daubuz* Libros, simul in hoc opere exhibeat. Huc referendæ sunt *Reinesii*, *Snellii*, *Gronovii*, *Wagenseilii*, *Bœcleri*, aliorumque celebriorum in literis Virorum XXX de Testimonio Josephi Epistolæ Philologicæ & Historicæ, quæ seculo superiori Norimbergæ junctim quidem vulgatæ fuerant cura *Christophori Arnoldi*, sed eruditorum usui minus patebant. Ad sententiam eorum, qui hunc locum ipsius Josephi esse, affirmant, Noster accedit, memoratque peculiarem de hoc argumento scriptam a se Diatribam, ad fine n Tomi II adjiciendam, quo etiam in nota ad hunc locum Antiquitat. Jud. Libr. XVIII Cap. III, §. 3. brevitatis studio Lectorem remittit. Sed, ut verum fateamur, attente licet totum opus perlustrantibus nobis obviam ea facta non est, neque in Syllabo, primo Antiquitatum Libro præmisso, mentionem illius factam fuisse, deprehendimus. Inter addenda Tomi II porro occurrit *Petri Brinch*, Collegii Medicei apud Danos Inspectoris, Chronologiæ & Historiæ Fl. Josephi Examen, quo universa V. T. Chronologia a mundi creatione ad mortem usque Herodis M. qualis in scriptis Josephi impressis hodie extat, examinatur, simul ex ejusdem Antiquitatibus notantur & examinantur, quæ sacris V. T. scriptoribus parum consentanea, vel certe illis memorata non sunt. Esse enim nonnulla in Josepho, quæ Scriptoris astutiam prodant, eruditis jam pridem est observatum, imprimis *Blberto Alberthomæ*, Ecclesiæ Lugd. Bat. quondam Pastori, qui Josephum manibus diligenter versaverat, & ad frontem libri animadversiones nonnullas apprime huc facientes adscripserat; Operis Præfationi eas ordine suo inseruit Cl. *Editor* Selectiores cum sint & multa nonnisi Josephi lectione paratæ, potiores illarum & hic adduxisse, non pœnitebit, ut sciant, quid animadvertendum sibi sit, qui ad lectionem Josephi accedunt. *Josephus varia Historiæ Sacræ adtexuit, quorum sola fides penes Autorem est. Imprimis notandum est, Josephum solicite caviſſe, ne narrationes de rebus sacris*

p.235.

Tom. I. p.876.

290.

sacris minus placeant gentilibus. Hinc miracula a Deo olim edita, ad captum ethnicorum vulgo exponit. Eo spectat formula, sæpe ab Autore usurpata; sed de his, ut cuique licet, ita sentiat. Porro somnia, quæ Viris quibusdam sanctis divinitus contigerunt, interpretatur fere (ut videtur) ex regulis Oneiroriticis veterum. Divina oracula (quæ Romanum Imperium spectant) ita vulgo exponit, ne ingrata queant esse Romanis. Reliqua apud *Editorem* videnda in Præfatione. Ejusdem fere argumenti sunt *J. B. Ottii* in Josephum animadversiones, quæ omissa varia a scriptore continent, & Centuriam locorum N. T. cum Flavianis vel Phrasibus vel Historiis aliquid commune habentium; quibus additum est specimen Lexici Flaviani eodem Autore *Ottio*. Ottiana hæc sequitur Cl. Viri, *Christophori Cellarii*, contra *Johannem Harduinum* Dissertatio, qua Fl. Josephi de Herodibus Historia a *vindicias* suspicione justis vindiciis asseritur & nummis antiquis conciliatur; quam tandem excipit *Christiani Noldii* Historia Idumæa, seu de Vita & Gestis Herodum Diatribe. Universum opus V Indices claudunt, I Autorum, quorum testimonio utitur Josephus. II Vocum Græcarum, quæ observatu digniores apud eundem occurrunt. III Geographicus, Regionum, Urbium & Locorum, multum ex schedis *Spanhemianis* suppletus & emendatus. IV Hominum rerumque memorabilium. V Autorum, qui in Notis illustrantur, notantur & emendantur. Tomo priori præmissa leguntur editionis *Hudsonianæ* Dedicatio & Præfatio; veterum testimonia de Josepho ejusque scriptis; Syllabus eorum, quæ in integro Opere continentur: ad hæc duæ Tabulæ æneæ *XLI Nummorum*, pro illustrandis variis Josephi locis: Nummi inter eos haud vulgares occurrunt & nonnulli, qui nunc primum ex Cl. *Editoris* Musæo, vel incogniti antea, vel integriores prodeunt, quibus brevem sed eruditam interpretationem addidit. Ceterum nullis pepercerunt Bibliopolæ sumtibus, quibus splendorem conciliari posse existimarunt Operi, quod sua se dignitate oppido commendat, quodque singulari plausu ab eruditis exceptum iri, cur dubitemus, causam habemus plane nullam.

p. 305.

319.

324.

332.

17.

JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT DIOECESIS Fuldensis, cui annexa sua Hierarchia &c. omnia ex monumentis authenticis historice dilucidata.

Francof. ad Mœn. apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1727, fol. Alph. 4 pl. 14 cum mappa Geogr. ut & Tabb. æn. 3 & figuris passim insertis.

PErgit bene mereri de Fuldensibus suis Celeberrimus *Schannatus*, & Corpori Traditionum, Clientelæque beneficiariæ, hanc Diœcesin cum Hierarchia sua succenturiat. Volumen tribus partibus constat, Diœcesi, Hierarchia, & probationum Codice, locupletissima & utilissima Operis parte, utpote quæ monumentis omnis ætatis centum nonaginta quinque superbit. Diœcesis Fuldensis capitibus explicatur duobus, quorum alterum de Diœ-
p. 1. cesis Fuldensis origine, incrementis, fatis ac denique statu etiam
37. moderno, alterum de Abbatum Fuldensium exemtione omnimoda, nec non Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum ac populum
Præfat. tractat. Diœceseos vocabulum novum videri poterat, cum non Abbatibus sed Episcopis Diœcesanum Jus competat: verum enimvero & Gregorius XIII ista voce usus est, dum Abbatis calamitatem & miserum *ejus diœcesis* statum Cæsari Rudolpho II exposuit, & novissime Reverendissimus Abbas Adolphus, obtinendarum anni Jubilæi 1725 gratiarum ac indulgentiarum causa, Benedicto XIII supplicans, his verbis usus est: *Beatissimo Padre, L'Abbate e Prencipe di Fulda* Nullius, Provinciæ Moguntinæ *defiderando, che il suo* populo e Diœcese *di Fulda venghi a partecipare delli Tesori di santa Chiesa* &c. Curia Romana tacente & consentiente. Hoc autem ita, invitis Præsulibus vicinis, obtinuit: Ipsi jam Sturmioni cum Lullo Archi-Episcopo Moguntino fuit dimicandum, de decimis cum Lulli successoribus variæ ortæ lites. Episcopi etiam Herbipolenses Jus suum diœcesanum in Fuldense territorium extendere præsumserunt; sed & illi dudum ab injuriis antiquis abstinuerunt, & cum his novissime, post varias Rotæ Romanæ pro Fuldensi sententias A. 1722, Carlstadii ad Mœnum per legatos transactum est. Ad hanc Diœcesin adeo pertinent, præter Basilicam, Præposituræ Regulares VIII, Parthenon I, Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ Collegiatæ tres, Parochialium autem Ecclesiarum in V Decanatus Rurales distributarum LX, cum filiabus XCIV. Multum autem debent Abbates cum Imperatorum benevolentiæ, tum Pontificum favori, quo factum, ut Abbas Fuldensis habeat Ecclesiam, nullius alterius Ecclesiæ Jurisdictioni subjectam, & præter mitram & baculum, aliaque Pontificalia ornamenta, jus primatus, sedem & suffragium decisivum in generalibus ac œcumenicis conciliis, facultatem convocandi Synodos, absolvendi subditos suos ab hæresi, ad Apostolicam sedem Episcoporum more appellandi, accipiendi Chrismæ a quocunque Antistite Catholico, illiusque opera utendi tum ad consecrandas Ecclesias, tum ad conferendos ordines sacros: nam ipse Fuldensis Abbas a solo Romano Pontifice ordinandus est, ejusque Diœcesis a nemine, præterquam ab hoc aut a Nuntiis Apostolicis ad id specialiter deputatis perlustratur. p. 37.

In Hierarchia Fuldensi primum Templum Fuldense primarium seu Basilica S. Salvatoris, post varia eaque gravissima incendia novo luxu constructa & A. 1712 perfecta, deinde sacrarium Fuldense describitur, repetitis iis, quæ de antiquissimis Bonifacii Codicibus in Vindemiis literariis dicta sunt. Succedunt Monasteria Virorum Ecclesiæ Fuldensi immediate ac pleno jure subjecta. Quibus proxima Monasteria Virginum, tum Ecclesiæ Collegiatæ; Religiosi Ordines in diœcesin Fuldensem liberaliter admissi, eosque inter principe loco Societatis Jesu Sodales, non tamen absque difficultate Fuldæ recepti, agmen claudunt. Addidit ubique Celeberrimus Autor Ecclesiarum Monasteriorumque fata, Abbatiarum, Præpositorumque Catalogos, & quæ ei memoratu digna visa, ea quidem diligentia, ut diligentissimi Broweri lapsus 135. & defectus subinde correxerit suppleveritque. Erunt & passim, 216. quæ in rem suam vertere poterunt Viri docti. Non injucunda nobis visa est memoria officii claustralis, Magistræ Fidelium, vulgo *Seelgerettherin*, quæ in Monasterio S. Mariæ in Blanckenau Ord. Cist. sterc. oblationes pro defunctis factas suscipere fuit solita. Alia privato cujuslibet studio relinquimus. Observavimus autem, in hoc scripto immitius nobiscum agere Autorem, & *nefandæ hæreseos*, *diræ hæreseos* passim mentionem fieri, quod eo magis mi- 44. 178.

ramur, tum, quod ad hæc in lucem edenda utatur opera Bibliopolarum Francofurtanorum, nefandorum, ſi diis placet, hæreticorum, tum quod Abbates ipſi Principes modeſtioribus noſtros homines compellare ſoleant nominibus, ut ex Abbatis Joachimi diplomate intelligere eſt. Hoc equidem monere voluimus, non tam noſtri cauſa, qui in Controverſiſtis hæc impotentis animi indicia ſuaviter ridere dudum ſumus edocti, quam ipſius doctiſſimi Schannati gratia, quem æqui moderatique Hiſtorici nomen, quo nobis laudatus eſt, in poſterum quoque tueri non dedecebit.

p. 204.

ACTA PHYSICO-MEDICA ACADEMIÆ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum, exhibentia Ephemerides ſive Obſervationes, Hiſtorias, & Experimenta a celeberrimis Germaniæ & exterarum Regionum Viris ſingulari ſtudio collecta.

Volumen I,

cum Appendice.

Norimbergæ, proſtat in officina W. M. Endteriana, & apud Julium Arnoldum Engelbrecht, 1727, 4.

Alph. 4 pl. 7, cum fig. æneis. tabulis 18.

ILluſtris Naturæ Curioſorum Academia, quæ ſuperioris ſeculi anno 52 fundata, quadringentos fere numerat Collegas, poſtquam Obſervationes, Hiſtorias, Experimenta & Inventa ſua Decuriis primum tribus, hinc Centuriis decem eum orbe literato communicavit, Acta nunc iſtit Phyſico-Medica, ut omnes atque ſinguli ejusdem Collegæ palam demonſtrent, ſe nunquam otioſos eſſe. Hoc certe Volumen, obſervationes 250 continens, multa exhibet, quæ Hiſtoriam Naturalem, Chymiam, Phyſiologiam, Anatomiam, Pathologiam, & Praxin egregie illuſtrare poſſunt. *Hiſtoriam Naturalem* quod concernit, obſ. 26 cœli ardentis phænomena in Haſſia obſervata, & obſ. 233 effectus radiorum ſolarium loco phoſphori ſcotophorum producentium recenſentur. In

ſpecie

pecie ex *Regno Vegetabili* obſ. 24 Cheiritis coralloidis albi Americani, 29 radicis Mexicanæ Contrayervæ novæ, 70 Hyſſopi Ratisbonenſis e maceria creſcentis, 101 Arboris Caffée Lipſiæ florentis, 219 fungi querni in inſula Mœna monſtroſi, 129 graminis abſciſſi, radice in loco natali relicta, filo in faſciculum collecti, in hypocauſto calido inverſo modo ſuſpenſi, omni aqua & terra deſtituti, media hyeme augmentum capientis, 135 Carlinæ in Haſſia inventæ, 175 roſæ triplicis, rex roſarum dictæ, & 219 regenerationis roſarum rubrarum ſpontaneæ in aceto roſarum, mentio fit. Ex *Regno Minerali* obſ. 115 Turſum Batavum, 118 Cryſtallus Islandica in Amethyſtum mutata, 156 Oſteocolla figurata Gieſſenſis commemoratur. Quemadmodum & 6 D. Johannes Friedericus Henckelius de thermis artificialibus, ſcoriarum dictis, uberius loquitur, tabulamque de aquis mineralibus factitiis Freybergenſium ſubnectit, ac 167 D. Antonius Vallisnerius fontem mirabilem in regno Neapolitano deſcribit, qui quibusdam horis diurnis penitus ſiccatur, & hinc absque ordine modo ſubito, modo tarde eadem aquæ abundantia, quam antea habebat, repletur. Ex *Regno Animali* obſ. 5 phocæ, 131 ardeæ ſtellaris, 157 & 210 veſpertilionis anatome ſuppeditatur, cujus & latibula majora in montium ſpeluncis 211 inveſtigantur. Præterea 21 calva ſerpentis Americani diadema, 22 penna anſerina duplici caule prædita, 73 manus in ſepulcro ultra ſeculum ab omni putredine conſervata, 117 naturæ luſus in ovis gallinaceis, 132 cuculus a rubecula enutritus, 185 pediculi ſeu pulices muſcarum & 218 hippolithus ſiſtuntur. In *Phyſiologicis* obſ. 31 menſes in vetula, 77 gemellæ, quarum nigra altera, altera alba fuit, commemorantur, 143 venenoſitas ſanguinis menſtrui probatur, 183 uterus in gravidis craſſior quam in non-gravidis aſſeritur, 184 communicatio ſanguinis matrem inter & fœtum ſtabilitur, 186 ſanguinis circulum veteribus cognitum fuiſſe, ex loco veteris Scholiaſtæ Euripidis & Plutarchi deducitur, & c. 212 de ſanguine & ſero lacteo diſſeritur. Ad *Anatomica* ſpectat, quando obſ. 82 de appendice præternaturali cœca inteſtini ilei, 90 de vetica urinaria per intermediam membranam in duas cavitates diviſa, 177 de glandulis

dulis labii ſuperioris, 178 de glandulis linguæ, & 179 de laryngis facie interiori & ventriculis ejus ſermo eſt. Suum etiam obſ. 178 D. Laurentius Heiſter interponit judicium de ductibus linguæ ſalivalibus a Vatero, Coſchwizio, & Walthero detectis, putatque, ductum a Vatero deſcriptum magnum illud eſſe linguæ foramen, quod ante 40 annos Collinus, Anatomicus Anglus, in ſua Anatomia ſub nomine foraminis cœci deſcripſit, creditque, glandulosum illud corpus, circa radicem linguæ ſitum, ſi adeſt, (nam in omni lingua non reperitur) liquidum aliquod per hoc orificium in os effundere. Coſchwizii ductus pro venis potius linguæ habet, quam pro canalibus ſalivalibus. Waltheri vero ductus a Verheyen & Morgagno jam indicatos eſſe docet. Obſ. 224 D. Joh. Heinricus Schulze modum, quo ductus thoracicus facile inveniri poſſit, communicat, dum inteſtinis tenuibus a nexu meſenterii liberatis & extra abdomen protractis, meſenterium, qua parte colo in dextro latere adhæret, levi prius facta inciſione digitis ſeparatur, & removetur, tum ductus chyliferus, qui in conſpectum ſe dat, cera rubra repletur, quæ ad ductum usque Pecquetianum penetrat. Ex *Chymicis* commemorandus venit obſ. 71 Pulvis Acherontis ab aere flammam concipiens, ſequenti modo parandus. Alumínis roch. unc. ij. farin. ſecal. unc. ſemis, ſulphur. citr. drachm. j. ſubtiliſſime pulveriſata miſcentur, & in ſartagine torrentur, agitando materiam continuo cum ſpatula, ne cohæreat. Calcinatione peracta maſſa ſubtiliſſime pulveriſatur, & hoc pulvere impletur phiola vitrea ad collum usque & igni arenæ ſubjicitur, maſſaque tamdiu calcinatur, donec ruffeſcat. Quo viſo orificium phiolæ clauditur, & poſt refrigerationem cera obturatur. Monetur ſimul, ſi ſolo alumine rupeo paretur pulvis, mox eum ſuas perdere vires, nova calcinatione reſtituendas. Deſcribitur etiam obſ. 72. Pulveris fuſorii compoſitio, quo nomine inſignitur ob virtutem, qua pollet, maxime fuſoriam. Monetam enim quamcunque interpoſitam argenteam & cupream in momento liquat in globulum, ad quam fuſionem nec candela nec carbone opus eſt pro accenſione, modo pulvis Acherontis ad manus ſit. Paratur hic ex nitri unciis ij, ſcob. min. & ſulph. citrin. ana unc. ſemis. Quodſi ergo ovi putamen ad medietatem

usque

Digitized by Google

usque pulvere fusorio repleatur, grossus superponatur, & eodem pulvere tegatur, supra hunc particula pulveris Acherontis charta bibula involuta ponatur, hac ab aere accensa pulvis fusorius mox flammam concipiet & moneta una cum ovi putamine liquabitur igne fortissimo. Denique obs. 210 spiritum vini tartarisatum haud aptum esse pro extrahenda ex antimonio tinctura demonstratur. Plures prostant observationes, quæ *Pathologiam* respiciunt. Sic describuntur obs. 1 febris epidemica Lipsiensis A. 1720 grassata, 3 gravida tonitru perculsa, fœtu mortuo & rigente; obs. 4 cachexia incurabilis, 7 hydrophobia tardius enata, 12 falsa plethoræ conceptio, 13 polypus pendulus cum urina excretus, 14 labiorum coalitus ex variolis, 15 tumor cruris monstrosus, 16 tumor brachii œdematosus & scirrhosus, 17 fistula scroti a calculo vesicæ, 18 pedes melancholici ex cera putati, 23 calculi renum octaedri, 25 epilepsia hysterica cum amaurosi, 27 arthritis ex dysenteria, 30 enema per os rejectum, 32 febris surda, obs. 34 urina frigida in febre maligna, 35 lacrymæ sanguineæ ex metu & tristitia, 36 mania ex vulnere capitis, 37 ex levi percussione mors, 38 quartana in surditatem conversa, 39 pus ex parotide per urinam emissum, 41 ophthalmia contagiosa, 42 hæmoptoe anniversaria, 45 cephalalgia æquinoctialis, 55 tumor præcordialis internus, 63 sternutationes in tertiana continua lethales, 64 calculi in ventriculo reperti, 90 ex obesitate fœminæ septuagenariæ asthma lethale, 95 dolor capitis quartanus, 96 icterus a morsu felis, 107 lacerta aquatica per vomitum reddita, 108 scroti, penis & pedum scirrhi ex erysipelate contracti, 109 mictus cruentus per octiduum affligens, 110 ulcus cancrosum in faucibus, 111 ex polypo cordis dependens plenaria cachexia, 112 aphonia sex hebdomadum post variolas, 120 excrescentia carnosa in dorso infantis circa vertebras lumbares enata, 124 pseudoischuria periodica, obs. 136 mictus & vomitus magici, 137, 193 & 197 fascina, 141 mors repentina ex subitanea profusione sanguinis in cavum thoracis, 149 dolor lumbaris cum motu femoris abolito ex abscessu interno & carie vertebrarum, 150 ulcus in dorso magnum ad pleuram penetrans cum carie

coſtarum, obſ. 151 aſthma grave cum hernia umbilicali, 154 veſicula fellis inſolitæ magnitudinis, 162 tuſſis Epidemica Auguſtana puerilis, 163 difficultas mejendi ex proſtatis tumefactis, 164 mors ex iſchuria ob tumorem proſtatarum glanduliformem, 166 partus veſicularis, obſ. 170 dubia hydropis pectoris & pericardii diagnoſis, 172 lumbrici in cavo abdominis reperti propter perforata inteſtina, 176 ruptura uteri in partu difficili, 181 calculus in veſicula fellea juglandis magnitudine, obſ. 189 nævi materni hæreditarii, 195 maſſa polypoſa per alvum rejecta, 196 maſſa carnoſa inſtar venæ cujusdam per tuſſim excreta, 201 ex renis exulceratione & tumore urethræ adnato hectica & iſchuria, 202 ambuſtio pedis chartæ luſoriæ ſolio ſebo illito facta, 203 hæmorrhoides conſolidato gingivarum ulcere priſtina relegentes veſtigia, 205 ſcabies manuum primo menſium eruptorum conatu, ſingulis denuo menſibus contingens, 207 vaſorum umbilicalium ruptura in partu, obſ. 209 ureteres utrique a calculis obturati, 213 hydrops pulmonum, obſ. 215 transformatio febrium una ſerie facta, 217 hæmorrhoides menſtruæ in puero decenni, 220 polypus ἄπεδος circa diviſionem venæ cavæ in ramos iliacos, œdematis pedum & exulcerationis cum copioſo lymphæ effluxu, cauſa, 227 urinæ ſtillicidium perpetuum poſt partum difficilem, non ex urethra, quæ clauſa erat, ſed foramine colli veſicæ, 229 aneurisma verminoſum in arteria meſocolica equæ, 230 equiſetum abortuum in integro grege crebriorum cauſa, 235 pædarthrocace pro luxatione falſo habita, 247 urina chyloſa ex ventriculi debilitate, 248 motuum ſeroſorum multiplices valde & proteiformes ſucceſſus alternationesque a prima infantia ad 50 usque annum, 250 ſyncope convulſiva pro ecſtaſi habita. Spectat & huc, quando 223 ſurditatis cauſam in ove invenit D. Joh. Henr. Schulzius membranam tympani utraque ſui ſuperficie verrucis quaſi, capitula acicularum minimarum æquantibus, & manifeſte vaſorum quorundam implicationes & conglomerationes præ ſe ferentibus, obſeſſam. Præterea *Curationes felices* delineantur obſ. 2 anaſarcæ poſt convulſiones, 8 leproſi, obſ. 33 hydropici per abſtinentiam a potu, 43 vertiginis per tubarum ſoni-

ſonitum, obſ. 52 noxarum a radicum cicutæ eſu variis inductarum, melancholiæ puta, ſomni profundi, abdominis cruciatuum, maniæ &c. per emeticum, 56 hydropis, 60 mictus cruenti, obſ. 61 & 62 aſthmatis, 65 ophthalmiæ per urinæ fotum, 66 colicæ per nivem, 67 cœcitatis ex impetigine, 89 hemicraniæ vehementis & inveteratæ per corticem Peruvianum, 91 affectus hyſterici per urinæ potum, 100 cachexiæ ad aſciten tendentis, 202 maniæ per gelidum balneum, 103 menſium fluxus nimii per lintea frigida & aceto imbuta, 104 capitis doloris contumaciſſimi per veſicatoria, 125 rupturæ internorum, paſſionem Colico-Iliacam mentientis, per arnicam, 139 ex colica hypochondriaca tumoris inflammatorii inguinis ſiniſtri cum inteſtinis incarceratis in abſceſſum abeuntis cum ſeptem lumbricorum exitu, 140 paralyſeos palpebræ ſuperioris poſt morbillos, 141 diabetis ſpuriæ in variolis & morbillis, 143 vomitus, tumoris abdominis & furoris ex ſanguine menſtruo philtri loco propinato, 159 amauroſis, 161 doloris acerbiſſimi maxillæ ſiniſtræ partes occupantis & per paraxyſmos recurrentis, 192 phthiſis per acidulas, & 244 inflationis tympaniticæ pertinacis per venæ ſectionem. Nec minus legi merentur, quæ hinc inde in *Praxi Medica* fuerunt obſervata, dum obſ. 10 methodus Timæana febrem quartanam per purgantia, quinque vel ſex horis ante paroxyſmum propinanda, curandi confirmatur, 11 empirica hæmorrhoidum per emetica curatio deſcribitur, 50 & 51 arthritis a lumbricis terreſtribus impoſitis inſolentior, a catello ſuccumbente remiſſior facta, 101 ex tertiana continua cortice Peruviano expugnata magna & pertinax nervorum diſtenſio obſervata, 123 pſychroluſia variolis funeſta, 130 felis a frigore hyemali congelata ſub fimeto vitam recuperans, 168 uteri inflammatio cum aucta febre, inteſtinorum lævitate, & lochiorum ſuppreſſione per diarrhœas ſoluta, 190 venæſectio, purgatio, acidularum internus & externus uſus in gravida ſalutaris, 214 deformitatis in variolis præcautio dubia, obſ. 216 ſcirrhus uteri ſtupenda & fœtida uteri hæmorrhagia ſolutus, 238 melancholia hypochondriaca paralyſi judicata perhibetur, 75 de inſitione variolarum Londini inſtituta diſſeritur, 175 ne

gravidæ mortuæ terræ mandentur, donec fœtus exſciſſus fuerit, monetur, & obſ. 249 variolarum malignarum Francofurti ad Mœnum 1723 graſſantium deſcriptio & curatio ſubjungitur. Phœnomena etiam deſcribuntur in *ſectionibus* obſ. 49 tympanitici, 53 rhachit ci cum alba oſſium carie, 59 hecti.ci, 76 nephritici, 78 hydrope thoracis, 86 abſceſſu ſpinæ dorſi a caſu ab alto, 87 abſceſſu meſenterii denatorum, 98 hydropici, 160 hydrope ſaccato, 171 amauroſi, 173 phthiſi ex hæmoptyſi, 174 empyemate laborantium, & 226 puellæ cum hernia umbilicali natæ obſervata. *Virtutes* porro *medicinales*, obſ. 40 olei olivarum anodyna, 44 caffæ potus in diarrhœa ſalutaris, 48 lupinæ carnis antepilept.ca, 57 Chenopodii folio triangulari Tournefortii, vulgo boni Heinrici, hydragoga & traumatica in ſcabie, 61 decocti rapatum ad reſpirationem difficilem, 69 ſaponis in dyſtocia, 97 lactis caffeati, 126 eſſentiæ dulcis Halenſium in epilepſia infantum meſenterica periodica, 127 lactis in podagra, 128 corticis Peruviani adſtringens, 133 ſeminis petroſelini antiphthiriatica, 134 narciſſo-levcoji radicis emetica, 191 decocti viſci querni in arthritide, cachexia, colica, & acrimonia bilioſa, ſyſtema nervoſum roborans, 194 corticum ulmi in hydrope, 222 æthiopis mineralis in glandularum colli, maxillarum, parotidumque tumore inveterato & fiſtula pone aurem, admodum deprædicantur. Ex Compoſitis obſ. 58 in dyſenteria epidemice 1719 Gieſſæ graſſante Pilulæ probatæ fuerunt Philippo Eberh. Dillenio, quæ Rec. rhab. el. unc. j. extr. aloes, drachm. iij, theriacal. angel. ana drachm. ij ſem. tinct. alexiph. Stahl. q. ſ. F. l. a. Pilulæ, grani ponderis, conſpergendæ cum antim. diaph. D. omni veſperi 25, præmiſſo ex infuſo rad. ipecacuanhæ vomitorio, & 153 ſequens unguentum ophthalmicum a D. Joh. Georg. Brebiſio commendatur: Rec. butyri caprini recentis libr. iij. herbæ loti odorati florentis, minutiſſime conciſæ Manip. IV, rutæ hortenſis conciſæ, Manip. j ſemis, frixentur in ſartagine ferrea lento ignis gradu, donec omnis humiditas conſumpta fuerit, cujus ſignum eſt, quod non amplius ſtridet, quo facto transcolentur per pannum lineum. Porro ad *Chirurgica* refertur obſ. 17 calculus veſicæ ex pueri ſcroto exulcerato protractus,

Digitized by Google

Digitized by Google

Fig. 1





Fig. 4.



Fig. 5.

Fig. 2.



Fig. 3.





Fig. 6.

ctus, 28 tumor magnus ingens osseoque folliculo incluſus, feliciter ablatus, 55 phlegmone brachii scarificatione curata, 80 uteri prolapſi resectio non lethalis, 158 vulnus abdomen utrinque penetrans sanatum, 165 polyporum narium rara species curata, 182 digitus enormiter cancrosus seu carioſus resectus, & 208 percuſſio bregmatis cum sanguine extravaſato trepanatione curata. Ad *Medicinam forenſem* denique spectat obſ. 188, in qua incertum infanticidii signum ex pulmonis fœtus innatatione vel submerſione declaratur. Sed nec poſſumus cum L. B. aliquot figuras non communicare ex D. Laur. Heiſteri relationibus deſumptas, qui obſ. 177 glandulas labri ſuperioris a nullo hactenus Anatomicorum exhibitas, 178 linguam humanam, & præſertim ejus glandulas in ſuperficie poſitas, & o. 179 interiorem laryngis faciem, imprimis ejus ventriculos depictos dat.

EXPLICATIO FIGURARUM TAB. V.

TAB. V.

Fig. 1. Siſtit maxillam ſuperiorem. Fig. 1.

A A Palatum.

B B Dentes maxillæ ſuperioris.

C C C Labii ſuperioris facies interna, ubi membrana oris ablata glandulæ figuræ & magnitudinis variæ conſpiciuntur.

D D Labii hujus partes poſteriores, ſeu potius pars genarum membrana oris adhuc tecta, ubi tales glandulæ non amplius reperiuntur, & hinc male a quibusdam oris membranæ adſcribuntur, quæ vix in genis demonſtrari poterunt.

Fig. 2. Linguam humanam & præſertim glandulas in ſuperficie ejus poſitas, prout ſe in ſubjectis, quæ vel laqueo ſuffocata fuerunt, vel aliqua faucium inflammatione laborarunt, offerunt, delineat. Fig. 2.

A Foramen, Collino cœcum dictum.

A B C D Glandulæ in hoc ſpatio conſpicuæ.

D Ligamentum anterius epiglottidis, cujus ope linguæ jungitur.

E Epiglottis, quomodo linguæ cohæreat.

F Ligamentum epiglottidis laterale.

Digitized by Google

G G Os hyoides seu linguale.
H H Papillæ linguales.

TAB. V. Fig. 3. Interiorem laryngis faciem, & imprimis ejus ventriculos repræsentat.

A A Cartilago scutiformis.
B B Cartilago cricoides.
C Cartilago epiglottis a facie posteriori.
D Aritænoides cartilagines cum incumbentibus glandulis aritænoideis Morgagni.
E E Ligamenta lateralia epiglottidis.
F F Sinus sive ventriculi laryngis, aut potius eorum orificia.

Circa E E & F F itemque in epiglottide parva conspiciuntur foraminula, quæ excretorii sunt ductuli glandularum subjectarum, quibus liquidum pro laryngis humectatione excernitur.

De cetero in Appendice hujus Voluminis leguntur: I Canellæ sive cinamomi cujuscunque generis, arborumque hoc cortice obductarum Historia curate scripta a Procuratore id genus mercium primario, operisque ad hujus aromatis selectionem conductis Præfecto, ex Germanico sermone Latine reddita. II Historia Epidemica Hungariæ, conscripta ab Andrea Löw, Nobil. Sempron. Hung. Phil. & Med. Doctore & Physico Semproniensi, nunc vero communicata a filio, Carolo Friederico Löw, Regiæ Legationis Suecicæ Medico ordinario. III Biga Disquisitionum Physiologicarum de humanitate, seu, cur homo sit? qualisque humanæ naturæ sit destinatio & indoles in genere, Autore Johanne Kanoldo, M. D. IV L. Immanuelis Henrici Garmanni Epistola ad illustrem Præsidem Academiæ Naturæ Curiosorum, qua pro Receptione gratias agit. V M. Johannis Ernesti Grundleri Medicus Malabaricus, seu brevis Relatio de statu artis Medicæ inter gentes Malabaricas. VI D. Michaelis Schendi R. C. Equ. van der Beck Epistola de quibusdam rarioribus Indiæ utriusque Exoticis, imprimis de Terra Sinica Bezoardica Tanzuè dicta. VII Ejusdem Status Russiæ literatæ. VIII D. Gottlob Schoberi Dissertatio de Mumia Persica. IX Memoria D. Georg. Christoph. Petri ab Hartensels & X D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

F. E. BRUCK-

Digitized by Google

F. E. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. Cæsar. Leopold. Carol. Nat. Curios. Collegæ & Practici Brunsuicensis, Historia Naturalis Curiosa Lapidis τῦ ἀσβέςε.

Brunsuigæ 1727, 4.

Plag. 6.

IN lapidum Historiis Naturalibus consignandis admodum studiosum esse Clariss. Bruckmannum, de Oolitho, Arachneolitho, Lapide violaceo & nummali hactenus edita ejus specimina abunde testantur. Postquam igitur ante hos tres annos fodinam Amianthi in Hungaria investigandi copiam nactus est, hunc lapidem, si quem alium, solidiori contemplatione dignum agnoscens, præsentem ejus Historiam Naturalem Curiosam pertexere & cum orbe erudito communicare constituit. Exposita itaque Etymologia, Synonymia & Homonymia Amianthi seu Asbesti, definitionem ejus format sequentem: Est lapis mineralis opacus, non adeo durus, albo-gryseus, nitens, fibrosus, e fibris rectis, plus minus longioribus, argenti instar splendentibus, constans, omni ignis flammæ resistens, nec a menstruis resolubilis, flagrans, & materiam, ligno vegetabili analogam, præbens pro ellychniis, panno lineo, & charta; quæ res ex lapide parantur, de ejus in combustibilitate participant, & igni haud secus ac lapis ipse fortiter & sine noxa resistunt. Addita paraphrasi hujus definitionis, explosaque de Salamandræ pilis fabula, ex quibus Amianthus oriri creditur, in patriam ejus inquirit, & differentiam a talco exponit. Proprietates hinc lapidis explicat, dum ignis vehementiæ resistit, materiam præbet chartæ conficiendæ aptam, & instar lini in fila subtilissima duci se patitur; qua occasione modum chartam incombustibilem ex charta sic dicta grysea bibula parandi docet. Quanquam autem ex lapide hoc ellychnia, quæ affuso oleo lucem de se fundunt splendidam, parentur, talia tamen ad lucernas veterum sepulchrales adhibita fuisse negat, eum Asbestus sine pabulo oleoso non ardeat, sed eo deficiente extinguatur, & in loco clauso circulationi aeris liberæ non exposito flammam haud retineat, sed mox suffocetur; existi-

existimat potius, multos deceptos fuisse a flamma quadam ex sepulchris clausis & post longum demum annorum cursum apertis eructante, quam pro ardente lucernæ flamma habuerunt, præsertim quando simul lampada invenerunt, quam veteres Romani ex superstitiosa religione in honorem animæ immortalis sepulchris suorum indiderunt. Usum in Medicina Amiantho nullum adscribit, qui ei ab autoribus tribuitur, de alumine plumoso potius interpretandum ratus, operam etiam illos atque oleum perdere, qui oleum incombustibile ex eo destillare allaborant, perhibet.

LEONHARDI EULERI, A. L. M. METHODUS inveniendi Trajectorias reciprocas Algebraicas.

QUum temporis spatium, quod Anonymo illi Anglo ad aperiendam, quam invenire potuerit, trajectoriam algebraicam illam tertii ordinis sequentem, concesseram, elapsum sit, meam hujus quæstionis solutionem, una cum aliis insuper ad algebraicas trajectorias reciprocas pertinentibus inventis cum publico communicare constitui. Cum primum istud problema examinare atque de solutione ejus meditari animum subiit, præcipue eam, quam commendavit Celeb. D. Joh. Bernoullius, Præceptor meus hisce in rebus atque Patronus summe colendus, selegi viam per rectificationes curvarum; & strenuam, quantam potui, navavi operam in indagatione ejusmodi curvarum algebraicarum, quæ rectificari possent, ut exinde æquationes algebraicas pro trajectoriis reciprocis eruerem. Hoc in negotio occupatus, in istam incidi æquationem, $yy + \frac{2}{3}aa = a\sqrt[3]{axx}$, quæ est ad curvam, diametro & vertice in diametrum normali gaudentem, ac insuper rectificabilem. Ut itaque ex ista æquatio algebraica pro trajectoria reciproca inveniri possit, sit (Fig. 4) MBM ista curva, ABP diameter & A initium abscissarum, ut scilicet AB sit, $a\sqrt[3]{\frac{aa}{2}}$, atque est AP = x. PM = y. Sit curva BM = S. & ex M ducatur diametro parallela MQ, occurrens lineæ AQ normali in diametrum in Q, assumaturque in ea MN = BM erit N in trajectoria quæsita. Sit AQ = t = y, & QN = z = x − s.

TAB. V. Fig. 4.

Est

Est autem per æquationem $x=\frac{(yy+\frac{2}{3}aa)^{\frac{3}{2}}}{aa}$ ideoque $dx=\frac{3ydy\sqrt{yy+\frac{2}{3}aa}}{aa}$, ergo $ds^2=dx^2+dy^2=\frac{9y^4dy^2+6aa}{a^4}\frac{yydy^2+a^4dy^2}{yydy^2+a^4dy^2}$, ergo $ds=\frac{3yydy+aady}{aa}$, consequenter $s=\frac{y^3}{aa}+y$ posito loco y, t, invenietur substituendo in ista æquatione $z=x-s$, pro x & s valores inventos, habebitur $z=\frac{(tt+\frac{2}{3}aa)^{\frac{3}{2}}}{aa}-t-\frac{t^3}{aa}$. Ergo $aaz+aat+t^3=(tt+\frac{2}{3}aa)^{\frac{3}{2}}$ & reducendo ad rationalitatem reperietur ista æquatio pro trajectoria reciproca, $a^4zz+2a^4tz+2aat^3z=\frac{1}{3}a^4tt+\frac{8}{81}a^6$; quæ dividendo per aa reducitur ad hanc $aazz+2aatz+2t^3z=\frac{1}{3}aatt+\frac{8}{243}a^4$, seu ponendo $aa=\frac{3}{2}bb$, ad hanc, $12t^3z+18bbtz+9bbzz-3bbtt-4b^4=0$). Quæ est æquatio ad quarti ordinis curvam. Ad istam ergo æquationem perventum est ope rectificationis curvæ, quæ solutio proinde soli fortunæ esset adscribenda, nisi comperta mihi fuisset peculiaris methodus inveniendi curvas algebraicas rectificabiles, unde & æquatio illa, quam ad constructionem istius trajectoriæ reciprocæ selegeram, promanavit.

Postmodum vero problema istud inveniendarum trajectoriarum algebraicarum reciprocarum, ex immediata earum natura discutiens, in istam incidi æquationem, (Fig. 5) appellando AQ, x; QN, y. $dy=dx(x+\sqrt{xx+1})$ denotante, n, numero quocunque. Quæ æquatio, ut facile patet, est ad trajectoriam reciprocam, ponendo enim in expressione ipsius dy. pro x, $-x$. invenietur $dy=-dx(-x+\sqrt{xx+1})^n$. quæ duæ æquationes respective invicem ductæ dant $dy^2=-dx^2$, id quod est de essentia trajectoriarum reciprocarum. Est autem ista æquatio $dy=dx(x+\sqrt{xx+1})^n$ generaliter integrabilis, exceptis duobus casibus, ubi n est vel 1 vel -1, quibus in casibus integratio dependet a logarithmis. Antequam vero integretur ista æqua- TAB. V. Fig. 5.

tio, monendum est, sive, n, sit affirmativum sive negativum, æquationem ad eandem esse curvam, una quippe obtinet, cum abscissæ A Q eis axem convenientes A B sumuntur, altera cum illæ trans A B accipiuntur. Conveniens scilicet deprehenditur hæc æquatio, $dy = dx(x + \sqrt{xx+1})^n - (x + \sqrt{xx+1})^{-n}$. Ideo vero istud præmoneo, ne quis subsistiendo pro, n, valores negativos, se problematis solutionem ulterius promovisse existimet. Integretur jam æquatio ista $dy = dx(x + \sqrt{xx+1})^n$ id quod facile fieri poterit ponendo $x + \sqrt{xx+1} = t$ ut habeatur $x = \frac{tt-1}{2t}$ & $dx = \frac{dt}{2} + \frac{dt}{2tt}$ ut adeo esset $2dy = t^n dt + t^{n-2} dt$. Quocirca erit $2y = \frac{1}{n+1} t^{n+1} + \frac{1}{n-1} t^{n-1} = \frac{1}{n+1}(x + \sqrt{xx+1})^{n+1} + \frac{1}{n-1}(x + \sqrt{xx+1})^{n-1}$.

Quæ æquatio generalis pro trajectoriis reciprocis ad casus speciales applicata suppeditat ex quolibet curvarum ordine, exceptis secundo & tertio, ad minimum unam trajectoriam reciprocam. Si enim pro n ponatur, Q. reperietur hæc quarti ordinis æquatio, conveniens cum jam inventa $12yx^3 + 18xy - 9yy + 3xx + 4 = 0$. Si substituatur loco n, 3, reperietur ista quinti ordinis trajectoria reciproca, $128yx^4 + 192yxx + 48y - 64yy - 8xx - 9 = 0$. Sit $n = 4$, reperietur ista sexti ordinis $720yx^5 + 1200yx^3 + 450yx - 225yy + 15xx + 16 = 0$. Si $n = 5$, reperietur æquatio septimi ordinis, & in genere quicunque numerus loco n substituatur, curva inde generata erit ordinis $n+2$, si n sit numerus integer, sin vero sit fractus, $n+2$, reducitur ad fractionem in minimis terminis, & indicabit numerator fractionis ordinem curvæ inde natæ. Ex. gr. sit $n = \frac{1}{2}$ invenietur ista ordinis 5, cum sit $\frac{1}{2} + 2 = \frac{5}{2}$. $72yyx^3 - 81y^4 + 144x^4 - 216yyx - 96xx + 16 = 0$. Hinc itaque colligi potest, quot, beneficio istius æquationis generalis, ex quovis ordine trajectoriæ reciprocæ inveniri queant. Scilicet ex 4 unam, ex 5 duas, ex sexto unam, ex 7 tres, ex 8 duas, &c. Superest mihi præterea

alia

alia methodus inveniendi trajectorias reciprocas algebraicas, ex qua quidem difficilius æquationes pro illis eruuntur, verum hoc ea se commendare potest, quod sit universalis, & omnes, quotquot existunt, curvas satisfacientes algebraicas suppeditare queat. Est illa quidem affinis methodo per rectificationes, a Celeb. D. Joh. Bernoullio detectæ, & non difficulter exinde elicitur. Dependet scilicet ea ab inventione curvarum diametro & cuspide in vertice gaudentibus; quas curvas possibiles omnes cujusvis ordinis cum invenire in promtu sit, omnes trajectoriæ reciprocæ algebraicæ possibiles inde elicientur. Cum enim omnes trajectoriæ algebraicæ inveniri queant, ex curvis rectificabilibus diametro & vertice in diametrum perpendiculari prædictis, ejusmodi vero curvæ omnes sint evolutæ totidem curvarum algebraicarum cuspidatarum & diametro instructarum, hinc quoque trajectoriæ reciprocæ reperientur, hoc nempe modo. (Fig. 6) Sit C A M curva ejusmodi cuspidata, A B ejus diameter, ducatur A Q eidem normalis, & sumtæ pro lubitu abscissæ A P ducatur respondens applicata P M, ducatur radius M S circuli osculantis curvam in M, erit punctum S in evoluta A S, eritque M S = curvæ A S. Si itaque radius M S circa centrum S moveatur in S N ita ut fiat diametro A B parallelus, erit punctum N in trajectoria reciproca, cujus axis conversionis erit linea A B. Sequenti vero modo æquatio pro ea reperietur, data æquatione ad curvam A M. Dicantur A P, x. P M, y. A Q, t, & Q N, z. Sit brevitatis gratia $ds = \sqrt{dx^2 + dy^2}$, invenietur instituto calculo, posito elemento dy. constante, quod sit $AQ, t = x + \frac{ds^2}{ddx}$ & Q N, $z = y + \frac{ds^2 \cdot \overline{ds - dx}}{dy\,ddx}$ unde data relatione y ad x, reperiri poterit æquatio inter t & z, seu coordinatas trajectoriæ reciprocæ.

TAB. V. Fig. 6.

Sunt autem æquationes ad curvas ejusmodi cuspidatas ex quovis ordine sequentes. I. Ex ordine tertio, $\overline{a + by.}\ xx = y^3 + cy^2$. II Ex ordine quarto, $ax^4 + b + cy + eyy.\ xx = y^4 + fy^3 + gy^2$. Sunt scilicet in æquationibus generalissimis ad cujusvis ordinis curvas omittendi sequentes termini. Primo illi termini

in quibus continentur potentiæ ipsius x imparium exponentium. Secundo terminus in quo meræ constantes, & tertio terminus in quo y unius tantum est dimensionis. Cum autem ex istis æquationibus difficulter ad æquationes pro trajectoriis reciprocis perveniatur, etiamsi eæ admodum faciles atque simplices reperiantur, operæ pretium esset, si quis ad ulteriorem rei analyticæ promotionem, perpendat, quomodo minori negotio æquationes pro trajectoriis reciprocis, determinatis t & z in x & y, dataque insuper relatione inter x & z, erui possent, quomodo exterminata alterutra x vel y, altera quoque exterminanda sit, atque æquatio, quam nonnisi t & z una cum constantibus ingrediantur, inde elici possit.

JO. HENR. A SEELEN, SS. THEOL. LIC. ET Gymn. Lub. Rect. Selecta Litteraria, quibus varia Sacra, Civilia, Philologica, Philosophica ac alia continentur, libri MSS. rarissimique accurate recensentur, & præ reliquis notabilia ex iisdem suppeditantur. Editio secunda, novorum speciminum Pentade multisque accessionibus aliis aucta.

Lubecæ, sumpt. Petr. Bœckmann, 1726, 8.
Alph. 2 pl. 8.

CL. Autor, apum ad instar, quotidiana diligentia ex rarioribus monumentis, quasi ex optimis floribus, loculos suos complere annisus, in communes quoque usus, quæ prodesse judicat, liberalissime effert. Selecta hæc maximam partem sunt Programmata in Gymnasii Lub. solennioribus actibus edita, totusque horum numerus XXV observationibus continetur. Alteri huic editioni se multa inseruisse, in nova Præfatione fatetur, quam altera, quam priori editioni præmiserat, excipit, de moderato rei litterariæ studio. Primum locum in Selectis his concessit pleniori notitiæ Bibliothecæ Hispanicæ *Nicolai Antonii*, Equitis S. Jacobi Regiique Consiliarii, cujus vitam & scripta recenset, & eundem 1617 natum & 1684, contracto multo ære alieno, denatum esse, commemorat. Inter scripta ejus eminet, quam Seelenius hic recenset, Bibliotheca illa, quam in veterem & novam distinxit, qua-

p. 4.

quarum hæc quidem Autore adhuc superstite, illa vero demum 1696, Autore jam fatis functo, lucem adspexit. De hac quidem nos quoque diximus in Actis, nec est, ut repetamus cum Nostro specimina e Bibliotheca Nova depromta, laudes nempe immodicas Ximenii Cardinalis & Ariæ Montani vitam & scripta, quæ recenset, ut alia taceamus. Sequitur *II* recensio rarissimorum librorum *Mich. Serveti* de Trinitate. Præmissis variis testimoniis de raritate libri hujus, de vita & fato Serveti Noster varios affert Autores, annumque supplicii 1553 non 1555 fuisse, docet, & de ipso ut blasphemo, non ut hæretico, mortis pœnam esse sumtam, judicat. In libro de Trinitatis erroribus, 1531 edito, Servetus contra Trinitatem, duas item naturas in Christo, aliaque sanctæ fidei dogmata insurgit, imo Cl. Autor autumat, ipsum Servetum *fol. 86* jam præluisse Christophoro Sandio, quod Spiritus S. sit chorus angelorum; quod tamen non adeo liquidum arbitramur. Recenset & eadem quasi opera Serveti Dialogos de Trinitate 1531 editas, in quibus Servetus eadem, quæ in præcedenti libro, propugnat. An liber *Thesaurus animæ Christianæ*, Serveti nomen præferens, & a Mennonistis magno in pretio habitus, hujus vel alterius cujusdam Serveti fœtus sit, in dubio relinquit Noster, alterius etiam rarissimi Servetiani libri, *Christianismi restitutio* dicti, mentionem faciens. *III* de *Hermanni Korneri*, M. Theol. & Lubec. Sec. XV in cœnobio Dominican. lectoris, Chronico MS. differit, in quo historia Biblica, Romana & recentior exponitur. Inter alia libere Kornerus fatetur, Johannem VIII Papam fœminam fuisse, & H. de Hervordia id ideo silentio præteriisse, *ne forte seculares literas scientes scandalizentur*. Hic vero Noster cum eruditis communicat specimen variantium lectionum hujus MS. quas cum editione Cel. Eckardi contulit. Sic *IV* e *Mss. Detmari Chron. Lubecensi* excerpta sistit: qui Detmarus quidem non satis indicavit, quis fuerit, cum Cl. Mellio tamen Noster conjicit, eum Lectorem ad D. Catharinam fuisse, & circa A. 1387 hoc Chronicon conscripsisse. Cl. Seelenius hac occasione varias variorum de nomine *Lubecæ* conjecturas promit: & deinde, præmissis nonnullis generalioribus, varia Ecclesiastica ex illo MS. recenset. Inter alia de secta *Pastorum* 1251 Lubecæ clero Pa-

p. 34. sqq. 52. 57. 64. 66. sqq. 70. 77. sqq. 88. sq. 99. sq. 134. sqq. 142. 135. sq. 149. sq.

pæo ſe opponentium, & de Flagellantibus nonnulla hic exponit. Ex hiſtoria quoque Literaria de Richardo de S. Victore, Bernhardo, Lombardo, Joachimo Abbate Calabriæ, it. Academiis, Erfurtenſi & Gryphica, quædam refert. In quibus memoratu dignum
P. 157. eſt, quod Joachimus ille aſſeruerit, tempus durationis mundi reſpondere literis Alphabeti, ut quælibet litera centum comprehendat annos: ex qua hypotheſi cum Joachimus aſſeruerit, Chriſtum ſub Heſſe natum, Autor MS. colligit, ſe vivere ſub X; vi-
160 ſqq. xit autem Detmarus Sec. XIV, ut terminus mundi, a Joachimo conſtitutus, jam præterierit. *V* de rariſſimo Codice Bibliorum Luther-
184 ſqq. ri, dialecto Saxon. inferior. 1533 impreſſo, agit. Ex his Bibliis multa producit loca, ubi vel Germanicæ voces clarius, vel preſſius Ebræus textus exprimitur, quam in noſtris, e. gr. *Lev. XVI, 29,* תענו את־נפשתיכם ſchöle gy juwe Seelen demodigẽ, i. e. *animas veſtras humiliabitis. Coh. V, 5,* ſecundum fontes: ne permittas ori tuo, (dat du dyn Fleſch ſündigen lateſt) *ut carnem*
201 ſqq. *tuam peccare faciat.* Contra loca non pauca, in quibus Saxonicus interpres, male Lutherum deſerens, erraverit, ſubnectuntur. Inter ſingularia hujus editionis refertur, quod *Jer. XII, 6. XV, 10,*
202 ſq. vox *Tyodute* occurrit, unde Noſter occaſionem arripit, de *Jodut*, qua voce Saxones in inquiſitionibus criminalibus utuntur,
204 ſq. differendi. Dictum *Job. V, 7* in hac quoque editione deſiderari,
211 ſqq. notatur, & de ſimilibus codicibus diſſeritur. *VI* de rariſſimo Codice Bibliorum gloſſatorum, lingua Sax. Lub. 1494 fol. edito, diſſeritur, & hac occaſione de Lyræ Judaiſmo, aliisque varia adducuntur judicia. Profert etiam Vir Cl. farraginem dictorum, in quibus verſio hæc Lutheri verſionem colluſtrare queat; e. gr. *Gen. XXX, 14,* Dudaim vertuntur Alrunen, *Ruth II, 1,* איש גבור חיל ein weldig Mann van groten Rieckdagen, i. e. *vir divitiis potens*, &c. E ſingularibus autem gloſſis affert illam ad *Gen. III, 16,* qua ſubjectio uxoris exponitur, dy vackene to pynegҽnde und to ſlande, i.
241 ſq. e. *ut ſæpe te excruciet & verberet;* id quod jam Sec. XII *Hugonem de S. Victore* ſere docuiſſe, Noſter notat. *VII Caroli M.* Homiliarium Spir. 1482 in f. excutiens, longe plurima de Caroli M. meritis in literas affert, quæ lectu ſunt jucundiſſima. *VIII Ad-*
310 ſqq. *rianum Turnebum* veritatis teſtibus accenſendum eſſe, ex teſta-

men-

Digitized by Google

mento ipſius probat, quod integrum exhibet, variaque ſimul de Grotii aliorumque religione obiter tangit. *IX MS. Chron. Ditkmarſicum Jo. Detleſi*, cui ſcribendo is 1634 initium fecit, recenſet Cl. Seelenius, multa hic Civilia, Eccleſiaſtica, & Litteraria enotans. *X Hippolyti Marraccii Bibliothecam Mariannam* curatius delineat, Autorumque, qui in B. Mariæ Virginis laudem quicquam ſcripſerunt, nomina & ſcripta huc ſpectantia ſedulo annotat. p. 354 ſqq.

XI Bibliorum lingua inſer. Sax. Halberſtadii 1522 vulgatorum notitiam exponit, cujus verſionis Autor, ſacris licet Romanis initiatus, ſæpe admodum Ebræum textum preſſit, e. gr. *Gen. XXIV, 53*, כלי זהב gülden Gereth̃e, *vas aureum*, vertitur, *Gen. XXXIV, 25*, בטוח trẽwelicken, fidenter, &c. Fatetur tamen Noſter, quod hæc editio cum ſuperius recenſita Lubecenſi valde conveniat, ut *Conringius* non male judicarit, Halberſtadienſem e Lubecenſi eſſe expreſſam. 398.

XII Ottonis Sperlingii Comm. MS. de antiquitate Stadæ recenſet, in quo ſunt varia memoratu digna, quamvis non neget Noſter, vera urbis initia adhuc ignorari. 427 ſqq.

XIII de adornanda Bibliotheca Chriſtiana, ſive notitia ſcriptorum de Chriſto, conſilium aperit, & Alphabethico ordine varios citat Autores, qui de Chriſto ex profeſſo quædam pertractarunt. 555 ſqq.

XIV Maximiliani I Cæſ. Aug. *Diploma* de inſtaurandis ſtudiis humanitatis doctis illuſtrat notis. 488 ſqq.

XV MS. Ludolphi Naamani, varia Theologica, Juridica, Medica complexum, deſcribit. 519 ſqq.

Et Theologica quidem facile Papiſtam produnt, ubi e. gr. Evangelium, ut Evangelicos feriat, Eqenwelion appellat, qua occaſione Autor ſcommatis Rabbinorum memi nit, qui Evangelium vocant vel עון גלירן, vel און גלירן, quaſi librum peccati aut perverſitatis. *XVI, XVII, XVIII, XIX, Supplementa ad Michaelis Maittaire Annales Typographicos* ex libris Lubecæ ante Sec. XV editis ſuppeditat; quæ hic repetere velle, nimis eſſet prolixum.

XX Petri Calannæ Philoſophiam Seniorum, Sacerdotiam & Platonicam, Panormi 1599 editam, recenſet. Hic liber, ut vel titulus docet, Platonicam Philoſophiam Ariſtotelicæ longe præfert, atque adeo homini animam, ſpiritum & corpus tribuit, & ex aqua & igne hominem regenerari, evincit. 693 ſqq.

XXI Præcocis ingenii pueri Lubecenſis, Ch. Henr. Heincken, ſiſtit elogium, de cujuspueri A. 719 ſqq.

ri A. 1721 nati, & 1725 denati, vita cum alias satis constet, non est, ut multa hinc excerpamus. *XXII de Casparis Ammani Psal-*
p. 732 sqq. *terio* rarissimo agitur. Hæc Psalterii versio ex Ebræo facta, prodiit Aug. Vind. 1523, ex qua h. l. nonnulla specimina exhibentur, v. c. *Ps. I, 2*, sondern an dem Gesatz Gottes ist sein Begerung; *Ps. II, 7*: Ich wird erzölen das Gesatz Gottes, Gott hat gesagt zu mir, mein Sun bistu, ich hab heut geadelt dich, ubi *adeln* pro *gignere* dici,
748 sqq. Noster observat. *XXIII MS. quoddam Alchymisticum*, repetitis contentorum titulis, brevissime Noster recenset, ac contra eos, qui vel *Apoc. II, 17*, vel in *Cantico Canticorum* philosophice explicato, quod MS. extat in Bibliotheca Krafftiana Ulmensi, lapidem Philosophorum describi putant, item qui Symbolo Apost. abusi, Symbolum Philosophorum super lapide ipsorum inde conficiunt, in-
759 sqq. surgit. *XXIV Jo. Malderi Anti-Synodicorum*, seu animadversionum in decreta conventus Dordraceni, *Notitiam* Autor nobis impertit, Malderi responsiones ad præcipua Dordracenorum argumenta refert, & inter alia indicat, *Wolfburgum* in Observ. ad N. T. fateri, quod, ut locus *Ebr. V, 7*, ubi Malderus vocem εὐλαβείαν *metum* vertit, interpretandus sit, ignoret. Denique *XXV*
777. 799 sqq. *de Conrado Vorstio* nonnulla differens, orationem *R. Winwoodii*, R. Angliæ ad Belgas legati, qua errores Vorstianos, ab ipso Rege ex ejus scriptis collectos, proponit, integram exhibet, una cum epistola R. Angliæ ad Winwoodum, qua eam comprobat. Hæc, ut putamus, B. L. salivam movere poterunt, ut Seelenii librum ipse evolvat, & ejusdem confutationem Hypotheseos Ænigmatico-Biblicæ, quam ipsum parare scimus, avide exspectet.

JO. HENR. A SEELEN, SS. THEOL. LIC. ET Gymn. Lubec. Rect. Selecta Nummaria, quibus variæ res, Sacræ, Civiles, ac Litterariæ, imprimis Lubecenses, illustrantur.

Rostochii, sumtu M. C. Schwechtenii, 1726, 8.
Plag. 6 ½.

COnjunxit hoc libellulo Cl. Seelenius sex Programmata scholastica, quæ separatim antea emiserat ad illustrandos aliquot

Digitized by Google

quot nummos. *Primo* ſcilicet decem exhibet nummos in totidem Conſules Lubecenſes cuſos inde ab A. 1636 usque ad A. 1717. *Secundo* diſſerit *de ſtudio conſervandi religionem per nummos*, non ſolum ethnicorum nummos memorans illos, in quibus Deorum ſit mentio, ſed etiam Hebraicos, in quibus cum perſonæ religioſæ, tum etiam res ſacræ & loca ſacra repræſentantur. Ad nummos Chriſtianæ religioni dicatos progreſſus, poſtquam adulterinos illos, qui Chriſtum exhibent, rejecit, commemorat nummos *Huſſi* memoriæ conſecratos, itemque *Lutheri*, addito promiſſo, ſe alio tempore id argumenti expoſiturum eſſe uberius. *Tertio* pro ſpecimine *Hiſtoriæ literariæ ex nummis illuſtratæ* producit & illuſtrat tres nummos in honorem Ariſtotelis, Hugonis Grotii, & Joannis Hevelii cuſos: ſimul tamen docens, primum horum nummorum inter adulterinos rejectum fuiſſe a Cl. noſtro Collega, Heumanno, in *Actis Philoſ. T. III p. 70 ſqq.* *Quarto* exhibetur nummus in honorem Nicolai a Brœmſen, Conſulis Lubecenſis, A. 1537 cuſus. *Quinto* illuſtratur nummus A. 1710 cuſus, quatuor Lubecenſium Conſulum facies exhibens. *Sexto* denique occaſione ſimilis nummi Cl. Autor, cujus ſingularem induſtriam jam plures libri in his *Actis* laudati loquuntur, ſiſtit inſcriptiones nummorum, memoriæ M. Jo. Caſp. Schadii, Theologi, & Jo. Alb. Fabricii, Polyhiſtoris, dicatorum, cognitu haud ſane indignas. Una ex hujus libelli plagulis plerosque hic tractatos nummos æri inciſos exhibet admodum eleganter.

CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI POECILE, ſive Epiſtolæ miſcellaneæ.

Tomi II Liber III.

Halæ, in officina Rengeriana, 1727, 8.

Plag. 1 o

Prima hujus libri Diſſertatione, quis ſit ille Ezechielis prophetæ *Gogus* & *Magogus*, inquiritur, ſtatuiturque, capite hujus prophetæ trigeſimo octavo exhiberi excidium reip. Judaicæ per Romanos, & capite ſequenti excidium religionis Romanæ ſive ethnicæ per Chriſtianos factum. Addit Cl. Autor, vetuſtiſſimos

jam Theologos per *Gogum* significari indicasse *Romanorum imperium*, idque recte fieri, e *Genes. X* docet. *Diss. II* illustrat verba Christi Joan. X, 8: *Omnes, qui ante me venerunt, fures sunt & latrones*, eorumque confirmat sententiam, qui hunc in modum ea interpretantur: *Omnes, qui ante me venerunt & pro Messia voluerunt haberi.* Commendat hac occasione & pluribus exemplis illustrat distinctionem propositionum in *absolutas & relativas.* Hinc locum illum *Actor. II, 3*, considerat, de quo nuper tres prodierunt disputationes, Soleichtii, Wokenii, Eckhardi: statuitque, hunc inesse verbis Lucæ sensum, *ante descensum Spiritus S. in Apostolos his contigisse divinitus ecstasin, eaque correptos eos vidisse linguas veluti igneas per conclave sparsim volitantes: tandemque ignem illum, qui antea dispersus circumvolitare videbatur, resedisse in capitibus Apostolorum, tanquam symbolum demissi in eos sancti Spiritus, ipsosque impertituri dono linguarum.* Ultimo loco integritatem vindicat loc. *Joan. XI, 35*, ubi quidam putarunt excidisse voculam κσὶ. *Tertia* Dissertatio exhibet *Hieronymi* inclytam illam ad *Magnum oratorem epistolam*, tum ex codicibus partim manuscriptis, partim ultimæ vetustatis excusis emendatam, tum annotationibus aliquot philologicis illustratam. Qua occasione etiam *ignotum* Pauli *Deum Actor. XVII, 23*, Cl. Autor contemplatur, non solum versionem Germanicam ita corrigens: einem unbekannten Gotte, sed etiam eos refellens, quibus visi sunt autores illius inscriptionis in animo habuisse verum illum & unum Deum. *Quarta* Dissert. exhibentur emendationes aliquot Prudentii, Basilii M. & Hieronymi: & appendicis instar eruditis interpretanda proponuntur hæc verba Lutheri: *Liber hic mihi fuit everberatus a linguis tertiis. Quarto* loco partioula *itaque*, hoc est, *& ita*, Tursellino ejusque commentatoribus præterita, illustratur exemplis non solum perspicuis, sed etiam difficilioribus, ad quæ hæserunt Viri doctissimi. Adjungitur *vita Gottfridi Gleitsmanni*, Lyceci Cizensis Rectoris optime meriti, non ita pridem defuncti. *Sexta* Dissert. de serpente Paradisiaco agens, primo ostendit, Mosem satis perspicue significare, eum fuisse Satanam: deinde solvit quæstiones illas duas: *cur non tota coborruit Eva ad alloquium ser-*

Digitized by Google

ſerpentis? cur ſermones cum eo miſcuit? Geneſ. IV, 23, 24, nova interpretatione illuſtrat. *Septima* Diſſ. plura Virgilianæ *Æneidos* loca partim emendantur, partim explicantur. Accedit emendatio Livii *lib. I cap. 34. Octavo* loco *Juſtini* perobſcurus locus *lib. II, 3, 8,* emendatur, ſimulque, quod in præſtantiſſimo illo Fabri Lexico omiſſum eſt, multis & Græcis & Latinis exemplis docetur, *legatos* dici conſueviſſe *legationes*. *Nona* Diſſ. aliquot hymni ſacri Germanici illuſtrantur, ac ſimul ſtatuitur, *Epheſ. V, 14,* (qui locus tantas interpretibus offudit tenebras,) exhiberi tres verſus Anacreonticos ex cantico quodam eccleſiaſtico. *Decima* Diſſ. docet, duas exſtare editiones *Faſtorum Academiæ Lovanienſis* Valerii Andreæ: ac gaudet Cl. Autor, ſibi in ſententia de Nicolaitis ex hæreticorum catalogo expungendis Celeb. Janum, Theologum Wittenbergenſem; ac in interpretatione loci *Rom. IX, 15 ſqq.* Celeb. Buddeum, Jenenſem Theologum, aſſenſiſſe, novasque iſtas ſententias ſuo muniiſſe ſuffragio. Poſtremo quis ſit Autor libri ſub titulo *Lutheri ante Lutheraniſmum* emiſſi, manifeſtum facit, *Undecimus* locus dicatus eſt Excerptis ex Berneggeri epiſtolis exaratis ad Lud. Lucium, Mart. Opitium, Frid. Spanhemium, Glaſerum, Forſtnerum, Hohenfelderum, Voſſium, Mareſcotum, Rebhanium, Schickardum, Jac. Gothofredum, Gronovium, Freinshemium, Diodatum, Lingelshemium, Rauſcherum, Hug. Grotium. Pari modo ſequuntur excerpta ex epiſtolis ad Bœclerum ſcriptis a Jo. Val. Andreæ, Buxtorfio, Freinshemio, Gronovio, Boxhornio, Buchnero, Jo. Rhodio, Loccenio, Schradero, Hevniſio, Styrzelio, Scheffero, aliisque. *Decima tertia Diſſertatio* docet, in ſecunda Joannis Apoſtoli Epiſtola per ἐκλεκτὴν κυρίαν deſcribi Chriſtianam mulierem, nomine *Cyriam*. Demonſtratur igitur, non ſolum apud Græcos id nominis in uſu fuiſſe, ſed etiam inter Romanorum nomina propria reperiri *Dominos* & *Dominas*, idemque apud Germanos fieri ac Syros. *Decimum quartum* locum occupat Diſputatio Academica *de miraculis Imp. Veſpaſiani*, qua contenditur, ea deberi ſoli ſolertiæ cum ipſius Veſpaſiani, tum etiam ſacerdotum Ægyptiorum. *Ultima* in hoc ordine eſt Diſſertatio de noto illo *Petri Lotichii* poetæ ſomnio, quod non propheticum, ſed mere poeticum fuiſſe, eique occaſionem eſſe præbi-

tam a Magdeburgenſi obſidione ſeculo XVI facta, ſatis perſpicue oſtenditur.

SUMMA BREVISSIMA UNIVERSALIS Theologiæ, Speculativæ, Dogmaticæ, Poſitivæ, Moralis, &c. aſſertiva locutione compoſita a CACCIATURO ARACHIEL, Miſſionario Apoſtolico Armeno.

Romæ, typis Hier. Mainardi, 1726, 4.

Alph. 1 pl. 15.

REv. Autor in Dedicatione ad Cardinales ſacræ Congregationis de propaganda fide ſcripta docet, ſe Romam ab iis vocatum eſſe ad prædicandum anno Jubileo verbum Dei in lingua Armena, & ad docendos Chriſtianam doctrinam Armenos, hoc Jubileo Romam confluentes, eorumque audiendas confeſſiones pœnitentiarias. Id dum fecit ſtrenue, ſimul compoſuit Theologiam hanc Scholaſticam, ſimpliciſſime ejus dogmata cum ſpeculativa, tum moralia, proponens, & verboſo dicendi genere lectoribus inculcans. Totum opus exſcriptum eſt literis admodum minutis, alterum tantum ſoliorum impleturum, ſi mediocris magnitudinis literis uti libuiſſet typographo. Ceterum cum non eruditis ſcriptus ſit hic liber, ſed Scholaſticæ Theologiæ tyronibus, non eſt, quod ejus deſcriptioni diu immoremur. Ut tamen methodus Autoris cognoſcatur, tria decerpemus capitula, non dubitantes, his lectis noſtros lectores ſecum cogitaturos eſſe: *Ohe, jam ſatis eſt.* Ergitur primi Capitis primum paragraphum: *Theologia eſt ſermo & locutio de Deo. Inſtruit hominem in iis, quæ ſpectant ad Deum. Sicuti ſcientia naturalis eſt ea, quæ tractat de natura, & de eis, quæ ſpectant ad naturam; ita Theologia eſt ſcientia, quæ tractat de Deo, & de eis, quæ ſpectant ad Deum. Deſiderabilior eſt Theologia, quam ſcientia naturalis, quia deſiderabilius eſt, ſcire de Deo, qui eſt creator noſter & finis noſter; quam ſcientia, quæ eſt de creaturis. Deſiderabilior eſt domina, quam ſerva. Theologia domina: ſcientia naturalis quærenda, ut ſerviat Theologiæ. Theologia quærenda, ut ſerviamus Deo. Hæc efficit, ut lux Evangelica clarius illuceſcat nobis. Hæc ſapientia ſapientiæ.* Primus para-

paragraphus Capitis LXXII, *de locutione cum Maria* inſcripti, ita fluit: *In hoc Capite ſermonem tecum habeo, o ſacratiſſima virgo Maria. Summopere deſidero te una vice videre. Felicem me haberem, ſi te una tantum vice viderem. Non vidi te in tua ſpecie, ſed pretioſitatem tuam novi ex ſacris literis de te loquentibus, ex ſancta matre Eccleſia, te mirifice magnificante, ex ſanctis Patribus, te magnis elogiis, encomiis & laudibus efferentibus, & ex Sanctis ſpecialiter te diligentibus. Ex his omnibus formavi ſpeciem, te pretioſiſſimam mihi repræſentantem. Secundam hanc meam imperfectam de te formatam ſpeciem, inveni te ita amabilem, ut verbis exprimere non poſſim. Suavitas mea, quam guſto ſecundum hanc meam debilem & imperfectam ſpeciem, ita magna eſt, ut non poſſim ſignificare, niſi ei, qui guſtat talem ſuavitatem, ut per ſuavitatem, quam guſtat, agnoſcat ſuavitatem meam. Ita magna eſt ſuavitas tua, ut valeam dicere: Tu ſuavitas mea, tu dulcedo mea, tu cibus meus, tu potus meus, tu hortus meus, tu divitiæ meæ, tu honor meus, tu theſaurus meus, tu ſolatium meum, tu gaudium meum, tu lætitia mea, tu jubilum meum, tu refugium meum, tu protectio mea, tu mater mea, tu filia mea, tu ſoror mea, tu conſolatio mea, tu fiducia mea, & tu hæreditas mea.* Denique centeſimi ejusdemque ultimi Capitis, quod *de Paradiſo* agit, hoc eſt exordium: *Paradiſus eſt ſtatus includens omnia deſiderabilia & optabilia bona, & excludens omnia formidabilia mala. In paradiſo poſſeſſio omnium bonorum, & excluſio omnium cruciatuum & omnium tormentorum. Paradiſus contrarius inferno. In inferno damnati privantur bonis. In Paradiſo beati poſſident bona. In inferno torquentur & cruciantur iniqui. In paradiſo lætantur & exultant juſti. In inferno captivitas, in paradiſo libertas. In inferno vincula, in paradiſo ornamenta. In inferno tenebræ, in paradiſo ſplendor. In inferno ſtridor dentium, in paradiſo nullum tormentum. In inferno fœtor, in paradiſo ſuaviſſimus odor. In inferno ſames & ſitis, in paradiſo ſaturitas. In inferno inquietudo, in paradiſo requies. In inferno turbatio, in paradiſo pax & tranquillitas. In inferno confuſio, in paradiſo ordo. In inferno vermis mentes crucians, in paradiſo viſio beatifica delectans. In inferno ignis crucians, in paradiſo lux lætificans. In*

inferno ſupplicium æternum, in paradiſo vita æterna. In inferno ſemper nox, in paradiſo ſemper dies. In inferno deſperatio boni, in paradiſo nullus timor mali. In inferno fletus, in paradiſo gaudium. In inferno dolor, in paradiſo delicia. In inferno miſeria, in paradiſo felicitas. In inferno dæmones immaniſſimi, ſaviſſimi & crudeliſſimi tortores, in paradiſo ſancti Angeli, ſuaviſſimi & amabiliſſimi ſocii.

GODOFREDI HOFFMANNI, D. ET PROfeſſoris Tubingenſis, rel. Commentarius in Auguſtanam Confeſſionem cæterosque Eccleſiæ noſtratis libros ſymbolicos.

Tubingæ, apud Theod. Mezleri viduam, 1727, 4. Alph. 2 pl. 4.

CUm libri Eccleſiæ Evangelicæ Symbolici, atque inter eos Auguſtana maxime Confeſſio, non ſine ſingulari Numinis directione conſcripta, puriorem doctrinæ cœleſtis veritatem e ſanctioribus litteris hauſtam exhibeant, ſedulaque eorundem lectio, iis præſertim, qui ad munus aliquod publicum in Eccleſia olim obeundum formari atque præparari debent, neceſſaria admodum ſit atque utilis; non abs re futurum exiſtimavit S. R. Autor, ſi poſt alios ſuccinctam ipſe in Aug. Conf. Commentationem luci publicæ exponeret, inque ea typum veræ doctrinæ in LL. Symbolicis comprehenſæ cultoribus Theologiæ tanto plus inculcaret, *quanto magis*, ut ipſe in dedicatione ſcribit, *novaturienti hoc ſeculo venerabile piis mentibus Orthodoxiæ nomen vileſcere & ludibrio fere haberi videmus.* Inſtitutum vero, quod ſibi ſectandum in hoc opere propoſuit Cl. Autor, non hoc eſt, ut prolixum in Eccleſiæ noſtræ Symbola Commentarium conſcriberet, quod pridem egregie præſtiterunt Viri de puriori cœtu meritiſſimi, Arcularius, Balduinus, Calovius, Gerhardus, Grauerus, Schmidius, Pappus, Oſiander, Hutterus, Menzerus, alii; ſed ut ea, quæ ab illis ſuſe elata ſunt, in concinnum aliquod Compendium redigeret, facemque adeo ſacrarum litterarum Cultoribus in illorum lectione occupatis præferret. In Prolegomenis Autor, præmiſſis iis, quæ de LL. Sym-

Symbol. autoritate, neceſſitate, ſubſcriptione aliisque id genus tradi ſolent, ad ipſam tractationem de Symbolis Apoſtolico, Nicæno & Athanaſiano deſcendit, atque Auguſtanæ imprimis Confeſſionis hiſtoriam paucis pandit, eaque, quæ de variis ejusdem editionibus atque verſionibus notatu digna ſe offerunt, breviter ediſſerit. Ubi tamen, ut de recentioribus A.C. editionibus nihil jam memoremus, vetuſtiſſimam ejusdem & Apologiæ editionem, *Tubingæ* A. MDXXXV typis exſcriptam, itemque *Conventum Naumburgenſem* ab Ordinibus Proteſtantium A. MDLXI inſtitutum, in quo de genuina A. C editione, quam *invariatam* dicunt, ſervanda, nec *variata* tamen reprobanda, actum fuit, Autorem ſilentio præteriiſſe vidimus. Circa ipſam denique LL. Symbol. expoſitionem hanc methodum ſervat, ut, leviter tactis quæ ex hiſtoria ad inluſtrandum titulum atque præfationem A. C. repetenda veniunt, ſingulos ejusdem articulos ordine percurrat, ea, quæ de uno eodemque doctrinæ argumento in LL. Symb. ſæpius diverſis locis repetita occurrunt, in unum colligat, præcipua fidei dogmata dilucide exponat, & vel maxime difficultates paſſim forte occurentes tollat, dubiaque a diſſentientibus, *Laurentio* imprimis *Forero*, *Joanne a Daventria*, Card. *Bellarmino*, *Th. Henrici* aliisque mota ſolide ſolvat, ita quidem, ut in allegandis Concordiæ paginis editionem *Rechenbergianam*, quæ ſcilicet omnium manibus verſatur, utique ſequatur. Præterea id quoque ſibi negotii impoſitum eſſe credidit Autor clariſſimus, ut mutationes in A. C. a Philippo Melanchthone factas in Reformatorum, quos vocant, gratiam, quæ tamen, paucis exceptis, magni ut plurimum momenti haud ſunt, cum cura annotaret, ſuccinctamque nonnullorum veteris Eccleſiæ hæreticorum, a quibus LL. Symbolici abhorrent, notitiam tironibus ſuppeditaret, atque egregiam imprimis *Auguſtanam Confeſſionem* inter atque *Wirtembergicam*, quæ peculiare Wirtembergicæ Eccleſiæ Symbolum eſt, atque nomine illuſtriſſimi Wirtembergiæ Ducis Domini CHRISTOPHORI A. MDLII, a d. XXIII Januarii Congregationi ad Tridentinum Concilium præſenti oblata fuit, harmoniam, adductis ipſis ejusdem verbis oſtenderet. Cum vero in Confeſſione, quam diximus, Wirtembergica vel ejus Apologia de nonnullis doctrinæ capitibus vel plane nihil,

vel

Digitized by Google

vel pauca saltim annotata sint, Cl. Autor excerpta quædam ex scriptis *Joannis Brentii* articulis quibusdam subjunxit, quæ de doctrina Ecclesiæ Wirtembergicæ, cujus is interpretem egit, luculenter satis testari possunt. Supereſſent singularia non nulla passim in hoc libro obvia, a quibus tamen recensendis propter instituti brevitatem jam abstinemus; id unum adhuc notantes, Cl. Autorem in explicandis prioribus A. C. articulis prolixiorem fuisse; in reliquis vero expediendis certis, ut ipse ait, de causis brevitati studuisse.

THEODORI HASÆI, SS. THEOL. D. ET PROF. itemque Ecclesiæ ad D. Virg. Pastoris, Dissertatio historico-theologica de monumento Paneadensi.

Bremæ, typis H. C. Jani, 1726, 8.

Plag. 10.

TRibus Capitibus Max. Reverendus Autor complexus est, quæ dicenda habuit de monumento Paneadensi, commemorato ab Eusebio *Hist. eccl. lib. VII cap. 18. Primo* scilicet, postquam ipsam historiam ex Eusebio recitavit, nominatim producit veteres, qui post Eusebium idem retulerunt, ponens etiam ob oculos tot narrationum diversitates. Meminit item epistolæ, quam fœmina ad Herodem regem scripsisse fertur ad impetrandam libertatem ponendæ statuæ: quam quidem epistolam *νοθείας* convincit abunde. Nec illos præterit, qui dejectam a Juliano Imp. fuisse illam statuam, perhibent. Ultimo loco copiose agit de urbe Paneade & pluribus ejus nominibus, observans, nullam occurrere urbem tot insignitam nominibus. *Secundo Capite* hanc narrationem severe examinat, præmissis de ea sententiis cum Pontificiorum, tum Lutheranorum & Reformatorum. Ac illos quidem ostendit uno ore eam defendere & propugnare: e Lutheranis paucos, e Reformatis multos eam e censu verarum narrationum ejecisse, docet. Quod si vel maxime vera esset hæc narratio, tamen inde male a Pontificiis probari cultum sacrarum imaginum, manifestum facit. Tum, nullam ab illa fœmina Christo positam fuisse statuam, ex eo evincit, quod nec potuerit id facere, quippe pau-

per-

Digitized by Google

percula; nec voluerit, quippe Judæa, gentis suæ more imagines averſans. Addit, nec Judæos illi paſſuros fuiſſe, nec ethnicos in eam ſtatuam non fuiſſe ſævituros. Obſervat etiam, neminem hujus rei mentionem feciſſe ante Euſebium, qui tamen & ipſe loquatur dubie; & poſt Euſebium perpaucos injeciſſe illius ſtatuæ mentionem. Illud tamen concedit, imo defendit, talem ſtatuam, qualem deſcripſit Euſebius, Paneade exſtitiſſe. Ad miraculoſam herbam quod attinet, quæ ſtatuæ illi accreviſſe dicitur, ſtatuit Cl. Autor, vix quidem potuiſſe ei non accreſcere herbam, ſed vulgi fabulam, non veritatem, tradere Euſebium, cum miraculoſas ei vires tribuit. *Capite tertio* originem fabulæ eruit, oſtendens, in honorem Hadriani Imp. poſitam hanc fuiſſe ab ethnicis ſtatuam. Hoc fine demonſtrat plurimis exemplis, ſimiles Paneadenſi illi ſtatuas ponere conſueviſſe civitates Principibus ἐυεργέτας. Eam in rem e nummariæ rei ſcriptoribus plurimos profert nummos, in quorum multis etiam titulus *Reſtitutoris* occurrit. Speciatim nummos Hadriani gloriæ dicatos adducit, in quibus vocatur *reſtitutor Achajæ, Africæ, Arabiæ, Aſiæ, Bithyniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Macedoniæ, Mauritaniæ, Nicomediæ, Phrygiæ, Siciliæ*: oſtendens ſimul, quantam in plurimas urbes benignitatem expromſerit hic Hadrianus, quantisque idcirco affectus fuerit honoribus. Nec proinde mirandum putat, ei idem accidiſſe a Paneadenſibus, præſertim cum notum ſit, eum ſæpius in Syria & Palæſtina fuiſſe, & in ipſa urbe Paneade. Obſervat præterea, forma, barba, & veſtitu ſimilem Chriſto fuiſſe Imp. Hadrianum: ut adeo facile imago Hadriani pro Chriſti haberetur effigie. Cum etiam Hadriano cognomen σωτῆρος, itemque *Dei*, fuerit tributum, hinc factum eſſe credit, ut, deleto Hadriani nomine, ſtatua illa Chriſto videretur eſſe poſita. Id quo minus dubites, ſimilium errorum, qui circa veteres contigerunt ſtatuas, exempla producit. Denique ingenii experiundi gratia & Latinas exhibet & Græcas inſcriptiones, quarum una quo minus illi ſtatuæ inciſa fuerit, nil obſtare exiſtimat. Imo aliam quoque Latinam inſcriptionem ab ſe contextam profert, quam cenſet a muliere illa Paneadenſi non inepte inſcribi potuiſſe ſtatuæ Chriſto dicatæ. Illud neutiquam præterire debemus ſilentio, quod *Cap. III §. 2* tradit, Dallæum primum

mum fuisse tam acutum, ut videret, illam statuam non faisse a muliere Evangelica positam, sed ab ethnicis; Jac. Gothofredum vero longius provectum animadvertisse, statuam hanc exhibere ipsius urbis Paneadis simulacrum, cui ab Imperatore aliquo salus sua restituta fuerit. Colophonem itaque felicibus hisce conjecturis imposuit Cl. Autor, ipsum illum Imperatorem nominans, eamque sententiam tantis doctrinæ variæ luminibus illustrans, ut gratiæ agendæ videantur Eusebio, qui errore suo occasionem præbuerit effundendis tantis reconditæ eruditionis opibus.

AN HISTORICAL AND CRITICAL ACCOUNT of the Life and Writings of Mr. William Chillingworth &c.

h. e.

RECENSIO HISTORICO-CRITICA VITÆ & scriptorum GUILIELMI CHILLINGWORTHI, Ecclesiæ B. Mariæ Sarumensis Cancellarii.

Londini, apud Thomam Woodward & Joh. Peele, 1725, 8. Alph. 1 pl. 3.

Guilielmus Chillingworth, Guilielmi filius, Oxonienſis, anno salutis 1602 natus, & a Guilielmo Laud, qui Archi-Episcopus Cantuarienſis post hæc evasit, e sacro fonte susceptus est. A teneris literis innutritus, cum Græcis, tum Latinis, tanta facilitate Classes Logices, & Philosophiæ transcurrit, ut sub finem A. 1623 Magister in Artibus, & d. 10 Junii 1628 Collegii Trinitatis Socius crearetur. Sacris se imprimis mysteriis dicaverat, in quorum studio adeo profecit, ut celeberrimus sui temporis Anglicanæ Ecclesiæ Theologus fuerit habitus. Sed intra solius Theologiæ fines ægre se continens, Mathematica quoque tractavit, nec spernendus Poeta fuit. Amicis usus est Lucio Carœo, Comite Falcklandiæ, Johanne Halesio aliisque, præ cæteris autem Gilberto Sheldono, qui Juxono in sede Cantuarienſi successit. Strenuus, pro more ejus seculi, Disputator, puer adhuc cum condiscipulis, adultior cum Romanæ factionis emissariis, qui sub Jacobo & Carolo I licentius quam fas erat, Angliam pervaga-

vagabantur, congredi gestiebat. Erat inter hosce famosissimus Jesuita, Johannes Fisherus, industrius proselytorum suæ religionis venator, qui cum multum Oxonii versaretur, præstantissimum quemque studiosæ juventutis, & inter hos quoque Chillingworthum, disputando aggrediens, tanta subtilitate gravissimum Romanistarum locum topicum *de necessitate judicis infallibilis viventis* in rebus fidei, juveni commendabat, ut is, quod ad Sophistæ argumenta reponeret, statim non inveniens, supposita semel hac necessitate, facile induceretur, ut crederet, judicem istum infallibilem in Ecclesia Romana inveniri, adeoque hanc veram esse Ecclesiam. Quanta animi alacritate Chillingworthus ab Anglicanæ Ecclesiæ communione ad castra Romanæ religionis transfugerit, quantaque persuasione doctrinam Jesuitæ susceperit, satis apparet ex literis ejus ad amicum suum Gilbertum Sheldonum tunc scriptis, cui inter alia has duas quæstiones serio pensitandas proponit: 1) *An non ex Scriptura S. ex Patribus, ex sana ratione, tum etiam ex bonitate Dei & necessitate hominum, evidens sit, quod oporteat esse Ecclesiam quandam in rebus fidei infallibilem?* & 2) *An ulla societas mortalium, præter Ecclesiam Romanam, certa autoritate, vel quovis alio modo, privilegium infallibilitatis in rebus fidei possit sibi attribuere?* Interim Fisherus, quo prædam suam tutius servaret, Chillingwortho persuaserat, ut in Artesiam ad Collegium Jesuitarum, quod Duaci habent, se reciperet, ibique *Causas & Rationes*, quibus permotus religionem Romanam amplexus erat, publico scripto exponeret. Hæc cum audiret Laudus, tunc temporis Episcopus Londinensis, intimis sensibus afflictus, literas tam efficaces ad Chillingworthum hac de re dedit, ut is, perspecta ratiuncularum, quibus seductus fuerat, levitate, Collegium Jesuitarum subito relinqueret, & in patriam A. 1631 reverteretur: ubi a Laudo summa humanitate acceptus, Oxonii, cum proposito in religionis veritatem libere inquirendi, consedit. Diu animo suspensus, re tandem dextro judicio ponderata, clare perspexit, principia Protestantium & Scripturæ & rationi optime convenire, adeoque ad pristinam fidem rediit, quam publice iterum professus, & colloquiis & scriptis contra Pontificios

mascule defendit. In his eminet tractatus, quo demonstrat, doctrinam de infallibilitate, quam tanti faciunt Romani, neque veritatis evidentia, neque certitudine rationis, nec ulla Scripturæ authoritate niti. Porro duo alii, quibus probat, Ecclesiam Romanam quondam errasse: primo scilicet, cum admitteret infantes ad Sacramentum Eucharistiæ, statueretque, eos alias salvari non posse; tum etiam, cum publice tueretur Chiliasmum, quam utramque doctrinam Ecclesia Romana, ut falsam & hæreticam, hodie damnat. Scripsit præter hæc multa alia, & in his quædam hactenus ἀνέκδοτα, ut *Responsionem ad quinque quæstiones Peakii, de natura fidei & resolutione ac consequentiis fidei Protestantium*; 2) *discursum de natura fidei*; 3) *quod absurdum sit ab Ecclesia Anglicana discedere, ob defectum successionis confessorum visibilium, per omnes ætates*; 4) *brevem responsionem ad quosdam textus Scripturæ, huc in finem allegatos, ut probetur, Ecclesiam esse unam, visibilem, universalem, perpetuam & infallibilem.* Anno 1635 vero majus opus noster aggressus est, quo & principia Romanæ Ecclesiæ funditus subrueret, & Protestantium religionem vindicaret. Lis orta erat A. 1630 inter D. Potterum Collegii Oxoniensis, quod Reginæ vocatur, Præpositum, & Eduardum Knottum Jesuitam, de quæstione: *Num Catholici agant contra charitatem, dum statuunt, Protestantismum seu fidem Protestantium destruere salutem æternam?* Hanc quæstionem Knottus negabat, edito libello sub rubro: *Charity mistaken*, i. e. *Charitas erronea*; Potterus affirmabat, in responsione, cui titulus: *Want of Charity*, i. e. *Defectus Charitatis, jure Romanistis imputatus*, &c. Cum vero Jesuita non adquiesceret, sed libro Potteri alium iterum opponeret, quem inscripserat: *Mercy and Truth*, i. e. *Misericordia & veritas, seu Charitas a Catholicis propugnata*, &c. Chillingworthus, tum Comitis Falcklandii, amici sui, doctissima opera, tum lectissimorum librorum armario adjutus, hanc litem suam facere, & Knotto fuse pariter ac solide respondendo, causam pro religione Protestantium contra Pontificios accurate dicere constituit. Quisnam fuerit hujus conaminis eventus, paulo post videbimus. Accidit eodem anno, cum beneficium quod-

Digitized by Google

quoddam Ecclesiasticum in Anglia vacaret, ut Chillingworthus commendaretur ab amicis Thomæ Coventrio, Magni Sigilli Custodi. Nihil huic accidere poterat gratius, quam occasio hominem, cujus virtutes perspectas habebat, cuique maxime favebat, seu opibus, seu honore augendi: cum a subsidiis omnibus, quibus virtus & cultus acquiritur, videretur tunc maxime destitutus. Sed subscribenda erat Ecclesiæ Anglicanæ confessio *triginta novem Articulis* comprehensa, & promittendum, se *Libro communium precum*, quod nihil eo contineatur verbo divino adversum, in publicis precationibus uti velle. Hic aqua hærebat. Insertum scilicet communium precum libro Symbolum, quod vulgo Athanasio tribuitur, & supposititium & verbo revelato contrarium Chillingworthus credebat. In eodem libro præceptum decalogi, quod nobis tertium, Anglis quartum est, cum integra illa appendice, qua in Deuteronomii capite vigesimo a commate 8 usque ad 12 extat, populo prælegi, populusque, *Domine inclina corda nostra, ut hanc legem observemus*, respondere jubetur. Hoc instituto Christiani ad observantiam Sabbathi Judaici obligari; adeoque nec Librum communium precum verbo & voluntati divinæ convenire, nec 39 Articulis, conscientia salva, subscribi posse videbatur. Tunc Chillingworthus animo angi, dubia cum Sheldono suo communicare, ad amici solutiones respondere, objectiones objectionibus cumulare, usque eo, ut tandem Sheldonus tantæ obstinationis pertæsus plane, rescriberet: *Se quidem nemini, ut contra conscientiam, quamlibet erroneam, agat, velle persuadere, nec tamen pruritum contradicendi honorifico conscientiæ titulo posse appellare; vereri denique, ne amicus hic se ipsum perdat, & pro altera vita parum proficiat.* Dum hæc agebantur, Eduardus Knottus, fama certior factus, Chillingworthum præparare responsionem ad Librum suum contra Potterum, & causæ diffidens, & judicium publicum de utroque opere metuens, vili atque infami libello, sub titulo *Directionis præviæ* &c. intervenire decrevit, hoc maxime instituto, ut odium & contemtum Chillingwortho conciliaret. Quamobrem imprimis *Socinianismi* maculam ipsi adspergere,

tum religionis mutationem objectare, tum quod causas & rationes, cur olim Catholicismum amplexus fuerit, nondum refutarit, vitio vertere, tum etiam quod 39 Articulis Ecclesiæ Anglicanæ subscribere ambigat, exprobrare non erubuit; denique diversa postulata & conditiones circa modum, quo sibi respondery vellet, subjunxit. Interim Chillingworthus, Jesuitæ intempestiva dicacitate & calumniis minime deterritus, in opere cœpto gnaviter pergit, quod sub initium A. 1637 jam proxime ad finem perduxerat. At Laudus, qui tunc Archi-Episcopatum Cantuariensem tenebat, non permisit, ut in publicum prodiret, priusquam a consummatissimis Theologis, Pridæo, Baylæo & Fellio diligenter esset examinatum. Tandem circa finem A. 1635 liber iste Oxonii impressus, publice comparuit, titulum præ se ferens: *The Religion of Protestants a safe Way to Salvation*, i. e. *Religio Protestantium tuta via ad salutem: sive Responsio ad librum, qui inscribitur:* Misericordia & veritas, seu Charitas propugnata ai Catholicis, *quo contrarium probari intenditur; Autore Guilielmo Chillingworth, Artium Magistro in Universitate Oxoniensi.* Ex epistola dedicatoria ad Jacobum I manifestum est, ipsius Regis jussu Chillingworthum hanc operam suscepisse. Quanto vero plausu defensio ista purioris religionis excepta fuerit, vel inde apparet, quod, licet grandi volumine, *in Folio* vocamus, comprehensa, nihilominus intra primos quinque menses altera vice typis suit excudenda. Neque Jesuitarum Floydii & Lacæi, neque ipsius Knotti, qui pro duce & coryphæo ceterorum se gerebat, infamationes & cavilli, quos in hunc librum evomuerunt, obstitere, quin octava vice hactenus in Anglia fuerit editus. Post publicationem Rex Jacobus & Archi-Episcopus Laudus, excellentissimi tanti operis judices, dignum arbitrati sunt ejus Autorem, cui conferrent munus quoddam Ecclesiasticum cum magna dignitate & amplo reditu conjunctum. Anno igitur 1638 die vigesimo Julii, ad *Cancellariatum Beatæ Mariæ Sarisberiæ*, una cum *præbenda de Brixworth, alias Brikleworth, in Comitatu Northamptonii, Petriburgensis Diœceseos, Cancellariatui annexa*, admissus & institutus est. Neque tunc amplius dubi-

Digitized by Google

dubitavit omnibus Ecclesiæ Anglicanæ Articulis, & singulis in eisdem contentis, volens & ex animo subscribere, ceu patet ex formula, quam Libro subscriptionum Ecclesiæ Salisberiensis eodem die 20 Julii 1638, subscripsit. Circa idem tempus etiam Magister Xenodochii de *Wygstans*, nec non veteris Burgi *Leycestrienſis* renunciatus est. A. 1640 ad Convocationem Cleri, quæ eodem tempore cum summo regni concilio, quod Parliamentum vocant, convenerat, *Procurator Capituli Salisberienſis* ablegatus, Regi fidem suam dextre probavit, quam & in tristibus illis ac turbidis temporibus, quæ paulo post & Regnum & Ecclesiam affligebant, usque adeo non fefellit, ut scriptis non solum & publicis orationibus, sed manu quoque atque opera rem Principis contra perduelles adjuvarit. Interea cum intestino bello omnia flagrarent, nonnulli rigidiores verbi Ministri, parliamenti protectione sulti, aliud pugnæ genus ciebant, non tantum contra Episcopatum & Liturgiam, sed contra optimos quosque Theologos Ecclesiæ Anglicanæ, quos omnes, imprimis vero Laudum, Potterum, Halesium & Chillingworthum, ut in vulgi odium adducerent, *Arrianismi*, *Socinianismi* & *Papismi* postulabant. At Chillingworthus in zelo versus Ecclesiam, vel fide erga Principem, nihilo remissior, castra Regis constanter sequebatur; donec sub initium A. 1644 Castello Arundeliano a Wallero, exercitus Parliamentarii duce, expugnato, & ipse in potestatem hostium veniret, morboque & frigore pœne consumtus, Ciceſtriam abduceretur: in qua captivitate circa finem mensis Januarii prædicti anni decessit.

Ceterum quod ad ipsum libellum, ex quo hanc Chillingworthi vitam contraximus, attinet, is *Petro Kingio*, Magnæ Britanniæ hodie Cancellario, dedicatus, & secundum methodum, quam Bælius in Dictionario Historico-Critico tenet, ab editore *P. des Maizeaux* concinnatus est, ex quo pauca insuper, hactenus dicta illustrantia, memorabimus. Pag. 5 & 44 in *Notis* ex *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu* demonstratur, Johannis Fisheri & Eduardi Knotti nomina fuisse adscita, illumque vero nomine *Johannem Perseum*, hunc autem *Matthiam*

am Wilſonum appellari. Pag. 49 ſeq. in *Textu* legitur epiſtola Chillingworthi ad amicum anonymum, quæ doctrinæ Arrianorum nimis favet. Pag. 86 alia epiſtola ad Sheldonum textui inſerta eſt, ex qua apparet, Chillingworthum eo tempore, quo 39 Articulis ſubſcribere dubitabat, ære alieno obrutum & patre avariſſimo uſum fuiſſe. A pag. 104 usque ad p. 265 ſcripta eriſtica Knotti & Chillingworthi prolixe magis, quam accurate, recenſentur. Pag. 280 legimus, Chillingworthum in obſidione Gloceſtriæ Regi Carolo I ſuaſorem & autorem fuiſſe, ut machinæ quædam bellicæ, ad modum *Teſtudinum cum pluteis*, quorum uſus apud Romanos frequens erat, exſtruerentur. A pag. 315 usque ad p. 366 libellus ſarcaſticus: *Chillingworthi noviſſima*, quo orthodoxus nimium *Cheynellius* mortuo leoni inſultavit, ſatis operoſe recenſetur. Tandem Autor finem ſuæ narrationis facturus, conqueritur, Virum tanta virtute, pietate & moderatione præditum, *Pontificiorum* æque ac *Proteſtantium* injuriis fuiſſe laceſſitum, ab utrisque *Socinianiſmi* nota ipſi impacta. Sed hanc communem excellentiſſimorum ingeniorum ſortem eſſe obſervat, inque ejus rei teſtimonium pag. ultima in *Textu* Tillotſonii notabile effatum, in *Notis* vero *Cl. Clerici* verba, *Art. Crit. Vol. III Ep. X p. 272, 273* adducit. Finitur opuſculum Indice ſatis locuplete.

R. MOSIS MAIMONIDIS CONSTITUTIONES de Siclis, quas Latinitate donavit & Notis illuſtravit JOANNES ESGERS, Amſtelo-Batavus.

Lugd. Bat. apud Jo. Arn. Langerak, 1727, 4. Plag. 20.

Librum hunc in *Actis* noſtris *A. 1720 p. 41 ſq.* recenſuimus, & vel paginarum collatio docere videtur, eandem eſſe editionem, novo tantum titulo exornatam, in quo alterius Bibliopolæ fit mentio. Quoniam itaque nil novi hic deprehendimus, nova recenſione non eſt opus. Monemus tantum nunc, quod non ſemper in verſione totus exhauriatur ſenſus, cum v. c. *Cap. 2 §. 1 p. 33* omittantur voces כמין שופר *ad inſtar tubæ*.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXVII.

IO. FRANCISCI BUDDEI, THEOL. D. ET P.P. Iſagoge Hiſtorico-Theologica ad Theologiam univerſam ſingulasque ejus partes.

Lipſiæ, ex officina Thomæ Fritſchii, 1727, 4. Alph. 10 plag. 12.

QUamvis eum inter noſtros, tum a religionis noſtræ placitis diſſentientes Theologos haud defuerint, qui de ratione ad cognitionem litterarum ſacrarum perveniendi, ſive de methodo Studii Theologici ſunt commentati; gratiſſimam tamen Summe Reverendus Autor litteris operam præſtitit, quod hanc Iſagogen hiſtorico-theologicam juris publici fecit, hocque novo ingenii præſtantiſſimo monimento ſingularem eruditionis laudem ac famæ decus non mediocriter auxit. Namque uti poſt fata doctiſſimorum virorum, qui in argumento hoc explanando jam verſati fuerant, omnium litterarum, eoque nomine illarum quoque, quæ ad eruditionem ſacram pertinent, inſignis facta eſt mutatio, quæ Autori noſtro occaſionem dedit, quam plurima capita ab aliis aut plane prætermiſſa, aut leviter expoſita, egregie ac copioſe illuſtrandi; ita & aliam Iſagogen hanc tradendi tenuit rationem. Non ſolum enim de indole ſingularum diſciplinarum, quibus Theologia abſolvitur, deque modo diſcendi illas accurate diſſeruit; verum etiam eundo per omnia ſecula ad noſtra usque tempora, quæ in hoc doctrinæ genere ac ſingulis illius capitibus contigerunt mutationes, enarravit, præcipuosque ſimul autores eorumque ſcripta ita recenſuit, ut quæ laudanda ac vituperanda ſint, moneret, aliosque, quæ debeant imitari, quæque rurſus evita-

re, condoceret. Hac ratione Isagoge hæc pleniorem historiam litterariam totius Theologiæ comprehendit, omniaque diligenter, quæ cum ad fata omnium eruditionis sacræ disciplinarum, tum ad libros illarum pertinent, commemorat. Ipsum opus divisum est in duas partes, quarum prior quatuor capitibus de fine Studii Theologici: de Theologiæ cultore ejusque indole ac virtutibus: de mediis, quibus Theologiæ habitus comparatur, ac de propædevmatibus theologicis exponit. In hisce argumentis rite explicandis ad id præcipue Autor operam suam contulit, ut & eruditionis ac sapientiæ nexum arctissimum demonstraret, ac diligenter inculcaret; ubi autem verba fecit de propædevmatibus theologicis, singulas partes cum humanioris, tum philosophicæ doctrinæ ita persecutus est, ut quid ex illis a Theologiæ cultoribus discendum sit, indicaret, ac multa, quæ historiam harum disciplinarum illustrant, moneret. In posteriori Parte hujus Isagoges descendit ad singulas Theologiæ disciplinas, & primo loco posuit Theologiam theticam, sive dogmaticam, quo nomine & catecheticam comprehendit. Enarravit illius originem, progressus & fata per singula fere a Christo nato secula ad nostram usque ætatem: nec nævos & incommoda, a doctoribus scholasticis invecta & interdum repudiata, mox iterum recepta, prætermisit. Eadem ratione sequenti capite de Theologia, quam vocant, symbolica exposuit, ubi veterum pariter ac recentiorum symbolorum historiam, eamque variis observationibus illustratam, justa serie exhibuit. Capite tertio egit de Theologia Patristica, nec tantum historiam & fata illius descripsit, sed etiam haud paucas observationes de Patrum lectione recte instituenda, deque justo, quod illi statuendum sit, pretio, adjecit. Cum se capite quarto ad Theologiam moralem contulisset, de Patrum quoque doctrina morali differit, simulque de Theologia mystica & jurisprudentia divina, prudentia item christiana & pastorali, verba fecit. De jurisprudentia ecclesiastica capite quinto ejusmodi tractationem instituit, quæ & illis, qui prima tantum principia illius cognoscere volunt, & eis, qui ulterius progredi cupiunt, inservire potest, quoniam itidem historiam illius diligentissime prosecutus est, multasque controversias, quæ hodie inter viros eruditos agitantur, illustravit. Sed cum ex istarum,

quas

Digitized by Google

quas hisce capitibus enarravit, Theologiæ partium, præsertim Jurisprudentiæ ecclesiasticæ, consideratione abunde pateret, quam eximius in his omnibus Historiæ Ecclesiasticæ sit usus, pro boni ordinis ratione statim subjunxit, quæ de ista fuerunt observanda. Capite septimo egit de Theologia polemica, ubi pro multitudine controversiarum theologicarum amplissimum disserendi campum invenit, multaque momenta, quæ in hac parte historiæ litterariæ adhuc confusa & perturbata fuerunt, perspicue ac distincte proposuit. Nam quamvis non defuerint, qui nostrorum Theologorum scripta polemica recensuerunt, id tamen plerumque factum est perfunctorie, ita ut haud observaverint, quænam illorum fuerit occasio, an & qua ratione ab adversariis, quos sibi oppugnandos sumserunt, fuerint refutata? an & quid iterum his responsum sit? & quæ reliqua sunt ejusdem generis. Proinde in nostratium scriptis polemicis recensendis maxima quidem Autori nostro suborta est difficultas; quam tamen, quantum fieri potuit, feliciter superavit, omniaque copiose satis ac justo ordine proposuit. Ultimo loco pertractavit Theologiam exegeticam, in qua ita versatus est, ut primum textus originalis, tum versionum, tandem Commentatorum, quos vocant, veterum pariter ac recentiorum, historiam traderet, nævos pariter ac virtutes illorum, qui in hoc sanctioris doctrinæ genere vires suas exercuerunt, itemque vicissitudines, quæ hic se offerunt, indicaret, regulasque simul iis, qui & hoc recta via incedere volunt, præscriberet. Quumque ab eo tempore, quo opus hoc typis exscribi cœpit, non tantum novi libri, sed etiam novæ editiones prodierint, ea quæ hoc loco erant prætermissa, Autor in addendis & supplendis, quæ extremo operis hujus subjecta sunt, observavit.

Hæc est ratio & summa operis hujus generatim a nobis indicata. Verum præstantia illius postulat, ut ex tanto scientiæ theologicæ & litterariæ apparatu lectori nostro specimina quædam exhibeamus. Capite igitur *primo* Libri prioris *de fine Studii Theologici* accurate recensetur scriptores methodi theologicæ, atque inter alios imprimis commemorat *Institutiones Theologicas Patrum antiquorum* Josephi Mariæ Tommasi: *Bibliothecam selectam de ratione studiorum* Antonii Possevini: Petri Annati *Methodicum* p. 5. 10.

p. 11. *ad Theologiam positivam apparatum:* Joannis Mabillonii librum de *Studiis Monasticis*, quorum scriptorum non solum summam exhibet, sed etiam de iis judicat, atque imprimis controversiam
20. & attingit, quæ Mabillonio cum Armando Joanne Bouthillerio Ran-
1797. ceo, Abbate Trappio, super quæstione: an monachis litterarum
14. studia conveniant? intercessit. De Hyperio observat, quod posset dubitari, quo jure reformatæ Ecclesiæ doctoribus annumeretur, cum Academiam Marpurgensem, in qua docuit, eo tempore nostræ ecclesiæ sacra secutam esse constet, simulque libri, quem de *ratione Studii Theologici* scripsit, capita sedulo recenset. In eodem capite differit Autor de usu & abusu eruditionis in theologicis, at-
25. que imprimis explicat usum & abusum vocis *Theosophiæ*, monetque, quod Theologia sive accipiatur de doctrina, sive de habitu, utroque modo recte Theosophia appellari possit: quamvis haud negandum sit, inter Theosophiam & Theologiam hoc discrimen constitui posse, ut per hanc aut cognitio ipsa rerum divinarum, aut doctrina de iisdem designetur, per illam autem facultas sive virtus bona a malis discernendi & illa amplectendi, hæc fugiendi. Hisce expositis, addit quoque abusum hujus vocabuli, atque ex historia vetustiori & recentiori originem illius ostendit. In capite
85. *tertio* libri hujus prioris, in quo tractat de *mediis, quibus Theologiæ habitus comparatur*, deprehendimus copiosum indicem scriptorum, ex quibus speciatim librorum studio theologico inservi-
92. entium notitia haurienda, itemque characteres, quibus libri boni a malis sunt discernendi, cujusmodi sunt: si argumentum, quod Autor aliquis tractandum sibi sumsit, utile sit, magnique momenti; si plene illud tractaverit, nihilque eorum, quæ de illo scitu necessaria sunt, omiserit; si solide illud tractaverit, hoc est, si circa principia & fundamenta rite constituenda sollicitus potius fuerit, quam circa ea, quæ curiositati hominum blandiuntur; si ἀλλότρια non admiscuerit, & a digressionibus, nihil ad rem facientibus, se abstinuerit; si denique perspicue & sermonis genere puro, quantum res ipsa permittit, & eleganti cuncta proposuerit. Hisce cha-
74. racteribus, qui illustrantur, additæ sunt regulæ in librorum lectione observandæ, quæ sequentes sunt: quidam libri plane non sunt legendi; quidam non nisi ab iis legendi sunt, qui cuncta rite discer-

nere

nere atque dijudicare possunt; legendi sunt, qui cujusque ingenio, & scopo, quem sibi constitutum habet, conveniunt; lectioni modus ponatur, ne aut memoria obruatur, aut vis judicii suffocetur; lectio semper cum meditatione & δοκιμασίᾳ sit conjuncta; ita denique instituatur, ut quæ usui nobis esse possunt, seligantur, diligenterque retineantur. Caput *quartum de propædeumatibus theologicis* maxime copiosum est, de quo generatim monemus, quod in isto Autor historiam non solum litterarum humaniorum, artis criticæ, oratoriæ, poeticæ, ipsius historiæ civilis ac litterariæ, sed etiam disciplinarum philosophicarum strictim tradiderit. Speciatim notatu digna sunt, quæ habet de controversiis ad linguam Græcam atque Hebræam & utriusque necessitatem spectantibus: neque non de certamine inter Conringium & Wasmuthum agitato. Namque cum autoritate Augusti, Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis, administro Joanne Sauberto, consilia de nova Scripturæ sacræ versione Germanica adornanda caperentur, Conringius, socer Sauberti, institutum hoc probavit, atque arbitratus est, de versionibus ad textum Hebræum exigendis & corrigendis non adeo laborandum esse, cum mediocris etiam versio, eaque in multis a textu Hebræo discrepans, sufficiens sit, ut fideles Christiani ad vitam æternam deducantur. Punctis etiam vocalibus accentibusque non multum tribuit, atque affirmavit, nullum saluti creari periculum, si quis vel maxime contendat, codicem Hebræum corruptum hinc inde & depravatum esse. Huic igitur Conringio Wasmuthus se opposuit, quorum virorum scripta in hac controversia edita heic recensentur. Ubi Autor progreditur ad artem oratoriam, maxime commendat Quinctilianum, ac judicat de eo, quod, licet ethnicus fuerit, longe tamen rectius de eloquentia senserit, quam plurimi Christianorum, etiam eorum, qui omnino de eloquentia sacra præcipiant. In tradenda historia Poeseos copiose illustravit originem artis hujus, atque multa attulit, quæ ad Poesin sacram pertinent. Quæ habet de Historia civili, de qua copiosissime dictum est, ad tria capita possunt revocari: primum tractat de methodo studii historici ordineque legendi historicos ac scriptores, qui methodum studii historici tradiderunt, recenset: deinde viam monstrat, quomodo notitia historicorum sit comparanda, ac denique

p. 117. 125. 157. 161. 168. 176.

characteres boni historici significat. Historiam litterariam di-
p. 199. stribuit in tres classes: in historiam litteratorum, historiam li-
brorum & historiam artium & scientiarum, de quibus singulis iti-
217. dem fuse dictum est. Ad ultimam classem etiam refertur historia
philosophica, de qua ita agitur, ut non tantum scriptores, qui ge-
neratim de ea commentati sunt, indicentur, sed & speciatim de
singulis sectis tum scriptores præcipui, tum alia observatu digna
commemorentur. Quando de ipsa Philosophia tractatio institui-
tur, regulæ quædam præmittuntur ab illis observandæ, qui rite hic
237. progredi cupiunt. Istæ sunt sequentes: utilia & profutura ubique
consectanda sunt, nec vanis inanibusque inhærendum speculatio-
nibus; ex ipsa naturæ consideratione sapere, hoc demum est philo-
sophari; naturæ interpretes, seu philosophi, ita audiendi, ut
nullius in verba juremus, sed, cunctis accurate consideratis ponde-
ratisque, retineamus, quæ veritati maxime consentanea deprehen-
dimus; recentiores ita consulendi, ne contemnamus veteres; non
statim id pro optimo habendum est systemate, in quo cuncta bene
cohærent, sed quod phænomenis præcipuis explicandis sufficit, du-
biaque non secat, sed solvit; falluntur, qui, omnium omnino re-
rum se reddere posse rationem, existimant, &, ejusmodi systema
se invenisse, jactitant, in quo rationi nihil ignotum aut impervium
relinquatur; cavendum, ne rationi plus, aut minus, quam decet,
tribuamus; de sententia Philosophi cujusdam tum demum judi-
candum, si integrum ejus systema perspectum habeamus; notio-
241. nes unius disciplinæ caute ad aliam sunt transferendæ. Ipsa quo-
que singularum Philosophiæ partium historia traditur, ubi impri-
246. mis multa erudite dicta sunt de Theologia naturali, ejusque scri-
ptoribus, cum de illis, qui de spiritibus creatis eorumque operatio-
nibus exposuerunt, ubi & vetustiores & recentiores de hoc argu-
mento controversiæ occurrunt; tum de ipso Deo tractarunt, qui-
bus additi sunt, qui Theologiam hanc naturalem methodo, uti di-
citur, systematica exhibuerunt.

Nunc accedimus ad Librum posteriorem Isagoges hujus, cu-
jus caput *primum* exponit de *Theologia thetica*, sive *dogmatica*.
In principio illius Autor explicat nomina hujus Theologiæ, cum
modo *dogmatica*, modo *thetica*, sive *positiva* appellatur, simul-
que

Digitized by Google

que differit de discrimine inter Theologiam positivam & scholasticam ex mente Pontificiorum. Fuerunt enim nonnulli, qui inter Theologiam positivam & scholasticam hocce constituerunt discrimen, quod positiva nitatur tantum Scriptura sacra & traditione Conciliorum & Patrum; scholastica vero his addat humanæ mentis ratiocinia, & quæ Philosophia aliæque scientiæ suppeditant. Ubi progreditur ad historiam Theologiæ theticæ rite tradendam, observat, quod Symbolum Apostolicum pro compendio quodam aut theologico, aut catechetico, ab ipsis Apostolis condito, haud haberi possit, ac varia notatu digna monet de *Libro didascaliarum*; itemque cum ostendit, quod in doctoribus ecclesiæ seculi secundi & tertii systematicæ methodi vestigia haud deprehendantur, de Clementis Alexandrini libris ὑποτυπώσεων & Origenis libris quatuor περὶ ἀρχῶν. De scriptis doctorum ecclesiæ seculi quarti & quinti observatur, quod in quibusdam lineamenta quidem institutionum doctrinæ sacræ occurrant, sed tamen id, quod in methodo systematica præcipuum sit, nondum inveniatur; qua occasione copiose dictum est de Cyrilli Hierosolymitani catechesibus, quæ observationes in addendis augentur. Cum in orientali ecclesia Joannes Damascenus seculo octavo eam tractandi Theologiam ingressus est rationem, quæ proxime accederet ad scholastico-systematicam, copiose heic Damasceni hujus libri de *fide orthodoxa* recensentur, ac de illis judicatur, quod, quamvis in opere hocce contineantur, quæ minime sint contemnenda, occurrant tamen, quæ omnibus placere nequeant, imprimis quod suo exemplo alios invitaverit, ut in doctrina sacra simplicitatem Christianam migrarent & Theologiam subtilibus interdum, vanis & otiosis speculationibus corrumperent. Addidit Autor sententiarum collectores, & cum perveniret ad tempora recentiora, disseruit de Philippo Melanchthone ejusque *Locis communibus*: de diversis illorum editionibus harumque discrepantia: porro de satis Theologiæ systematicæ inter Lutheranos: de studio quorundam ex Pontificiis Theologiam scholasticam emendandi; neque non de satis Theologiæ hujus inter Reformatos, quarum observationum doctissimarum summam si vellemus exhibere, nimis esset copiosum. Quocirca convertimus nos ad caput *secundum* libri hujus,

p. 336. 341. 345. 377. 348. 812. 355. 357. 383. 388. 404.

jus, quod agit *de Theologia symbolica*, atque itidem refertum est singulari apparatu doctrinæ theologicæ & litterariæ. Recenset Autor symbola ecclesiæ cum vetustiora, tum recentiora, istaque diligenter illustrat. Quod ad vetustiora attinet, deprehendimus
p. 44. hoc multa notatu digna de Symbolo Apostólico, de quo probat, quod ab ipsis Apostolis conditum haud sit, sed ex formula baptismi solemni enatum, simulque adducit copiose scriptores de hocce
448. symbolo. Cum magni momenti ac celebritatis sit symbolum Nicænum, illius quoque historia accurate exhibetur, quam & habe-
451. mus de symbolo Athanasiano, de quo Autor luculenter ac solide ostendit, quod illud Athanasio perperam tribuatur. Sequuntur symbola, quibus controversiæ cum Arianis occasionem dederunt,
455. quæ omnia justo ordine recensentur, item Symbolum Constan-
463. tinopolitanum, Symbola Pelagianorum, quorum nonnulla ab illis edita sunt; sed maximam partem ad fallendos incautos comparata. Postquam hæc de symbolis vetustioribus copiose fuerunt exposita, Celeberrimus Autor ad symbola recentioris ætatis progreditur, quæ recenset hoc ordine, ut primum de Augustana Confessione, ceterisque ecclesiæ nostræ symbolis, deinde de symbolis ecclesiæ Romanæ propriis, tum de ecclesiæ Græcæ ac denique de Reformatæ ecclesiæ symbolis differat, nec quidquam, quod ad historiam & ecclesiasticam & litterariam horum symbolorum pertinet, prætermittat. Caput *tertium* tractat de *Theologia Patristica*.
537. Heic notatu digna sunt, quæ Autor habet de scriptoribus Patrum
189. notitiam suppeditantibus. De Patrum eruditione censet, quod ista minime quidem contemnenda, ex istius tamen, quo vixerunt, temporis ratione æstimanda; atque probat, quod nonnulli illorum historiarum & antiquitatis non fuerint imperiti, in gentilium
552. quoque scriptorum lectione haud perfunctorie versati. De Philosophia illorum speciatim judicat, quod, quamvis Platonem quidam præ reliquis laudent ejusque approbent placita, reliquos tamen non plane contemnant Philosophos: unde dicendum sit, eos eclecticos potius, quam Platonicos fuisse, id quod exemplis diserte comprobat. Addit rationem, cur hisce doctoribus Physica displi-
562. cuerit, eam quippe, quod, qui Physicam ex gentilium Philosophis tractabant, eorum simul Theologi censebantur, & in libris, in quibus

bus rerum naturalium principia explicabantur, simul de rebus divinis, de providentia, de immortalitate animæ, de quibus omnibus gentilium Philosophi plerumque longe aliter, quam Christiani sentiebant, agebatur. Post hæc copiose explicat originem Theologiæ Patristicæ atque notitiam suppeditat de Dionysii Petavii *dogmatibus Theologicis*, quod opus maxime laudat, simulque censuras, quas varii eruditi contra illud susceperunt, commemorat, quasdam illarum examinans, in quibus est judicium Huetii, qui judicaverat, quod ipsemet ex operis hujus lectione incertus dubiusque evaserit. Monet Autor noster, dubitandum esse, num Petavio, cui ad ἀκριβίαν nihil defuerit, an potius Romanæ Ecclesiæ, quam secutus sit, de traditione, ceu fidei principio & fundamento, sententiæ hoc tribuendum sit. Nec minorem laudem merentur, quæ Autor singulari studio collegit atque observavit de illis, qui Augustini Theologiam exhibuerunt: de editionibus Patrum: de bibliothecis illorum. Id tantum ex capite hoc addimus, quod longiorem atque eruditam simulque modestam disputationem instituerit adversus Honorium de Sancta Maria, qui in *animadversionibus super regulas & usum artis criticæ* id occulte egit, ut artis criticæ usum in iis præcipue, quæ ad historiam Ecclesiasticam, Theologiam Patristicam & traditionem spectant, suspectum redderet. Ad ea igitur, quæ objecit Autor, Noster hic respondet, & legitimum artis criticæ usum vindicat; & de hoc argumento in addendis copiosius dictum est. Ordo nos ducit ad caput *quartum* de *Theologia morali*, Libri posterioris. In hoc capite pleniorem Theologiæ moralis historiam deprehendimus. Primum Autor disputat de Theologia morali Patrum; antequam vero ipsa Patrum, quæ huc spectant, scripta recenset, disserit de Barbeyracii præfatione Pufendorffiano operi præmissa, in qua ipsum de morali doctrina Patrum non adeo præclare sensisse constat. Adversarium nactus est Remigium Cellierium: quorum scripta Autor noster ita examinat, ut interdum Barbeyracius contra Cellierium defendatur, interdum vero & corrigatur. In hac tractatione de doctrina morali Patrum imprimis copiosus est in exponenda Theologia morali Augustini, cujus scripta, quæ huc pertinent, diligenter recenset; summam illorum exhibet, eumque, ubi salva p. 566. 579. 582. 589. 593. 599. 822. 636.

veritate fieri poteſt, ab accuſationibus Barbeyracii defendit. Hac parte hiſtoriæ Theologiæ moralis abſoluta, progreditur cum ad
p. 823. doctores ſcholaſticos, ſpeciatim ad Abælardum, de quo in addendis multa dicta ſunt; tum ad ſcriptores recentiores, ubi ea, quæ
652. beatus Lutherus de moribus Chriſtianorum præcepit, egregie illuſtrantur, ac iſta quoque obſervantur, quæ in Theologia morali
667. Reformatorum a nonnullis fuerunt deſiderata. Horum enim doctorum ſcripta moralia quibusdam ſuſpecta ſunt, quod ejusmodi principia foveant, quæ prima genuinæ doctrinæ moralis fundamenta evertere prorſus videntur, cujusmodi cumprimis illorum doctrina de abſoluto prædeſtinationis decreto eſſe cenſetur. Ea de cauſa ab utraque parte nonnulla ſcripta fuerunt edita, quæ Au-
672. tor noſter memorat. Exhibet quoque Hiſtoriam Theologiæ myſticæ, in qua lectu digna occurrunt, de Dionyſio Areopagita, de Thoma Kempiſio, de Joanne Arndtio, de Poireto, de Fenelonio, de libris pœnitentialibus. Subſequitur caput *quintum de Jurisprudentia eccleſiaſtica* Hoic primum Autor conſiderat, quænam
742. Eccleſiæ a Chriſto inſtitutæ ſub ipſo Servatore & Apoſtolis fuerit indoles, qua occaſione differit cum de canonibus Apoſtolorum, atque ea tradit, quæ de numero, tempore atque autoritate illorum diſputata fuerunt; tum de conſtitutionibus Apoſtolicis, quarum
746. hiſtoriam litterariam itidem exhibet. Progreditur ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſeculi ſecundi & tertii, ubi Conciliorum canones & horum collectiones in cenſum veniunt, inter quas ea, quæ Codicem canonum Eccleſiæ univerſæ exhibet, eminet, quam aliæ de-
750. inceps in Eccleſia orientali ſubſecutæ ſunt. Igitur Autor exponit de Codice canonum Eccleſiæ univerſæ atque non ſolum originem illius, verum etiam ſummam atque autoritatem cauſamque, cur
753. vocetur Codex canonum Eccleſiæ univerſæ, oſtendit. Ab hoc codice ſedulo diſtinguendus eſt Codex Eccleſiæ orientalis, de quo etiam multa dicta ſunt, ut & de origine & ſcriptoribus nomo-canonum.
757. Quum in occidentali Eccleſia poſt Innocentii I Romani Epiſcopi tempora ſtudium colligendi Eccleſiæ Canones invaluerit, atque hac in re maxime enituerit diligentia Dionyſii Exigui; ſeculo vero nono impoſtor quidam ſub Iſidori nomine novam collectionem figmentis plenam orbi obtrudere auſus ſit, hæc capi-

tz

Digitized by Google

tu itidem ab Autore noſtro multum ſunt illuſtrata, qui & diſſerit de Collectione Canonum a Dionyſio Exiguo inſtituta, & de Pſeudo-Iſidoro, & productis ab eo primum veterum Epiſcoporum Romanorum Epiſtolis decretalibus. Ad reliqua ſecula dum ſe confert, lectu digna proponit de Reginone, Abbate Prumienſi, qui primus in occidente canonibus conciliorum & decretis Pontificum adjunxit ſententias Patrum & leges Codicis Theodoſiani: porro de jure Canonico a Luthero combuſto: de præcipuis autoribus, qui Acta Conciliorum collegerunt; de provocationibus, ſeu appellationibus, quas vocant, ad ſedem Romanam, de quo poſtremo momento orta eſt diſceptatio. Nonnulli enim antiquiſſimis etiam temporibus uſitatum fuiſſe, ut ad Epiſcopos Romanos provocaretur, contendunt, quibus tamen alii & quidem cordatiores ex ipſis Romanenſibus repugnant. Controverſiæ hujus cauſa varia ſcripta ab utraque parte edita ſunt, quæ Autor noſter recenſet. Hiſce addidit defenſores libertatis Eccleſiæ Gallicanæ, ac ſpeciatim egit de ſcriptis ac controverſiis Natalis Alexandri, Petri de Marca, Edmundi Richerii, ſimulque oſtendit, quæ inter Venetos & Paulum V Pontificem de limitibus ſacerdotii & imperii acriter ſint diſputata, ut taceamus de iis, quæ diſſerit ac ſuppeditat de limitibus poteſtatis Eccleſiaſticæ inter Reformatos; de Hierarchia Eccleſiaſtica; de antiquis Pontificum Catalogis; de Philippi Mornæi *Myſterio iniquitatis*. Caput *ſextum* tractat de *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, in quo Autor agit primum de fontibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ veteris Teſtamenti, ſpeciatim de Flavio Joſepho; de ſcriptoribus, qui ſingulas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ veteris Teſtamenti partes illuſtrarunt, ubi ſeorſim quædam dicit de Spenceri opere de *Legibus Hebræorum ritualibus*, atque illos adducit, quos hac in re præeuntes ſibi quodammodo habuit, quique iſtum refutarunt. Deinde accedit ad ſcriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ novi Teſtamenti, ac primo loco illos recenſet, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam novi Teſtamenti juſtis operibus complexi ſunt, quam in rem accurate tradidit Hiſtoriam Centuriarum Magdeburgenſium, easque contra Antonium Pagi defendit. Neque non illuſtravit originem & Hiſtoriam Martyrologiorum; indicem exhibuit ſcriptorum Hæreſiologicorum veterum & recentiorum & antiquitatum Eccleſiaſtica-

p. 770.
780.
1827.
772.
818.
828.
835.
843.
846.
868.

ſticarum. Hiſce dictis præcipua Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ novi Teſtamenti intervalla ſpeciatim conſiderat, fontesque ac documenta, ex quibus lux illis affundi queat, indicat. Primum, quod conſtituit, intervallum progreditur a Chriſto nato usque ad tempora Caroli M. ſecundum a Carolo M. usque ad Eccleſiæ reformationem, a Luthero ſuſceptam, tertium ab hac emendatione Eccle-
p. 943. ſiæ ad noſtra usque tempora. Scriptores, qui ad reformationis hujus hiſtoriam pertinent, revocavit ad tres claſſes. Recenſuit enim primum eos, qui ipſam reformationis hiſtoriam tradiderunt, aut quædam, quæ eo ſpectant, peculiaribus expoſuerunt commentationibus, tum eos, qui vitam resque geſtas beati Martini Lutheri, aliorumque, quorum miniſterio Deus in Eccleſia emendanda uſus eſt, deſcripſerunt; porro eos, qui generatim iſtorum, ut & ſequentium temporum, hiſtoriam ita condiderunt, ut ad res Eccleſiæ ſimul reſpicerent; quibus denique & illos adjunxit, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam ad noſtra usque tempora deducere aggreſſi ſunt.

Caput *ſeptimum* agit de *Theologia Polemica*. Poſtquam Autor recenſuit concertationes Apoſtolorum virorumque Apoſtoli-
967. corum cum variis hæreticis, commemorat Apologias veteris Ec-
993. cleſiæ doctorum pro Chriſtianis, ubi multa diſſerit de Ignatio, Juſtino Martyre ejusque Dialogo cum Tryphone Judæo, ac quæ ſuper iſto exortæ ſunt, diſceptationibus eruditorum virorum: de Athenagora, Theophilo aliisque cum ſecundi, tum reliquorum ſeculorum ſcriptoribus Apologeticis. Poſt hæc diſſeritur de Phi-
1007. loſophis, qui Chriſtianæ religionis veritatem impugnarunt, iisque, qui Philoſophos quosdam gentilium Chriſto oppoſuerunt. Dum in hæreticis ſeculi tertii verſatur atque errores Manichæorum explicat, inter alia multa lectu digna obſervat de Archelao,
1027. Carrharum Meſopotamiæ Epiſcopo, qui gentilium Philoſophos judices in controverſia cum Manichæis eſſe voluit, id quod haud reprehendi poſſe Autor noſter putat, ſi ex principiis rationis, ſecundum quæ Philoſophi iſti tantum judicare poterant, diſputatio fuiſſet inſtituta, quemadmodum & omnino inſtitui poſſet. Quum vero præcipue Scripturæ factæ dictis utrinque pugnatum ſit, gentilium Philoſophi hoc munere judicum haud fungi potuiſſe.

Ad-

Digitized by Google

Addit alia de hoc Archelao, de ejus indole mentis, deque, quos litteris consignaverat, libris. Quando ad reliqua sæcula progreditur, copiose exponit de Athanasio ejusque scriptis polemicis atque observat, quid nonnulli desiderent in ejus methodo tractandi controversias. Ipse putat, quod concertationes cum Arianis feliciori successu processissent, nisi Hebreæ linguæ ignorantia obstitisset, quo minus Athanasius in dictorum Scripturæ, quæ Arianis opponebat, explicatione semper satis feliciter versaretur. Eadem diligentia persequitur, quæ dicenda erant de Hilario Pictavienſi, aliisque, qui Arianos refutarunt: de Epiphanii Theologia Polemica: de Augustino ejusque methodo disputandi: de Vincentio Lerinensi, de quo varia observatu digna hic occurrunt: deque controversiis Pelagianis. Imprimis legenda sunt, quæ hac occasione de Augustino & certaminibus de ejus sententia ortis dicuntur. Augustinus enim gratiam adversus Pelagianos asserendo non potuit omnem suspicionem evitare, quo minus in contrarium quodammodo prolapsus errorem & absolutæ prædestinationi plus, quam decet, tribuere censeretur. Sed cum magna ejus semper in Ecclesia fuerit autoritas, disputatum acriter ad nostram usque ætatem fuit, aliis eum accusantibus, aliis defendentibus. Quæ igitur hac in causa ab utraque parte scripta edita sunt, horum indicem exhibet Autor noster, atque addit, quomodo in certamine contra Pelagianos Pontificum Romanorum enituerit industria, quæve sint incommoda Theologiæ Polemicæ in controversiis cum Pelagianis vel maxime conspicua, cujus modi etiam de certaminibus cum Nestorianis observat. Ex illis, quæ tradidit de scriptoribus polemicis seculi octavi & noni, imprimis commendanda sunt, quæ habet de Joannis Damasceni scriptis polemicis; de Agobardo, de quo ostendit, cur ille contra Judæos scripserit; de Paschasio Radberto; de Berengario eorumque controversiis. Cur seculo decimo tertio acrius, quam in præcedentibus, cum Judæis pugnatum sit, hanc causam indicat atque illustrat: apud Judæos quippe, per varias gentes dispersos, post Talmudis compositionem seculo sexto finitam subsecuta esse tempora sterilia; at cum in media ista nocte apud Arabes nova lux bonarum artium orta fuerit, ex Judæis quoque haud paucos ad litterarum studia tractanda se accinxisse.

p. 1033. 1037. 1045. 1049. 1062. 1071. 1075. 1098. 1106. 1143.

Digitized by Google

Hinc ſeculo decimo & ſequentibus præſtantiſſimi in omni doctrinæ genere inter eos exſtiterunt doctores. Quumque hactenus in oriente maximam partem commorarentur; ſeculo undecimo contigit, ut Babylone expulſi, ſcholisque ſuis ſpoliati, magno agmine in Europam, præſertim in Hiſpaniam, ſeſe reciperent. Novam hinc paſſim certaminum cum Judæis occaſionem ſuppeditatam fuiſſe Chriſtianis, Autor obſervat. Explanat quoque rationem
p. 1147. controverſiarum inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem ſe-
1157. culo decimo tertio & decimo quarto, atque adducit lepidam pro-
1175. bationem Joannis de Ragufio, quod ſacra Cœna ſub una tantum
1172. ſpecie fit adminiſtranda, quoniam in oratione dominica a Deo panem noſtrum quotidianum petamus; per panem autem intelligatur corpus Chriſti, quod in Sacramento Altaris accipiamus, & quum Chriſtus nullam mentionem fecerit potus & vini, manifeſtum ſit, quod ſufficiat panis; alioquin inſufficienter Chriſtus ſuos diſcipulos docuiſſet orare. Quæ diſſerit de ſcriptoribus ſeculi
1182. decimi quinti, inter alia de Hieronymo a Sancta Fide, quædam obſervatu digna continent. Quum ſe contulerit ad tempora recentiora, primum enarravit ſcripta polemica noſtratium Theologorum, imprimis beati Lutheri & Philippi Melanchthonis; deinde Pontificiorum, ubi multa collegit de Roberto Bellarmino, de Jacobo Perronio, de Jacobo Benigno Boſueto, de Antonio Arnaldo: de autoribus, qui Eccleſiam Romanam cum noſtra conciliare voluerunt, deque methodiſtis: denique Reformatorum, in qua parte commemorata ſunt diligenter ſcripta polemica Joannis Calvini, Theodori Bezæ, Jacobi I Angliæ Regis & præcipuorum tum in Belgio, tum in Anglia Galliaque Theologorum, ut taceamus de iis, quæ ſpeciatim ad controverſias cum Pontificiis, Reformatis, Socinianis, Fanaticis aliisque ſpectant, & heic fuſe propoſita ſunt. Reſtat ultimum caput ſive *octavum* de *Theologia exegetica*. Heic
1443. copioſe diſputatur de libris Canonicis veteris Teſtamenti eorumque autoribus: de lingua eorum originali: de præcipuis Codicis Hebræi editionibus ac de omnibus eruditorum controverſiis,
1480. quæ de hiſce capitibus ſunt exortæ. Pari ratione de Codice Græco novi Teſtamenti agitur & cumprimis Hiſtoria conſtituti Canonis
1509. traditur: præcipuæ veteris & novi Teſtamenti verſiones enarrantur,

Digitized by Google

tur, ac cumprimis versiones Græcæ, quæ septuaginta Interpretum dicitur, Historia exhibetur, & cum inter Latinas *vulgata*, quæ vocatur, emineat, quæ ejus ratio sit, exponitur, ac denique fuse differitur de translatione Germanica beati Lutheri. Hisce præmissis, Autor labores exegeticos virorum eruditorum enarrat. In hac Historia primum commemorantur scripta exegetica Patrum, præsertim Origenis, Eusebii, Augustini, Hieronymi, Cassiodori, quibus adduntur, qui librorum quorundam Biblicorum metaphrases dederunt, & simul agitur de catenis Patrum. Sequitur Historia Theologiæ exegeticæ apud Judæos, ubi varia tradita de Karaitis. Recentiori ætate insignia sunt merita beati Lutheri in hanc Theologiæ partem, quæ ut & Joannis Brentii aliorumque Ecclesiæ nostræ Theologorum Autor prædicat, seque, postquam hoc labore feliciter perfunctus est, convertit ad recensendos libros exegeticos Pontificiorum, ubi cumprimis differit de Cornelio a Lapide, item Reformatorum, ubi speciatim multa dicta sunt de Bibliis criticis. Quo pacto apud Reformatos per Joannem Coccejum alia exorta sit Theologiæ exegeticæ facies, ac qualis Theologiæ Propheticæ a Coccejanis maxime cultæ sit ratio, itidem fuse declaratur, quod & in aliis argumentis factum est, de typica Scripturæ explicatione, itemque de Hugonis Grotii & Joannis Clerici laboribus exegeticis. Denique in hoc capite deprehendimus elegantem atque accuratam Historiam scriptorum harmonicorum, præsertim quoad quatuor Evangelistas, ac Concordantiarum Biblicarum. Prout ex hisce speciminibus, quæ ex Isagoge hac, opere sane præstantissimo, dedimus, facili negotio colligi potest, quantus apparatus doctrinæ divinioris ac Historiæ litterariæ aliarumque scientiarum in ista sit collectus; ita omnia ea scribendi ratione sunt tradita, quæ celeberrimi Autoris est propria, id est pura, perspicua atque eleganti. Præterea tam nitide atque accurate opus hocce impressum est, ut vix in illo quædam operarum errata deprehendantur. Meritorum igitur, quibus S.R. Autor noster jam per plures annos & Ecclesiam purioremque religionis nostræ doctrinam ac rem litterariam egregie exornavit, ut & celebritatis nominis per Isagogen hanc insignis facta est accessio.

p. 1517. 1543. 1624. 1635. 1672. 1720. 1727. 1738. 1765.

PHÆDRI,

PHÆDRI, AUGUSTI LIBERTI, FABULARUM Æsopiarum Libri V, cum novo Commentario PETRI BURMANNI. Accessit Epistola Critica Anonymi de BENTLEJI Emendationibus Phædri.

Leidæ, apud Sam. Luchtmans, 1727, 4. Alph. 2 pl. 12.

POst tres editiones Phædri, quas diversis temporibus in lucem emisit Celeb. *Burmannus*, haud facile novum hunc Commentarium adornare in animum induxisset, nisi ortæ haud ita pridem Criticorum duorum in Anglia concertationes & in Phædro tentatæ emendationes eum excitassent. Vix ediderat Vir summus *Rich. Bentlejus* Phædrum suum, Terentio annexum, cum Anonymus quidam, quem *Franciscum Harium* esse nonnulli suspicantur, Epistola Critica omnes Bentleji notas & emendationes expenderet, plerasque rejiceret, earumque loco alias substitueret. De utroque scripto, & Phædro Bentleji, & Anonymi Epistola Critica, (quæ & novæ huic Burmannianæ editioni subjuncta est, sed nunc a nobis silentio transmittetur) diximus in Actis hujus anni M. Jan. p. 18 & 22. In utroque autem audacter nimis Phædrum suum emendatum videbat Celeb. Burmannus. Indignabatur, vulgatam lectionem toties sine causa rejectam esse, ipsas conjecturas tam nudas proponi, denique MSptorum Codicum, & olim impressorum nullam fere rationem haberi, sed ab utroque Viro docto conjecturis nimium quantum tribui. Hac re impulsus novum hunc Commentarium concinnavit, quo veterem lectionem contra novas conjecturas late tuetur ea modestia, quæ debetur summo Critico & amico veteri Bentlejo, eaque eruditione, quæ jam pridem litterarum elegantiorum cultoribus nota est. Et ne forte exemplum hoc Anglorum Criticorum in magnum Reip. litterariæ detrimentum vergeret, eruditam Præfationem præmisit, qua & consilium suum pluribus tuetur, & contra Criticam temeritatem egregie disputat: quam ut omnes ferociores & audaculi hujus artis alumni legant, optamus. Rumor quidem fuit, Celeb. Bentlejum, facto Burmanni vehementer accensum, multa illi mala minari: sed humani-

Digitized by Google

manitas & modestia optimi Burmanni, qua in examinandis aliorum conjecturis usus est, eum satis munire videntur: neque adeo verosimile est, Bentlejum hanc operam Amici in pessimam partem posse accipere. Aliud etiam meritum eruditæ Præfationis memorare debemus. Absoluto jam Phædro nunciatur Celeb. Editori ab erudito Batavo, in Italia cum maxime degeate, *Jacobo Philippo Dorvillio*, repertum illic esse codicem Perotti, cui Fabulæ quædam Phædri, licet mutilæ, insertæ sint. Triginta fere erant, quas omnes una cum aliis eodem codice comprehensis descriptas ad Burmannum misit Dorvillius. Harum varias lectiones Præfationi subjunxit, quæ multas emendationes Heinsii, Gudii, Gronovii aliorumque confirmant. De Commentario ipso hoc dicimus, eum vere novum, ut Celeberr. Autor nominat, esse: adeo parum aut nihil potius cum observationibus, quas olim vulgavit, commune habet. Non autem tantum ad loca, tentata ab aliis & sollicitata, multa contulit; sed etiam ubi aliæ dictiones singulares, aut obscuriora quædam, quæ ad ipsas Fabulas pertinent, occurrebant, operam suam desiderari non passus est Burmannus, quin ex antiquis Latinis Græcisque scriptoribus lucem tœneraretur. Ad genus posterius annotationum ea imprimis pertinent, quæ principiis Fabularum plerarumque ex diversis scriptoribus adjecta sunt, ut Lib. IV Fab. II, III, VII, VIII, & passim: nec non quæ Lib. III Fab. XIV v. 4 de *Derisore*, Fab. III v. 1 de *usu perito*, & aliis infinitis, ut & de sensu historico aliquot fabularum hic illic notantur. Hoc etiam addendum est, hic illic conjecturas suas eruditissimum Editorem attulisse, quæ non improbandæ videntur: obiter etiam semel atque iterum aliorum autorum loca emendasse. Sed id non agimus, ut omnia laudabilia hujus editionis conquiramus: cum inter omnes jam abunde constet, qualia a politissimo ingenio in hoc litterarum genere proficisci soleant. De priore tamen notarum genere, quibus vetus scriptura contra novas sollicitationes vindicatur, necessario quædam dicenda sunt, ut appareat, quam bene hæ vindiciæ cesserint. Lib. I Fab. I v. 3 Bentlejus cum Rittershusio maluit: *tunc* fame *improba Latro incitatus*, sed rectissime Burmannus MS. lectionem: *fauce improba incitatus* tuetur, quam diversa ex ratione defendebat Anony-

mus. Fab. II v. 14, *vadi motu*, & v. 22, *alium* rogantes *regem misere ad locum*, pro Bentleji *vadis* & *rogatum* ſervat. Fab. IV v. 4 non improbat Bentleji emendationem, quam & ſuam facit Anonymus: *Aliamque prædam ab alio* cane *ferri putans*; meliorem tamen putat eam, quam Cl. Cuninghamius ex Nilantiano ſcriptore hauſit:

Aliamque prædam ab altero *ferri putans.*

Fab. V v. 7 ſcribebat Bentlejus: *Ego primam tollo* nomine hoc, *quia* ſum *leo*; at Burmannus ex Nilantiano Anonymo, unica tantummodo littera addita, ſuccurrit vulgatæ: *Ego primam tollo partem, quia* dominor *leo*: Gudii conjecturam alteram: *nominor quia Creon*, plane rejicit, & applaudit alteri: *nominor* Rex *quia Leo.* Fab. VI ineunte emendabat Bentlejus: *Vicini* ut *furis celebres vidit nuptias Æſopus*, ſic *continuo narrare incipit.* Hoc diſplicuerat Anonymo Bentleji cenſori, & Burmannus probe docuit, neque Phædri concinnum narrandi modum, neque Ovidii aliorumque mores has particulas admittere, ſed recte vulgatam habere: *Vicini furis c. vidit. n. Æſopus*, & *continuo narrare incipit.* Fab. XI princ. Bentlejus repoſuit: *Virtutis expers, verbis jactans* gloria *Ignotos fallit*; ſed interpretatione vulgatum: *verbis jactans gloriam*, tuetur Burmannus. Fab. XIII v. 2 malebat Bentlejus ex MS. & edd. primis: *Fere dant pœnas turpi pœnitentia*, ſed Burmannus aliorum: *Seræ dant pœnas turpes pœnitentiæ*, præfert, & bene ipſam pœnitentiam pœnam eſſe ait, ſed exempla: *pœnas oppetere ſuperbiæ, pœnas pendere erroris* &c. diverſa omnino ſunt a Phædri locutione, & ſenſu, quem notavit Cl. Editor. Lib. II Fab. I v. 12 emendabat Bentlejus: *Verum* hodie *aviditas dives eſt, pauper pudor*, ſed id nulla ſpecie factum eſſe, affirmat Burmannus, qui vulgatum: *Verum eſt aviditas dives, & pauper pudor*, ſervat. Fab. IV princ. malebat Bentlejus: *Aquila in* ſuprema *quercu nidum fecerat*, quia ſequitur *media* & *ima* quercus. Sed Burmannus vulgatam: *in ſublimi quercu*, defendit. Verum enim vero non adeo occupatus eſt amore vulgatæ lectionis Cl. Burmannus, ut nunquam eam vitioſam judicet: ſed hic illic etiam emendationes Bentleji aliorumque laudat. Præterea & de reliquis interpretibus, eorumque curis, ut de Jac. Gronovio, Gudio, Hoogſtratano,

Digitized by Google

tano, Richtero aliisque judicium suum attulit, adeoque in omnem partem, ut solet, optime de Phædro suo promeritus est.

TIBULLUS CORVINIANUS, SEU ALBII TIBULLI Triumviri Poetices, quæ superſunt. E Codice MS. Matthiæ Corvini Regis Hungariæ recenſuit SAM. KOELESERIUS a KERES-EER.

Claudiopoli, impreſſit Samuel Pap Telegdi, 1727, 8. Plag. 5.

INter illas cauſas, quæ Illuſtrem *Kœleſerium* impulerunt, ut hunc Tibullum luci exponeret, primaria fuit, quod inciderit in MSptum Codicem Tibulli, ex libris, qui quondam Matthiæ Corvini Regis Hungariæ fuerunt. Hunc quia ab editione principe Veneta, quam ſolam tunc in manibus habebat, multum diſcrepare animadvertebat, operæ pretium ſe facturum credidit, ſi Tibulli contextum ita, ut in dicto codice exſtat, eruditis repræſentaret. Inde & appellatio *Tibulli Corviniani* fluxit: quanquam & propter Corvinum Meſſallam, in cujus contubernio Tibullus aliquando fuit, Poetam hoc veluti cognomen mereri, cenſeat Illuſtr. Editor. Aliam inſcriptionem, quæ erat in codice: Tibulli *equitis Regalis*, recte errori tribuit librarii, qui ſorte nullos, niſi Regales noverat equites, & litteram R, quæ *Romani* notabat, non melius, quam per *Regalis* interpretari poterat. Ejusdem inventum eſt titulus: *Triumviri Poetices*; cum fortaſſe Triumvirum Amorum vocare voluiſſet. Codicem ipſum Corvinianum non valde vetuſtum, ſed ipſa editione Veneta viginti circiter annis juniorem eſſe, ex Præfatione diſcimus. Nihilo minus ſcripturæ ejusdem, & maxime ordo verſuum, qui mirum quantum ab recentioribus editionibus paſſim diverſus eſt, non ſemper rejicienda videntur. Nempe jam Joſ. Scaliger de turbato verſuum ordine in Tibullo conqueſtus eſt, & multum ſibi placuit, quod confuſionem iſtam ipſe primus, in prima potiſſimum Elegia, ſuſtulerit. Ex hoc genere quædam afferre, inſtitutum noſtrum non patitur: at lectionum aliquot diverſitates, ſpeciminis cauſa, adſcribemus. Eleg. I v. 74 Codex Corvinianus habet: *Et tenear moriens deficiente*

manu; sed melius vulgatæ edd. *te teneam moriens deficiente manu.* Eleg. II v. 54 ille: *ter dictis* exſpue *carminibus;* at vulgatæ: *deſpue.* Eleg. III v. 34 ille: *maſcula tura,* more Maronis: quod etiam Brockhuſius ex duobus MSS. annotavit, vulgato tamen *menſtrua tura* non prætulit. Eleg. IV v. 7 ille: *Bacchi reſpondit ruſtica pubes;* vulgo: *reſpondet r. proles.* Verſ. 38 habet *picea ferrugine,* non *picta:* illud in quatuor MSS. etiam Heinſius reperit. Eleg. VI v. 4, quæ tamen Elegia in MS. ſuperiori quintæ, ut in Scaligeri, Grævii aliisque edd. factum eſt, annectitur: *Admonuit dominæ deſtituitque Venus,* pro vulgato: *deſeruitque Venus,* quæ verba perpetuo a librariis confunduntur: qualis & illa varietas eſt Eleg. VII v. 46: *Et fluit effuſo cui toga laxa ſinu,* ubi editiones: *Effluit.* Eadem Eleg. v. 78 memorabilis lectio occurrit: *propria proripiarque manu,* ubi vulgatæ: *properus proripiarque vias,* Brockhuſius ex conjectura Heinſii: *pronas per rapiarque vias.* Ex his jam ſatis apparet, non male collocaſſe operam ſuam Illuſtr. Editorem, cum ſcripturam Corviniani Tibulli publici juris fecit, omnesque, qui interiores litteras amant, vel propterea ſtudio illi favebunt, quod Virum illuſtri dignitate conſpicuum, in ultima Dacia rebus agendis aliquod tempus ſubtrahere videant, quo de politiore litteratura bene mereatur; multo magis ſibi devincturum harum literarum ſtudioſos, ſi Catullum quoque & Propertium Corvinianum, ut ſpem fecit, pari modo in publicum emittat.

MISCELLANEA BEROLINENSIA, AD INCrementum Scientiarum ex Scriptis Societati Regiæ Scientiarum exhibitis edita Continuatio II, cum figuris & Indice materiarum.

Berolini, ſumptibus Ambroſii Haude, 1727, 4. Alph. 1 pl. 21.

PRimam hujus Operis Continuationem recenſuimus in *Actis* noſtris A. 1723 p. 521 & ſeqq. Prodiit nunc ſecunda, in tres partes diſtributa; quarum una continet res Phyſicas & Medicas, in priori Continuatione omiſſas; altera Diſſertationes Mathematicas

ticas & Mechanicas, tertia literarias. In Parte prima primum locum occupant *D. Aug. Buddei* Obſervationes Anatomicæ ſelectiores quatuor; de Fabrica Sinuum Cranii, eorumque aperturis in Cava Narium; de ſectione Maniacæ & in ea reperto Ovario intus Steatomatoſo-piloſo; de Excreſcentia ſcirrhoſa piriformi adhærente externæ ſuperficiei fundi uteri; de Coliea lethali ex rupto Apoſtemate ſub Diaphragmate, convexam hepatis partem occupante. Sequitur *J. H. B.* Med. Doctoris Annotatio de polline plantarum, ex epiſtola ad Amicum, cum Excerpto ex Reſponſione. *J. L. Friſchius* novam rationem proponit ſolvendi quatuor poſteriores verſus ænigmatis Baſilii Valentini, cujus Tomo I horum Miſcellaneorum mentio facta eſt. Idem ſingularem & antea inauditum oſtendit modum, quo renovare corticem arborum fructiferarum ſolitus eſt cum optimo ſucceſſu Vir Generoſiſſ. *de Hünekèn*. Is, inquit, ſi quam pomorum aut pirorum videt cortice aſperiore, aut ceraſum reſinam exſudantem & tuberibus deformem, vel alia quacunque ratione ſuſpectam, qua fœcunditas arboris propter corticis defectus impeditur, aut ſequentibus annis impediri, vel ſtipitis pulchritudo maculari poſſit, non vulgari modo de ſanitate earum ſollicitus eſt; non partem aliquam exterioris corticis ſolvit & aufert; non reſcindit nodulos & emplaſtris vulnus curat; non venas ſecat; ſed, quod mireris, totius ſtipitis corticem, a primo ſive inferiori ramo, vel a corona primorum ramorum, quam inferiores ſcienter cultarum arborum rami formant, usque ad terram detrahit. Et quidem non tantum exteriorem & duriorem, ſed & interiorem & ſubtiliorem fibram, ita ut album lignum, ablatis etiam tenuiſſimis & viridioribus fibris, ubique æque appareat. Circa quam curandi methodum ſequentia notari debent: 1) *Tempus ſolſtitii æſtivi obſervetur*, quo tempore ſuccus arboris liquidior & copioſior fluit; habita ſimul ratione ſitus horti vel loci arborum, quia in ſitis verſus meridiem citius fluere incipit ſuccus, alibi tardius. 2) *Cortex omnis in ſtipite detrahatur;* inæqualitas enim manentis & renaſcentis partis arborem valde deformem redderet. 3) *Succus exſudans penna anſerina æquetur, ubicunque ſtagnat, & adſpatia nondum tecta trahatur.* 4) *Ne Solis æſtus hæc ſucci effluvia impediat, umbra*

ſtipiti nudato fiat; potiſſimum in parte meridionali, expanſis linteis, vel connexis & erectis arundinibus, vel quocunque alio modo pro loci commoditate; eodemque pacto etiam ventorum impetus arceatur, ne pulvere vel arena noceant. 5) *Abſint denique omnia, quæ tactu quocunque novum & adhuc mollem coreticem maculare poſſint*, cujus teneritas tanta eſt, ut vel minima frictione lædatur. Idem *J. L. Friſchius*, qui Deſcriptionem Inſectorum Germaniæ ſuſcepit, & imprimis Marchiæ Brandenburgicæ, jamque Partes V hujus laboris edidit, Indicem hoc loco Hiſtoriæ ſuæ Inſectorum exhibet. Sequuntur ejusdem Autoris Obſervationes variæ, de Eruca Canalicola, & de Papilione qui ex ea fit; de Inſecto, quod foliorum pediculos, gallice *pucerons*, vocant; de Iſpida ſive Halcyone; de tæniis in anſerum inteſtinis, itemque in piſcibus, avibus & muribus; de Anatomia lumbricorum in viſceribus, ad confirmandam hypotheſin, lumbricos illos eſſe larvas ſeu (ut vocant) nymphas tæniarum. Has Obſervationes excipiunt nonnullæ relationes & meditationes *G. Holſtii*, *Caſp. Neumanni*, & Autoris anonymi, de aqua per putrefactionem rubra, vulgo pro tali in ſanguinem verſa habita. Sequentes paginas occupant, *Ern. Conr. Holzendorffii* Obſervatio Practico-Chirurgica, de inflammatione oculi, cum carie orbitæ; Excerptum ex *M. D. Jobrenii* Diſſertatione inedita, de novo hygroſcopio, quod ex ſemine Geranii mediæ magnitudinis & caudato (quale eſt Geranium Cicutæ folio moſchatum) confecit; *Caſp. Neumanni* Diſquiſitiones de camphora, de experimento perquam uſitato ſed plane falſo, probandi ſpiritum Vini Gallici, (infunditur ſcilicet ſolutio martis in acido vitriolico, quo facto flavus color ſpiritus vini in cæruleum mutatur, quod idem in ſpiritu frumenti effici poſſe docet Autor, ſi illi antea color flavus ſpiritus vini, ope vegetabilis adſtringentis, imprimis ligni quercini, fuerit conciliatus) & de ſpiritu urinoſo cauſtico; *N. Spieſſii* Eductio ſalium vegetabilium magis Eſſentialium, per ſpiritum vini rectificatiſſimum; *Jo. Henr. Pott, M.D.* Hiſtoria Experimentorum & *Φαινομένων* in ſolutione calcis vivæ cum ſpiritu nitroſo occurrentium; tandemque *Jo. Jac. Scheuchzeri* Obſervationes Meteorologico-Medicæ.

In

In Parte ſecunda primo loco comparent Obſervationes *Jac. Hermanni* in ſchediasma, quod Dom. *Rolle* cum hac Inſcriptione: *Eclairciſſements ſur la Conſtruction des Egalitez*, in Commentariis Academiæ Regiæ Scient. 1708 edidit. His proxima eſt *C. G. Hertelii* methodus, alibi & peculiari libro ab Autore jam expoſita, qua lentes parabolicæ, hyperbolicæ & ellipticæ, facili negotio elaborari atque poliri poſſunt. *Chriſtfried Kirchius* de Diametro Jovis apparente, de antiquiſſima Obſervatione Aſtronomica, ſcilicet notabili illa Conjunctione Planetarum, ſub Chuen-hio Sinarum Imperatore facta, de variis Conjunctionibus & occultationibus ſtellarum, de latitudine Brandenburgenſi & Hamburgenſi, de declinatione magnetis A. 1725 Menſe Jun. obſervata, de Cometa, qui apparuit A. 1718, deque illius longitudine, latitudine, declinatione, aſcenſione recta, culminatione, ortu & occaſu, velocitate, diſtantia a terra, perigæo, & parallaxi, tandemque de Eclipſi Lunæ totali A. 1725, diligenter atque accurate diſſerit. *Phil. Naudæus*, Senior, Collectionem notarum quarundem affert, Geometriæ practicæ facilitatem afferentium. Junior vero *Naudæus* ſequentia tria theoremata demonſtrat. Primum ad Geometriam practicam ſeu rectilineam ſpectans atque ab Ozanamo ſine demonſtratione exhibitum ita ſeſe habet: *Additis in unam ſummam quatuor Quadrilateri circulo inſcripti lateribus, de dimidia ſumma ſeorſim tollatur quodvis latus, & in ſe invicem multiplicentur quatuor illi exceſſus, ut in producti illius planoplani radice quadrata obtineatur area quæſita.* Longam hujus propoſitionis demonſtrationem excipiunt duæ breviores duorum theorematum ad Arithmeticam infinitorum pertinentium: quorum alterum hoc eſt, *ſummam ſerici infinitæ quartarum potentiarum numerorum naturalium a cifra incipientium, ſe habere ad totidem terminos maximo æquales ut 1 ad 5:* alterum iſtud, *ſummam ſerici infinitæ quintarum potentiarum ſe habere ad totidem terminos maximo æquales ut 1 ad 6.* Hæc duo theoremata nec geometrice nec algebraice, ſed eodem fere modo, quo uſus eſt Celeb. Wallifius pro potentiis inferioribus, per inductionem demonſtrat Clariſſ. Autor; ſcilicet oſtendendo, quo plures ſerici termini ſumantur, eo propius illorum ſummam, reſpectu ſummæ totidem

ter-

terminorum maximo æqualium, ad rationem commemoratam accedere; id quod subducto rite calculo ante oculos ponit. Atque *sic tandem*, inquit, *patet veritas Propositionis Wallisianæ pro potentiis quartis & quintis, quam in Tractatu suo de Arithmetica Infinitorum tradidit, opere sane omni laude majori; etenim vero est simillimum, huic potissimum deberi nunquam satis demirandum opus Illust. Newtoni de Quadratura Curvarum, - - - Tractatum autem illum de Quadratura Curvarum* (ita pergit Cl. Naudæus) *quem summum quendam humani ingenii apicem vere dixeris, paucis extra Angliam rite perspectum intellectumque fuisse, multa sunt quæ mihi persuadent. - - - Docet enim peregregius libellus, quantitatum integrabilium omnium Integrales restituere, cum interim videam, maximi nominis Mathematicos tantum desudasse circa illam materiam, nec dum alium dari quempiam, qui completum calculi integralis Tractatum ediderit.* Ceterum *quod ad illas differentiales attinet* (sunt etiamnum verba *Naudæi*,) *quarum Integrales terminis numero finitis Algebraicis exprimi nequeunt, nonnullarum quidem docet laudatus liber reddere atque exprimere Integrales, per areas sectionum conicarum; hic autem, ubi desinit Illust. Newtonus, incepit invito nimis atque immaturo fato præreptus Cl. Rogerus Cotesius, in aureo illo suo de Harmonia mensurarum tractatu. Cujus perinde ut prioris Tractatus mihi nuper explicationem conscribere contigit, olim forte, si qua tulerit occasio, publici juris faciendam.* Hæc Vir doctissimus; qui deinceps, ne forte nimiis laudibus horum Tractatuum præstantiam extulisse videatur, aliquo id exemplo comprobare satagit, dum scilicet, coronidis loco, Problema quoddam proponit, universaliter ac serie transcendentali solutum, cujusque solutionem omni alii integrandi viæ vix perviam, atque illi de *Quadratura Curvarum* Tractatui potissimum esse debitam, pronuntiat. Est autem Problema hujusmodi: *Quæritur arcus rectificatio, sive recta linea, geometrice æqualis arcui Parabolico, ab axis vertice ad quamlibet usque ordinatim axi applicatam intercepto, cujus quidem Parabolæ natura hac æquatione possit exprimi,* $x^m = a z^{m-1}$, *ubi* m *designat integrum numerum quemvis imparem; id est, parabolarum omnium, in quarum*

æqua-

CL. Autori propositum est res corporeas a Deo creatas exponere, ut auditores sui divinas perfectiones, ex hoc mundo adspectabili ubivis elucescentes, perciperent atque ad virtutem & pietatem instigari possent. Ex optimis adeo Autoribus, cum veteribus, tum recentioribus imprimis, quos constanter laudat, *Boylæo, Francisco Bayle, Cartesio, Clarkio, Borello, Keillio, Whistono, Sturmio, Gravesandio, Francisco Tertio de Lanis, Guerickio, Hallejo, Mariotto, Perraltio, Keplero, Gassendo, Verulamio, Leibnitio, Newtono, Wolfio, Thümmigio* aliisque ea collegit, quæ in rem suam esse judicavit & ad captum tyronum exposuit, omnia more Mathematicorum in definitiones, hypotheses, propositiones, observationes & scholia redigens, neglecta tamen intrinseca methodi demonstrativæ forma, quam instituto suo parum commodam judicavit.

Præmissis Philosophiæ naturalis prolegomenis de Philosophiæ ortu ac progressu, nec non de methodo & fine philosophandi, ipsam Philosophiam naturalem in duas partes dividit. Earum prima generalis est atque in duos libros subdividitur. Primus horum agit de ortu mundi, causa nempe efficiente; modo, tempore & fine, quo is fuit productus; ejus finitate, unitate & figura; conservatione denique & gubernatione; secundus vero de corporibus in genere consideratis, eorum nempe essentia & attributis, formis, elementis, qualitatibus, motu & quiete, loco & spatio (ubi simul mechanica, hydrostatica & hydraulica tractantur) atque de sensibus, tactu, visu, auditu, gustu, odoratu. Pars altera specialis est & pariter in duos libros subdividitur. Eorum primus de corporibus mundanis, Sole, Mercurio, Venere, Tellure, Luna, Marte, Jove, Saturno, stellis fixis, Cometis, Astrologia divinatrice disserit, &, cum Cl. Autor Tellurem comtemplatur, ea quoque considerat, quæ sunt in Tellure, & tum intra, tum supra eandem. Secundo vero libro systemata mundi, Ptolemaicum, Copernicanum & Tychonicum in conspectum producuntur. Sed a gedum! videamus nonnulla specialiora, ut, quomodo scopum sibi præfixum Cl. Autor fuerit consecutus, judicare detur. Methodum philosophandi eclecticam defendit, quod 1) & veteres, & recentiores Philosophi celebrioris nominis eam fuerint se-

cuti, 2) impossibile sit, ut prisci omnia naturæ arcana investigaverint, nec ullus recentiorum veritatem in omnibus assecutus, 3) hac methodo Philosophorum quorumvis sententias ad examen revocare licet, ne temere receptis opinionibus subscribamus, & 4) ea, quæ priorum seculorum Philosophi invenerunt, noscere, errores emendare atque ex iis nova subinde in lucem protrahere possimus. Finem philosophandi constituit mentis nostræ ad Dei perfectiones conformationem, ejus cultum ac virtutum exercitium, atque superstitionis & idololatriæ fugam. Mundum non esse æternum, probat per ejus durationem & conspicuum in eo ordinem, profanæ historiæ originem & artium recentem inventionem, mundi inhabitationem, convenientiam historiæ profanæ cum Mosaica, quam certum initium sumsisse ex revelatione constat, & perfectionum divinarum cum æternitate mundi repugnantiam. Modus creationis cum per rationem definiri nequeat, *Cartesii* in eo explicando conatum reprehendit & inutilem operam consumsisse censet *Amerpœlium* atque *Morum* in hypothesi *Cartesiana* cum historia creationis *Mosaica* concilianda. Finem ultimum creationis mundi constituit demonstrationem perfectionum divinarum & subordinatum usum, qui ex eo in hominem redundat. Essentia corporis, judice nostro, in extensione impenetrabili consistit, cum hoc illud deprehendatur, quod corporibus omnibus ita commune, ut salva eorum natura abesse nequeat, iisque semper atque primum insit. Jungit extensioni impenetrabilitatem, ne cum *Cartesianis* spatium cum corpore confundat. Ex ipsa Dei atque mundi natura patere ait, quod Deus eum conservet atque gubernet. Spatium disseminatum probat, quod aliàs motus foret impossibilis, & in omni medio eadem resistentia, pondusque corporum omnium in eadem a terra distantia idem. Probat argumenta *Keillii*, quibus in adstruendo spatio vacuo usus, & *Andalæ* tria argumenta rejicit, quibus is sententiam *Cartesii* contrariam defendit. Disputat etiam contra *Raphsonum*, qui spatium pro attributo primæ causæ, ejus nimirum immensitate, venditat. Arte humana spatium vacuum effici posse, phænomenis antliæ pnevmaticæ ac tubi *Torricelliani* evincere conatur. Rejectis *Aristotelis*, *Chymicorum*, *Cartesii* de elementis opinionibus

Digitized by Google

bus tandem concludit, illos naturæ rerum convenientius ac cautius philosophari videri, qui unicum statuunt omnino corporum commune elementum vel principium, substantiam extensam impenetrabilem. Definit autem elementa, quod sint corpora quædam naturalia completa & perfecta, ex principiis orta ac confirmata, peculiarem naturam habentia, ex quorum congerie & varia concretione totus mundus & singulæ illius partes exortæ sunt atque confectæ, & in quæ resolvi iterum possunt. Qualitates corporum manifestas ex varia particularum dispositione deducit: præter eas vero alias agnoscit a Deo certo fine materiæ inditas, qualem cum Anglis nonnullis modernis gravitatem esse defendit. Unionem particularum in corporibus duris a vi attractrice, quæ itidem qualitas impressa est, cum *Newtono* derivat: vim tamen elasticam a causis mechanicis, quam a vi illa attractrice, deducere mavult, probans *Sturmii* de hypothesi posteriori sententiam, quod mutua illa partium attractio & vis contraria se invicem fugandi non sint nisi alia nomina elasticæ virtutis vocabulo receptiori surrogata. Scholasticorum qualitates occultas e Philosophia naturali eliminandas esse decernit, quod autores ignorantiæ suæ latebras in iis quæsiverint, quam ingenue profiteri consultius judicat. Causam motus primam & universalem Deum agnoscit, eumque ab eodem conservari statuit. Gravitatem universalem *Newtonianam* speciosam & valde probabilem vocat hypothesin pro lege naturæ habendam, *Gravesandii* rationum fiducia, quas pro vi attrahente & repellente primitiva in Philosophiæ *Newtonianæ* Elementis adduxit. In Mechanica, hydrostatica & hydraulica Mathematicorum propositiones explicat, atque *Wolfii* Elementa Matheseos, *Keillii* introductionem ad veram Physicam, *Gravesandii* Elementa Philosophiæ & *Francisci Tertii de Lanis* Magisterium naturæ & artis cum *Rebaulti* Tractatu de Mechanica & *Clarkii* in ejusdem Physicam notis commendat. Sensus omnes ad tactum referri posse censet, quod omnia corpora nonnisi per contactum agant in organa sensoria externa. Potentiam particulis igneis tantam indidisse Deum pro sapientia & bonitate sua pronunciat, ut corporum durissimorum nexum dissolvere valeant, nec opus esse censet alias ejus quærere causas naturales.

Ubi

Ubi de qualitatibus factilibus agit, multus quoque est in thermoscopiis eorumque phænomenis describendis: de visu vero cum differit, opticorum dogmata explicat, & circa microscopiorum constructionem ad *Wolfii* imprimis Elementa lectorem remittit, atque in tuborum constructione eidem *Gravesandium*, *Hartsækerum*, *Hugenium* &c. jungit. De coloribus tractans, *Newtoni* inventis applaudit, quæ in singulari Opticæ opere orbi erudito impertitus est vir summus. Quodsi cui, quæ a *Newtono* docte & subtiliter disputata sunt, paulo obscuriora videantur; eos ad *Gravesandium*, *Clarkium*, *Wolfium* & *Lotharium Zambach de Kærfeld*, Mathematicum Cassellanum, qui nuperrime rebus humanis ereptus Cl. *Thümmigium* successorem nactus est, in singulari de essentia colorum apparentium & natura iridis dissertatione ablegat. In auditu illustrando dum versatur, refert, *Leusdenum*, Collegam suum, in capite humano detexisse membranam tympani foramine perviam, quemadmodum a *Rivino* nostro primum fuit repertum. Tubæ stentoriæ inventionem *Morlando*, Equiti Anglo, tribuit, & *Sturmii* de ejus phænomenis rationes probat. Solem esse corpus igneum largitur, & maculas solares esse nubes solares, quemadmodum censent *Hookius* atque *Wolfius*, omnium probabilissimum nostro videtur. Explicat quoque methodos Astronomorum de investiganda distantia Solis a terra, & circa difficultates, quæ lectori supereste poterant, lectorem ad *Whistonum* atque *Wolfium* remittit. Singulorum planetarum phænomena, quæ recentiorum præsertim Astronomorum observationibus debentur, curate describit. Dissensum recentiorum, *Newtoni* præsertim atque *Cassini*, aut, quem ipse laudat, *Childrei* de figura telluris in medio relinquit: *Burneti* vero opinionem tanquam falsam rejicit, utpote Mosi adversam, cum montibus, maribus atque fluminibus ante diluvium nullum relinquat locum. Ceterum ubi de Tellure in genere agit, ea una recenset, quæ in Geographorum libellis traduntur: hypothesin autem *Ivonis Gaukesii* de diluvio, Bibliothecæ Bremensi insertam, ceteris probabiliorem judicat, quas dedere alii. Inter ea, quæ sunt in tellure, bruta, plantas & aquam, refert: unde ipsi nascitur occasio differendi de quibusdam generalibus brutorum & plantarum phænomenis, imprimis autem

de

Digitized by Google

æquatione Index dignitatis ordinatim applicatæ sit integer numerus quilibetcunque impar, abscissa autem dignitas sit idem ille numerus unitate minutus. Solutio hæc est: Si ponatur $P = \frac{mm-2m+1}{mm}$; $Q = \frac{x}{a}$; $n = \frac{m-3}{3}$; $r = \frac{2}{m-1}$; F æquale producto terminorum omnium positivorum in se invicem ductorum, m; m−2; m−4; m−6 &c. atque A æquale producto terminorum omnium negativorum in se invicem ductorum, 3-m; 5−m; 7−m &c. erit semper linea recta proposito cuicunque arcui parabolico geometrice æqualis, $-\frac{Am}{F} a \times P^{m:2} + \frac{1}{2} am \int (P+Q^r)^s$ ductum in $\frac{2AP^{s-1} - \frac{3}{4}BP^{n-1}Q^r - \frac{5}{6}CP^{n-2}Q^{2r} - \frac{7}{8}DP^{n-3}Q^{3r} - \frac{9}{10}EP^{n-4}Q^{4r}}{F}$ &c. Illa autem series, quæ semper converget, eatenus est Newtonianis seriebus similis, quod hic quælibet quantitas B, C, D &c. semper designet coefficientem integrum termini immediate præcedentis, atque ita $B = 2A$; $C = -\frac{3}{4}B$; $D = -\frac{5}{6}C$ &c. At contra hæc series a Newtonianis in eo differt, quod cum in iis semper evanescat terminus, in quo occurrit A vel B = 0, hic contra ille terminus manere debet, citra ullam per A vel B multiplicationem. Postremo notandum, quod hic æque ac in Newtoniana illa serie, in qua expressit cujuscunque gradus potentiam quamlibet perfectam imperfectamve omnis Binomii, observari debeat, quod ille terminus, in quo ipsius P index dignitatis *n*, vel *n*−1, vel *n*−2 &c. fuerit nihilo æqualis, debeat esse terminus ultimus, in quo quidem series definit atque convergit. Sed nunc ad sequentem *Olai Rœmeri* epistolam progrediendum est, quam scripsit ad *G. G. Leibnitium*, de Instrumento Astronomicis observationibus serviente, a se invento. Et quidem non modicum se recedere ait Vir incomparabilis ab eorum sententia, qui hucusque Observatoria adornarunt, ad pompam magis quam ad usum, & instrumenta potius ædificio, quam ædificium instrumentis accommodarunt. Pariter se abire ab aliorum opinione in ordinandis instrumentis commemorat, cum Quadrantum & Sextantum usum plane abrogandum censeat, magis fidens

integro circulo 4 pedum, quam Quadranti circuli decempedalis. Divisiones instrumentorum, inquit porro, nec per transversales nec per cochleas rite fieri posse autumo, imo ne in gradus quidem, seu determinatas circuli partes, effingere allaboro, sola æqualitate, exiguitate punctorum, & æquabilitate intercapedinum contentus. Et paullo post, ex magna prainde, inquit, cogitationum farragine hac vice desumam articulum de instrumento, cui uni aptum ædificium jam per 25 annos exoptavi, sed nunquam obtinere licuit, omni ex parte voto satisfaciens. Instrumentum est

Fig. 1.



Fig. 1.

axis meridiani sex pedes longus, volubilis circa polos A, B, muris solidis innixos, in medio portans firmiter affixum circulum E, meridianum 4 vel 5 pedum diametri, cum tubo C D, 6 vel 8 pedum, qui volutus in axi A B totum meridianum prosequitur ad ipsos horizontes, ut 4 vel 5 gradibus non absit. Ipsum instrumentum inclusum esse debet Cameræ tectæ, cujus latitudo 6 pedum, quæ murorum est distantia; longitudo secundum meridianum 30 vel 25 pedum ad minimum; altitudo non infra 20 pedes. Ut vero tubo circumvoluto meridianus totus pateat, & tectum & parietes rimam continuam habebunt 4 pollicum, par-

Fig. 2.


Fig. 2.

tibus Cameræ ita fere bisectæ saltem per aliquot trabeculas ferreas cohærentibus. Usus instrumenti erit in determinandis Ascensionibus rectis & Declinationibus omnium punctorum visibilium in cœlo; istis quidem per horologia, his per circulum axi tuboque cohærentem.

Quæ hanc Epistolam sequuntur disquisitiones mathematicæ hæ sunt: *M. Gothofr. Teuberi* Conamen ad probandam Lunæ atmosphæram; *Petri Varignonii* Schediasma de dimensione superficiei coni ad basin circularem obli-

obliqui, ope longitudinis curvæ, cujus, (licet non ordinariæ sed transscendentis) constructio a sola circuli quadratura pendet; additio *G. G. L.* ostendens explanationem superficiei conoidalis cujuscunque, & speciatim explanationem superficiei coni scaleni, ita ut ipsi vel ejus portioni cuicunque exhibeatur rectangulum æquale, interventu extensionis in rectam curvæ, per Geometriam ordinariam construendæ; denique *Jo. Wilh. Wagneri* Observationes & Annotationes quædam circa Eclipses Solares & Lunares.

Reliquum est, ut de Parte tertia horum Miscellaneorum nonnulla commemoremus. Continet ea res litterarias. Et primo quidem loco *J. P. L. B. D. G.* monetam antiquam Regis Pribislai perlustrat, in qua lupus, gentis Sclavorum signum, inter duas stellas conspicitur, cum his verbis in ambitu: *Moneta Regis P. Sclavorum.* Idem de tropæis Drusi, Ptolemæo, Dioni, Vellejo, Tacito & Suetonio memoratis, atque ad Albim collocatis, disserit, eosque refellit, qui de veritate hujus rei, & de armis Romanorum ad Albim perlatis dubitant, cum diversarum Villarum ac Vicorum in Marchia veteri appellationes etiamnum durent, Drusi castra satis indicantes, ut Drustede, Drusedan & Trupizhosen. Idem fluvium *Itargum*, cujus meminit Autor carminis ad Liviam, in veteri Marchia quærendum, & forte *Itam* sive *Izam* esse arbitratur. Postremo de Obotritarum Regibus, Mistevojo, Billo, Mislao, Udone & Godoschalco, eorumque numis disserit. Sequitur *I. L. Frischii* Explicatio Tituli *Hermestæ*, qui Orosii libro inscriptus invenitur; porroque *M. Jo. Eliæ Hederi*, de Lingua Herulica seu Lituanica & Samogitica, tum Prussica, deinde Lettica & Curlandica, hinc Werulica, & tandem Sireenorum in Wolust-Usgi Russiæ magna provincia, eruditum schediasma. Hoc excipit *Car. Andr. Henningii* Observatio, de Ludovico Bavaro, non per litteras adulteratas legati Woldemari, Electoris Brandenburgensis, sed per ipsum Electorem præsentem electo. Ultimæ existunt duæ interpretationes plane contrariæ gemmæ elegantis, quæ extat in cimeliarcho Regio Berolinensi, & cujus etiam hoc loco exprimendam Figuram curavimus. Alteram harum explicationum in peculiari dissertatione (cujus hic excerptum exhibetur) germanico idiomate A. 1717 publicavit *J. C. Schott*; alterius

Fig. 3.

Autor eſt *J.G. Wachterus*. Et juxta Schotti quidem ſententiam, *optimi Principis eximiæ pace belloque, circa religionem & rempublicam, virtutes*, eo ſymbolo deſignantur. Caput ſenile *maturi conſilii* imago eſt: caput vero equinum *bellum* denotat, quod poſt maturam deliberationem initur. Laurea, quam ore tenet equus, *victoriam* atque *immortalitatem*; caduceus *Pacem*, quæ victoriam ſequitur; caput vervecinum, ſpicam ore tenens, *rei agrariæ & pecuariæ curam*, atque inde porro *rerum omnium ubertatem*; ſpica *annonæ copiam*; & pedes denique gallinacei, quibus tota moles ſuſtinetur, *alacritatem, præſagitionem*, atque imprimis *vigilantiam & magnanimitatem*, deſignant. Contra hæc Wachterus Larvam illam ſcenicam, quam pro capite ſenili habuit Schottus, *ſimulationis* ſymbolum interpretatur; equus *belli* typus eſt, laureola autem, quam inhiat equus, *gloriæ & proferendi imperii cupiditatem injuſti tyranni* ſignificat; caduceus apud Poetas non modo pacis ſed & *ſummæ violentiæ* inſigne eſt, atque viperæ ſe mutuo mordentes perpetuam illam ſollicitudinem deſignant, qua urgentur & verberantur tyranni; aries *luxuriam*, & galli denique pedes (non caput, cujus virtutes pedibus neutiquam transſcribendæ) *impietatem* notant, nam gallus pedibus matrem ſalit & unguibus patrem aggreditur. Itaque Tyranni, non boni Principis, judice Wachtero, imaginem exhibet gemma propoſita.

PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ NATURALIS, in uſum ſcholarum privatarum conſcripta & captui ſtudioſæ juventutis accommodata, a JACOBO ODE, A.L.M. & Philoſophiæ Doctore ejusdemque Facultatis in Academia Trajectina Profeſſore ordinario.

Partes II,

Trajecti ad Rhenum, apud Johannem Viſch, 1727, 4, chart. aug. Alph. 3 pl. 6 Tabb. æn. 42

Cl. Ap-

de aquæ qualitatibus, de æstu & salsedine maris, origine fontium atque fontibus medicatis. Brutis animam a materia diversam denegat, quod machinæ, cujus eædem sunt, quæ brutorum functiones, constructio non excedat potentiam & sapientiam Dei, quodque ipsum corpus humanum non modo motus naturales, verum etiam plurimos spontaneos sola mechanica ratione producat, immo homines integras orationes recitare possint, non cogitantes, an loquantur. Admittit tamen in animalibus principium quoddam, quod captum nostrum superat, qualicunque cognitione instructum. Plantas terreis æque ac aqueis particulis nutriri, *Woodwardi* experimentis comprobat. *Carteſii* de æstu maris sententiam minus probat, tantum non penitus falsam pronunciat: quainvis autem magis arrideat *Newtoniana*, non tamen eam ab omni difficultate liberam existimat. Quorundam fontium originem vaporibus, aliorum pluviis & nivibus resolutis tribuit; quorundam vero originem ex mari per meatus subterraneos ducit. Calorem thermarum ab admixtione particularum sulphurearum, bituminosarum, carbonum fossilium & aliorum mineralium derivat. Intra tellurem primo terræ motus considerat, in quorum phænomenis describendis multus est. Ignes subterraneos pro habitibus pinguibus in terræ cavernis a particulis igneis incensis habet. Singularem *Woodwardi* de metallis & mineralibus sententiam rationi ac experientiæ contrariam pronunciat, nec aliorum hypotheses tutas judicat. In hoc igitur argumento in historica cognitione acquiescere quam nondum exploratis assentiri mavult: quamobrem & *Carteſianæ* de magnetis phænomenis hypothesi calculum suum minime adjicit. Supra Tellurem aerem contemplatur, ubi experimentis ejus proprietates hodie notissimas confirmat atque barosscopiorum constructionem & phænomena describit una cum hygroscopiis. In aere contemplatur meteora, veluti ventum, halones, parhelia, iridem, una cum ceteris aqueis & igneis. Rationem dimetiendi altitudines nubium *Jacobi Bernoullii* atque *Thümmigii* commendat. Ventorum genesin æolipilarum experimento illustrat. De parrheliis *Gaſſendi* sententiam *Carteſianæ* præfert; *Hugenianam* silentio præterit. Iridis causas cognoscere desiderantes ad *Sturmium*, *Hambergerum*, *Newtonum* & *Gra-*

vesandium remittit. Lunam esse corpus telluri similimum, agnoscit. De ejus autem incolis nihil certi definire audet, magis tamen in partem negativam propendet cum *Sturmio*. Illius motum vertiginis menstruum a *Newtono* repertum probat, rejectis adeo *Cartesii* atque *Sturmii* de motus libratorii causis conjecturis. Cometas esse corpora instar planetarum solida, *Wolfii*, *Thümmigii* atque *Newtoni* rationibus stabilit: monet tamen, haud diffiteri *Thümmigium*, scrupulum quendam movere Cometam A. 1723, qui nucleum habuit in capite instar fixæ scintillantem, cum, qui A. 1718 apparuit, instar nubeculæ a Sole illuminatæ visus fuerit. Probabile quoque ipsi videtur ob rationes a triumviris laudatis adductas, Cometas esse corpora mundo coæva. De caudis *Newtoni* sententiam suam facit. Astrologiam divinatricem inter artes vanas refert, nec Cometas calamitatum futurarum causas & signa esse, concedit. Systema *Ptolemaicum* mundi tanquam observationibus & rationi contrarium damnat: in eundem censum refert *Tychonicum*, & *Copernicanum* ceteris probabilius esse censet, cœlo tamen deturbatis vorticibus *Cartesianis*, contra quos ex ipsis *Cartesii* principiis disputat. Hypothesin *Newtonianam* de causis motuum cœlestium physicis ex notis *Clarkii* describit, plura desiderantes ad ipsum *Newtonum*, *Gregorium*, *Whistonum*, *Keillium*, *Gravesandium*, *Clericum* & *Joannem Oosterdyck Schacht*. in Dissertatione de motu planetarum in orbitis ellipticis, ablegat, suum vero de ea judicium non interponit: quemadmodum etiam *Copernicano* systemati prorsus subscribere adhuc veretur, cum argumenta, quibus motus Telluris diurnus & annuus stabilitur, exceptionibus adhuc nonnullis obnoxia sint, apud *Nieuwentitium* videndis.

Schauplatz der Rechen- und Meß-Kunst.

hoc est,

THEATRUM ARITHMETICO-GEOMETRICUM, Autore JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mechanico, Potent. Polon. Regis & Elect. Sax. Consiliario & Commissario rei metallicæ, diversarum Societatum Regiarum Membro.

Lipsiæ,

Lipsiæ, apud hæredes Autoris & Joh. Frid. Gleditschii Filium, 1727, fol.

Alph. 2 plag. 8 ½ Tabb. æn. 43.

Sistimus hic opus posthumum Viri ingeniosi atque industrii, *Leupoldi*, cujus de Mechanica merita nemo ignorat, qui Acta hæc Eruditorum evolvit. Continentur in hoc volumine instrumenta & machinæ in usum Arithmeticæ & Geometriæ practicæ inventa. Postquam nimirum Cl. Autor Dactylonomiam & Manuloquium *Bedæ venerabilis* ex *Aventino* descripsit, atque exposuit, quomodo *Joannes Belverus*, Anglus, qui integrum de hoc argumento tractatum conscripsit, eandem persecerit, & incidenter prolixe enarravit, quo pacto manibus utamur ad certa animi sensa significanda; instrumentum arithmeticum Sinarum exhibet, quo ab antiquissimis temporibus utuntur. Eidem ob similitudinem jungit *Tabulam arithmeticam Romanam*, a *Claudio Molineto* in libro Gallico delineatam, qui A. 1692 Parisiis in forma majore sub titulo: *Cabinet de la Bibliotheque de S. Genevieve*, prodiit. Progreditur inde ad Arithmeticam calculatoriam, & abacum ei destinatum una cum ejus usu prolixe declarat, magno numero adductis autoribus, qui hoc Arithmeticæ genus lingua nobis vernacula docuerunt. Huic jungit instrumentum quoddam ad operationes Arithmeticas facillime absolvendas serviens, cujus inventionem Arithmetico Parisiensi tribuit *Harsdærfferus* in Continuatione Delitiarum mathematicarum & philosophicarum a *Schwentero* editarum. Usum potissimum habet in multiplicatione atque divisione: quamobrem Noster simul exponit tabulas, quas in usum additionis & subtractionis dedit *Schottus* in Organo mathematico. Inde pedem promovet ad *Rhabdologiam Neperi*, qui ope bacillorum multiplicationem, divisionem & radicum extractiones expedit, & *cistulam arithmeticam* producit, quam ex *bacillis Neperianis* in cylindrulos mobiles conversis suaque additionis & subtractionis tabula *Schottus* composuit, additis inventis affinibus, quorum alterum sibi, alterum vero *Grilleto* debet, desumtum ex libro Gallico, A. 1678 Parisiis in 4 edito sub titulo: *Nouvelle Machine d'Arithmetique*. Repræsentat etiam structuram machinæ Arithmeticæ Cel. *Poleni*, cujus in Actis A. 1711 p. 79 men-

Cpa. 1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

mentionem injecimus, & alterius a *Leibnitio* inventæ, cujus ibidem facta est mentio p. 9, obiter meminit, cum accuratam structuræ internæ descriptionem nanciscinon potuerit: ubi simul alterius instrumenti arithmetici *Leibnitiani* meminit, cujus imperfectam descriptionem dedit editor Theodicææ *Leibnitianæ* in
C. 11. Latinum versæ, quæ A. 1726 prodiit. Prolixior est Noster in de-
12. scribenda machina arithmetica proprio ingenio reperta atque in *Pede Mechanico*, quem vocat, a *Michele Scheffelt*, Ulmensi, invento & in peculiari Tractatu A. 1699 descripto: in quo instrumento ope circini operationes arithmeticæ expediuntur. Pes ille mechanicus, circino proportionum succenturiatus, eundem cum eodem habet usum, atque adeo isti omnes lineæ inscribuntur, quæ
13. huic inscribi solent. Pedi huic mechanico affine jungit instrumentum, ex MSC. anonymi desumtum & ab eodem *scalæ proportionum* nomine insignitum, una cum altero, quod A. 1696 jenæ
14. publici juris fecit D. *Joh. Matthæus Biler* & cujus ope absque
15. omni calculo problemata arithmetica, geometrica, trigonometrica &c. expedite solvuntur: nec silentio præterit instrumentum *Nicolai Voigtelii*, viri in Geometria subterranea versatissimi, cui ad exercendam hanc Geometriæ practicæ partem tabulas Sinuum
16. compendiose inscripsit. De circino proportionum, instrumento utilissimo & hodienum usitato, prolixissime agit. Historiam inventionis, a *Wolfio* in Lexico Mathematico traditam, repetens, primam inventionis laudem tribuit *Justo Byrgio*, Mechanico & Mathematico *Wilhelmi* Hassiæ Landgravii, variis inventis claro. Cum tamen forma & usus circini *Byrgiani* differat a forma & usu *Galilæani*; Noster primo *Galilæanum* describit, cum is hodie-
17. num sit receptus; deinde quoque *Byrgianum*, qui hodie in desuetudinem abiit. Prolixum quoque subjungit Catalogum Autorum,
18. qui de hoc instrumento commentati sunt. Circino proportionum agnatum est instrumentum, quod *Benjaminus Bramerus*, Architectus Marburgensis Hassiacus, sub nomine *regulæ Proportionum, cin:s Proportional-Lineals*, A. 1618 peculiari tractatu descripsit, cum A. 1615 in Tractatu de divisione instrumentorum mathema-
19. ticorum jam appendicis loco illius usum declarasset. Postquam Cl. Autor hinc deprompsit, quæ in rem ipsius sunt, ad instrumenta

com-

communia describenda sese confert, quibus in Geometria habemus opus. Comparent hic circini omnis generis, de quibus Noster plurima tradit artificia in iis parandis utiliter adhibenda, eum propria ipsum multa docuerit experientia. Circinis succedunt regulæ, quas inter etiam *parallelismi*, seu instrumenta ad lineas parallelas describendas inventa, & *instrumentum polygraphicum Joh. Christophori Bornickelii*, ab eodem peculiari Tractatu A. 1724 Lipsiæ lingua vernacula edito, illustratum, comparent. Ejus enim potissimus usus est in lineis parallelis absque circino, norma, parallelismo, & instrumento transportatorio describendis. Sequuntur deinceps *scalæ*, quæ vocantur, *Geometricæ* lineis in charta dimetiendis inservientes, ubi simul ex Elementis Geometriæ *Wolfii* tabulam repetit Autor, qua proportio pedis in celebrioribus Europæ locis usitati ad pedem Regium Parisinum exhibetur, & mensuras in campo lineis metiendis destinatas conficere docet. Postquam instrumenta descripsit, quibus in ducendis lineis utimur, una cum norma atque sic dicto instrumento transportatorio, quo angulos in charta dimetimur; instrumenta quoque majora repræsentat, quibus ad angulos in campo metiendos quondam usi Geodætæ, una cum omni fulcimentorum & dioptrarum apparatu, nec dioptris telescopicis neglectis, quas ad libellas primum applicarunt *Picardus*, *Rœmerus* atque *Hugenius*. Inter instrumenta geodætica Noster præ ceteris commendat *mensulam Prætorianam*, ab inventore *Joanne Prætorio*, Mathematum quondam Professore in Academia Altorfina, ita dictam, una cum agnatis instrumentis *Brameri* & *Zubleri*, quorum posterius coincidit cum pantometro, quod multo post sub hoc nomine tanquam suum inventum evulgavit *Kircherus*. Alia instrumenta geodætica, hodie imprimis usitata, capite tandem ultimo affert, ubi imprimis varia variorum artificia instrumenta dividendi exponit. Atque hic subsistit Autor, cum rebus humanis eriperetur, ut nec huic Volumini ultimam manum imponere potuerit, nec iis Voluminibus conscribendis atque in publicum proferendis sufficerit, quæ præcipuam atque desideratissimam Mechanicæ partem constituunt. Promittunt hæredes in præfatione supplementum ad octo Volumina ab Autore edita, ex schedis ipsius digerendum, quamprimum lic. e-

C. 20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

rit. Ceterum cum B. Autor in conficiendis instrumentis mathematicis & physicis excelluerit atque curiosorum naturæ scrutatorum desiderio satisfecerit; operam quoque dedit, ut officina *Leopoldiana* post fata sua celebris existeret. Ea igitur fini agnatum suum *Cottam* tempestive instruxit, ut eundem vivus adhuc laboratorio suo mechanico utiliter præficeret.

Neue und deutliche Anleitung zur practischen Sonnen-Uhr-Kunst ꝛc.

hoc est,

NOVA ET PERSPICUA INTRODUCTIO ad Praxin Gnomonicam, Autore JOANNE JACOBO SCHÜBLERO.

Norimbergæ, apud Joan. Christoph. Weigelium, 1726, 8 maj. Plag. 14 Tabb. æn. 44.

INgeniosus Autor varia hactenus edidit specimina, quibus praxis Architecturæ Civilis specialissima illustratur, non sine applausu artis peritorum excepta. Horologia majora Solaria subsidio calculi trigonometrici describi solent, ut fiant accurata: quem in finem in his Actis A. 1695 p. 129 *Picardi*, A. 1719 p. 127 *Gruberi* & A. 1720 p. 23 *Doppelmayeri* opera commendavimus. *Schüblerus*, cum praxin accurata industria exerceret, observavit, fieri posse, ut absque calculo trigonometrico per constructiones geometricas & ope instrumenti sinuum, tangentium atque secantium, horologia sciaterica tam accurata obtineantur, quam calculi trigonometrici beneficio obtineri possunt. Methodum igitur, qua usus est, fideliter exponit. Explicatis scilicet terminis & principiis quibusdam Astronomicis, sine quibus praxis Gnomonica intelligi nequit, omnium sciatericorum horologiorum fundamentum, *Clavii*, *Brameri* & *Sturmii* Senioris exemplo, ex cylindro deducit, simulque ostendit, quomodo hinc *Bierumii* parallelepipedum gnomonicum fundamentale, de quo diximus in Actis A. 1712 p. 35, deducatur. Monstrat præterea, quomodo idem fundamentum ex prismate triangulari, quod est parallelepipedi dimidium, derivetur. Antequam eodem utitur in horologiis solaribus describendis,

dis, lectorem docet, qua ratione chordarum, tangentium, secantium & sinuum ope anguli in charta delineentur ope instrumenti, in quo hæ lineæ in ratione ad radium datum sunt descriptæ. Cumque horologium in plano fixo delineari nequeat, nisi data linea meridiana, varias quoque exponit methodos eam inveniendi. Et quoniam *Holtzhejus* quidam prætendit, se invenisse methodum, dato quovis tempore, Sole lucente vel cœlo nubilo, lineam meridianam facili negotio accuratissime ducendi; eam quidem omnibus ceteris anteponendam fore judicat, si vitio careat, sed quod promissis stare possit inventor, valde dubitat. Fundamentis explicatis, omnis generis horologia cum in planis mobilibus, tum fixis delineare docet, non neglecta praxi reliqua gnomonica. Id autem singulare habet, quod horologia majora in parietibus ædificiorum delineata convenientibus terminis circumscribat, quibus intuentium oculi pascantur. Excellit enim Noster in hoc genere, quemadmodum specimina architectonica modo laudata loquuntur. Denique cum Artis pictoriæ peritissimus sit, id quoque singulare in ejus institutione occurrit, quod doceat praxin horologia in tectorio udo depingendi, ubi singula tradit, quæ in hoc pingendi genere observanda sunt. Promittit Artem pictoriam mathematicam, a Perspectiva diversam, quam jam olim peculiari opere illustravit.

TABULÆ ASTRONOMICÆ, LUDOVICI Magni jussu & munificentia exaratæ & in lucem editæ, Autore PHILIPPO DE LA HIRE; Secunda Editio.

Paris. apud Montalant, Typogr. & Bibliopolam, 1727, 4. Alph. 1 pl. 6 & 4 Tabb. æneis.

GRata fine dubio erit Astrophilis hæc præstantissimarum rarissimarumque Tabularum nova Editio. In qua tamen nihil fere a pristina forma aut numeris discrepat, nisi forte excipias Tabulam XXVI, quæ inscribitur, *Inclinatio Orbitæ Lunæ cum circulo latitudinis*. Hæc enim Tabula, ob certa versus finem sphalmata, quæ in priori Editione irrepserant, revocata iterum ad calculum & co-

lumna.

lumna una est adaucta. Ad calcem porro adjecta est Tabula nova *Æquationis Altitudinum, ut vocant, respondentium, pro latitudine observatorii Regii Parisi.* quam constituxit *D. Godin*, Regiæ Sc. Acad. Socius. Atque is etiam usum docuit ac methodum computandi similem tabellam ad quamvis aliam latitudinem. De cetero pollicetur Bibliopola, se propediem in lucem daturum *Introductionem;* in qua mens tota Autoris in condendis hisce Tabulis aperietur, processus calculi enucleabitur, plurimis exemplis illustrabitur, atque ad nitidiorem longe formam reducetur.

ADDITAMENTA AD OBSERVATIONES de Ductibus salivalibus sublingualium Glandularum, Exercitatione de Lingua Humana, & in his Actis Mens. Jul. A. 1724 traditas; Autore AUGUSTINO FRIDERICO WALTHERO, Archiatro Regio, Anatomes & Chirurgiæ Professore Publico Lipsiensi.

IRrigant os atque linguam ductus, quos Exercitatione peculiari sic exposuimus, ut canalibus, qui ante innotuerunt, adjiceremus plures, quos sublinguales promunt glandulæ, quosve olim deteximus, tum describere plenius & enumerare suscepimus. Laborem inter inveniendum abbreviare solet eorundem orificiorum in tractu sub lingua positus, quem Exercitatione annotavimus; ac ipsa natura varias glandulas, variosque excretorios ductus impertivit, & nonnunquam omnes, aut saltem plurimi sine tædio temporisque dispendio investigantur; nec ægre mediocrem stylum aliquando admittunt. Quare ad observationes, quas de ductibus sublingualibus antehac conscripsimus, nunc addere liceat, quod sectionum usu & exercitio porro deprehendimus ac confirmavimus. Ab illo enim tempore permultorum publice sectorum cadaverum humanorum, pluriumque privatim inspectorum, ac linguarum quidem glandularumque connexarum examine cognovimus, admodum frequenter ex una glandula sublinguali quatuor provenire excretorios ductus, nec pauciores haberi: tamen interdum, & maxime in amplis ac elatis in ore glandulis singulis, eorum numerum

uno

uno alteroque augeri; quod ubi accidit, tum non positu, sed amplitudine ac longitudine plurimum variare ductus solent. Naturæ minime consuetum est, ad alterutrum & laterale linguæ in ore vinculum superaddere duos & solitis ampliores, aut ita aperiri in utroque latere numero dispares, quales hyeme anni præteriti vidimus, & ut illustretur de ductibus sublingualibus doctrina, nunc recensemus. Erant in cadavere senis, publice secto, admodum insignes sub lingua glandulæ. Quarum excretorios ductus cum Auditoribus demonstraremus, sine multo labore sex a parte sinistra, octo a dextra nec pares numero, omni quamvis adhibita diligentia invenire nobis dabatur. Ex his sex anteriores ordine & positu in utroque latere satis inter se conveniebant; nihilominus ceteris conditionibus quodammodo diversi: at a dextra apertos duos posticos ductus, linguæque laterali vinculo vicinos, cum numerum excederent, & ab amplitudine *Warthoniani* ductus parum uterque abesset, stylumque digiti altitudine, nec ægre versus maxillarem glandulam ferret, ideo nostra investigatione accurata digniſſimos hos existimavimus; præsertim cum in permultis cadaveribus & a pluribus annis nullum sublingualis glandulæ ductum cum maxillari glandula aut ejus excretorio ductu communicasse, experimentorum olim factorum memores, persuaderemur. Quam ob rem stylis in hosce canales illatis, ipsos & illæsos ab ostiis ad insertionum loca denudavimus, & totos plenius in conspectum produximus. Ingrediebatur autem uterque insignis baccæ uvæ instar crassam, & tenuioris productionis glandulæ sublingualis appendicem inconsuetam; quæ glandulæ maxillari, & reliquæ sublinguali cum interjecta esset, nihilominus dimidio digito ab ista finibus suis distabat; quanquam ambitu suo superius contegeret ductum *Warthonianum*, mersum cellulosa radicis linguæ fauciumque membrana, quam exercitatione nostra annotavimus. Hoc corpus glandulæ nostræ appositum, & loco superadditum, quo in aliis subjectis ea finiri consuevit, & ubi loco consimili sinistra glandula desinebat, mole duas tertias partes ponderis reliquæ glandulæ ferre videbatur. Nunc aerem per tubulum in utrumque immisimus ductum, & modo anteriorem, modo posteriorem appendicis partem inde succuti & intumescere, more in aliis glandulis usitato animadvertimus. Nec solum hi ductus ita

distincti, sicut & glandulosum corpus, omnem aerem illatum in se continuerunt; sed & ipsi varios liquores & mercurium vivum, quæ non ita multo post injecimus, prorsus concluserunt. Idem erat experimentis eventus, sive in situ nexuque hujus appendicis integro, sive cum ea reclinata, & a nexu cum vicinis, maximeque cum *Warthoniano* ductu separata esset, rerum periculum faceremus; quare nihil ex injectis nec ad maxillarem glandulam, nec ad *Warthonianum* ductum penetravit. Insignior & erat, solitaque forma major hujus lateris maxillaris glandula. Etiam notabili ab hacce glandula globosa intervallo, ad excretorium ductum accedebat mediocris magnitudinis ramus; qui, cum varia in truncum injiceremus, aliquid ex iis recipiebat. Et hoc observatu perrarum est, ac in strumosis sæpius cognoscitur. Nam mox pari modo alterum & oppositi lateris *Warthonianum* ductum exploravimus; & ipsum aliter ut experiremur, juxta papillam ligavimus: inde in altero ejus extremo & ad glandulæ corpus incidendo ipsum aperuimus, loco, ubi is ordinarie in ramos dividitur, & glandula mergitur. Hinc tubulo ad incisionem applicato, aereque immisso, totum ductum & usque ad vinculum distendimus succussimusque: post infudimus aquam tinctam; tandem mercurium vivum injecimus; quæ cum moliremur, secus res cecidit, ac cum talia in altero ductu ante experiremur. Omnia enim, quæ sic repetitis vicibus illata fuerunt, ductus *Warthonianus* prorsus servavit, & intra se continuit, sine eo, ut minor aliqua propago, aut, qui aliunde accederet ductus, sigillatim qui ad sublingualem glandulam pertineret, aliquid inde reciperet. Quæ modo retulimus experimenta, ea & ante anatomen illam sæpius, & pari cum successu tentavimus, maximeque cum in pluribus linguis humanis glandulisque connexis, ut insolitam esse communionem pateret, alios *Warthonianos* ductus cera liquata injectaque plenos, alios Mercurio repletos, & ab omni commercio nexuque cum glandulis vasisque excretoriis sublingualibus aliisque ductibus liberos, in usum demonstrationum publicarum, asservandos curaremus. Hæc ita ad confirmandam amplificandamque de ductibus excretoriis distinctisque glandularum sublingualium doctrinam protulimus; quos ductus alii in brutis, & aliter ac nos egimus, demonstrarunt atque delinearunt, nonnulli

ob-

obſcure & obiter eos notaverunt. Nam cum *Stenone* aut cum *Verheyeno* de hominis ductibus ſublingualibus ſentire, ex una parte falſum, ex altera ambiguum vexatumque eſt: "vaſcula ſibi invicem "parallela a lingua verſus gingivas recedere, & ſub intervallo digi- "ti a dentibus oſtiis ſuis per tunicam hiare"; imo ad hanc doctrinam addere perinde erit: "vaſcula ab exterioribus glandularum "lateribus ad gingivas in transverſum recedere, & non ita magno "a glandulis intervallo peculiari quodque oſculo hiare." Nam iſta digiti intercapedo totam ſublingualem glandulam complectitur, & medietatem linguæ in ore humano aſſequitur; oſtiaque excretoriorum noſtrorum verorumque ductuum ad dentes propius accedunt: contra, ſub lingua levata glandula pro altitudinis ſuæ modo ſituque tantum admittere ſpatium omnino videtur, cum ea partim ad dentes & ad gingivas, partim ad maxillam inferiorem, ac omnium denique altitudinem accommodatur. Ut igitur clarior res fiat, diſcernimus glandulæ utriusque & oblique poſitæ latera. Nam pro externis lateribus merito habemus, quæ ſub involucro oris condita cum ſunt, maxillæ inferiori, nunc ampliori factæ, adnaſcuntur: at internis & ſuperioribus ſuis lateribus, quidem in ore, tanquam anguſtiori ſpatio glandulæ prominent, linguæque ſequuntur motum, & facile ad dentes aſſurgunt; ſimul verſus linguæ frenum excurrunt, ac, nonnihil hoc loco inflexæ, quaſi angulum conſtituunt. Proinde hæc latera, in ore hominum diſtincta, noſtrorum ductuum orificia videnda præbent; quæ ut explorentur in naturali omnium ſitu, atque in demortuorum linguis, ex ore refectis, id, inter alia, exercitatione citata docuimus. Unde tandem ab exterioribus glandularum lateribus ad gingivas in transverſum quodque recedere ſublinguale vaſculum, & non ita magno a glandulis intervallo peculiari hiare oſculo, quidem in brutis, icones teſtentur, quas *Steno* & *Diemerbrock* delinearunt. Ceterum ad obſcuros in re Autores *Bourdonus* atque *Dionis*, imo inter antiquos *Oribaſius* accedere poſſunt: ſin hujus verba, ad noſtram doctrinam accommodare, & interpretari utcunque quis voluerit; quando hic præ ceteris Lib. 24 Collect. Medic. ſcribit: "Ad "linguæ vinculum, utrinque ex obliquis partibus ora vaſorum, "quæ ſalivam excipientia dicuntur, inveniès, in quæ deſcendere "ſtylus poſſet. Initium ducunt hæc vaſa ab radice linguæ, ubi ejus-

"dem quoque glandulæ sunt. Quare minus evidentem pancorum opinionem reliqui Anatomici scriptores neglexerunt, doctrinamque amplexi fuerunt, in homine licet minus probatam, de singulo sublingualis glandulæ excretorio ductu *Rivini* & *Bartholini*, sive distincto, sive cum *Warthoniano* connexo : ut videre est apud *Ruyschium*, *Bidlooum*, *Munnickium*, *Tavrium*, *Drackium*, *Welschium*, *Cheseldenium*, *Keilium*, *Heisterum*, *Nogueſium*, & reliquos.

Historischer Schauplatz der Ansprüche und Streitigkeiten hoher Potentaten und anderer regierender Herrschafften in Europa ꝛc.

h. e.

CHRISTOPHORI HERMANNI SCHWEDERI Theatrum Historicum Prætensionum & Controversiarum illustrium ex Historicis, Actis publicis, Deductionibus & aliis scriptis concinnatum; nunc suppletum & continuatum a D. ADAMO FRIDERICO GLAFEY, JCto.

Volumina II.

Lipsiæ, apud Maurit. Georg. Weidmannum, 1727, fol. Alph. 18.

CUm de instituto Autoris dictum sit in Actis A. 1712 M. Jun. p. 285, jam operæ pretium fuerit de nova hac editione, quæ multum emendata & plus quam altera parte auctior prodit, nonnihil hoc loco memorare. Nam etsi plerisque se probasset Autor, ita ut haud difficulter liber distraheretur, fuere tamen, qui optarent, paulo plures in hoc systemate controversias fuisse excussas, qua in re defectum aliquem ipse quoque Autor agnoverat. Itaque librum revidit, multas controversias denuo sollicitavit, novisque Capitibus magno numero additis, librum longe, ut diximus, auctiorem dedit Conf. *Glafey*, hodie Potentiss. Regi & El. Sax. a Consiliis aulæ & justitiæ ut & ab archivis, qui cum in Academia nostra viveret, hoc opus absolvit. Quamvis vero ad archiva adeo nostra nondum esset admissus, attamen cum jam tum aliquot Imperii Statuum, imprimisque Potent. Regis Sardiniæ jussu, deductionibus quibusdam concinnandis adhibitus esset, multa nactus est documenta, quibus in hoc

Digitized by Google

hoc opere felici successu usus est, quo spectant, e.g. quæ Noster T. I p. 45 de lite inter Imperium & Regem Sardiniæ de feudis Langliarum, de feudo Marchionatus Novelli & Montisfortis p. 531, de juribus ordinis Johannitici p. 165, 390, 754 sq. accurate admodum tradidit. Et prolixum foret, vel sola capita, quæ nunc accessere, enumerare, ut taceamus ea, quæ vel reconcinnata hic prorsus, ut maxime in Saxonicis factum, vel subinde saltem, imprimis quod ad statum modernum, aucta ac suppleta sunt. Pauca tamen ut ex multis memoremus, accessere Libro I Caput II, de lite quæ Imperatori & Imperio intercedit cum Principibus quibusdam Italiæ de oneribus publicis & exactionibus, C. IX de Juribus Imperii in Reguum Armeniæ, X in Cyprum, XI in Florentiam (quæ jura ex nuperis imprimis scriptis accurate deduxit) XII in Pedemontium &c. XXVII in Abbatiam S. Galli & Comitatum Toggenburgensem, XXIX in Ducatum Lothringiæ, XXXIV de eo quod Imperio adhuc competat defensio circuli Burgundici, XXXVIII de jure Imperii in Belgium, ut & XLVI in regna Dalmatiæ &c. Atque ita reliquis quoque Libris, de juribus exterorum Regum ac Principum, Pontificis item & Episcoporum atque Abbatum, tum Rerumpubl. ac urbium Imp. liberarum, denique Comitum, tum Imperii, tum aliorum extra Germaniam, longe plurimæ nunc quæstiones accessere, in quibus ventilandis & utriusque partis argumenta cordate producit Cons. *Glafeyus*, & statum, qualis nunc deprehenditur, libere exponit.

JOH. VINCENTII LUCCHESINII, Patritii Lucensis, Historiarum sui temporis ab Noviomagensi Pace

Tomus I.

Romæ, ex Typographia Petri Ferri, 1725, 4.

Alph. 3 pl. 12.

OPus hoc, singulari ut plurimum in rebus seligendis & tractandis candore & prudentia, præstantique & ingeniosa facundia pleno sermone conscriptum, & Benedicto XIII, Pontifici Maximo, devote dicatum, scriptorem prodit, qui celeberrimos Græci Latinique idiomatis Historicos felicissime videtur æmulatus. Or-

Digitized by Google

ditur Tomus I, in VI libros distinctus, ab A. 1678, & in rebus A. 1688 gestis desinit, unde potiora quædam, ipsis potissimum Autoris verbis, depromere nunc lubet. Ludovicus XIV, Belgas fœde-
p. 4. ratis A. 1676 abducere cupiens, magistratus Batavorum clam per internuncios sollicitabat, qui vel tædio belli durissimi, vel implacabili in Arausionensem odio, in suam mox sententiam universam
42. Rempubl. traxerunt. A. 1680, dum in Germania pestilentia grassaretur, frequens veneni usus clandestina morte domos, illustres præsertim rerum opulentia, funestabat in Gallia. Tandem horrendum scelus apertum est, dum mulier quædam patricii generis, patrem duosque fratres sustuliſſet ope adulteri, qui & ipse haud ita multo post letifero afflatus vapore, moritur, obæratoque res cuncta domestica obsignatur. Mulier secreti conscia, sibique metuens, arculam, quam suam affirmabat, adeo vehementer repetere, ut Prætor in suspicionem adductus, dari jusserit resignatam. Tunc inventa dira medicamina, & adulteri literæ, quæ scelus prodidere; quare vincta illa & parricidium professa gladio punitur. Inde creati a Rege, ad cohibenda sceleſtorum facinora admodum fervido, Judices, qui de veneficiis inquirerent. Habitis quæstionibus anus sacrilega reperiebatur Parisiis, efferatæ artis magistra, cujus domum, relaxandi animi obtentu, plures frequentaverant, vaticinantem (fatidica enim videri voluit) audituri. Convicta maleficii, nomen detulit nobilissimorum virorum ac fœminarum, quibus præsto se fuisse arte sua fateretur, vere, an falso, incertum. Ipsa, prius ignito ferro perfossa, obtruncataque infami dextra, viva fuit combusta; aliorum necati plures cæteris imposterum exemplo fuerunt; pauci, iique splendidiores, dimissi, vel innocui, vel crimi-
67. ne suppliciosque suo Rempubl. perturbaturi. Tekelii indolem describpturus Autor, nullam in eo fidem fuisse asserit, nullam certi honestique rationem, fraudem plus quam Punicam, & obtento pacis desiderio, stragium & belli amorem: cæterum consilii potentem eum, itemque strenuum agendo, quæ consilio explicasset, tanta vero solertia fuisse, ut dum quidpiam ageret, alia moliretur, nulli fidens fortunæ, qua ut prospera sic uteretur, ut adversæ meminisset, sic adversa, ut prosperæ se reservaret, & crederet, non defuturam.
194. Opinio apud multos, graves quoque rerum æstimatores, invalu-

Visi-

Visirii avaritia fletisse Viennam, a Turcis oppugnatam, quam intactam voluerit a militum præda, neque adeo vi eam capere, sed lenta obsidione in deditionem adducere, sibique integram, spoliandam opibus, reservare; datum proinde auxilii ferendi tempus, præteritamque absolvendæ rei occasionem. Verum quisquis animo reputabit, tricies septies dilaceratas a barbaris vi pulveris nitrati, caveis conclusi, munitiones; in eas semel ac tricies acie instructa illatum impetum; ferro aut morbo absumtos, quod ex Visirii schedis apparuit, tres provinciarum præfectos, sedecim Janizarorum chiliarchas, 27000 militum, 6000 machinalium libratorum, cunicularioruni, calonumque sedecim millia: contra vero quindecies facto agmine Germanorum milites erupisse, horum ad undecies mille plerumque ferro, dysenteria quoque ac morbo cecidisse, totidem, qui arma gestassent, oppidanorum; existimabit profecto, nec vehementius oppugnari urbem, nec diligentius defendi potuisse, illamque opinionem falsi redarguet. De Jacobo, Johannis III Poloniarum Regis filio adolescente, narrat Nosler, quod eum, Cæsari, diu ac modeste renuenti, manus exosculantem, complexus ei quidem, ornatissimisque verbis prosecutus sit, non tamen illi detexerit caput; quod Rex suæ soboli recentibusque meritis concedi potuisse arbitratus, negati honoris diu pressit vulnus, animo exulcerato. Tandem iter fœderati susceperant in Hungariam, præter Saxones, domum confestim ab Octoviro suo dimissos, irato, ut fama tenuit, quod ipsis Viennensi prælio primas discriminis, postremas prædæ partes dedissent; enimvero huic rei graviores subfuisse causas, alii subodorati sunt. Ludovicum Gallorum Regem in Genuenses 1684 maxime concitavit altius hærens mentis cogitatio, posse urbem opulentissimam, ni ab æmulo, Hispaniæ Rege, abduceretur, illum pecunia, qua tum maxime indigebat, juvare, idoneumque reddere ad gerendum bellum. Dum Angliæ Regum, Caroli II & Jacobi II, fata Autor delineat, ipsum religionis suæ studio adeo deprehendimus fascinari, ut in ipsa veritatis luce, a Viris perspicacioribus eisdem sacris addictis dudum agnita, caligare penitus videatur. Quæ æque ac alia, quæ de doctrina Michaelis Molinos, voluptatum quoque illecebris commendata, refert Autor, apud ipsum legi malumus. Quod Sarmatum Rex copias A. 1688 a Camenæci obsidione regente revocasset, id odio Cæsaris factum, nonnullos conjectasse testatur. Nimirum per ea tempora Radzivilia, Carolo

p. 190.

200.

235.

367 &c.

Carolo Neoburgenſi, Cæſaris Leviro, nupta, fefellerat ſpem Jacobi, Princi-
P.558. pis Regii; qui & ipſe illam tum ambiebat, quod eo matrimonio ſibi iter ad ſucceſſionem Regni parari poſſe ſperaret. Hac ſuſpicione itaque, quod Cæſaris artibus repulſa illa tribuenda ſit, commotum Regem, admonitumque, ut fama fuit, uxoris literis, ne ad Cæſarem, qui tantam filio injuriam feciſſet, Turcici belli onere ſublevandum, ſeſe in diſcrimen daret, præpropere ex-
618. ercitum diſſolviſſe. Ceterum Alba Græca ſubita impreſſione capta, frequentioribusque turbis Byzantii excitatis, concuſſum graviter Ottomannorum Imperium, Vizirii tamen virtute artibusque, ac internecino Chriſtianorum Principum bello orto, ſtetit; cujus cauſas proximo, quem meditatur, Tomo ſe expoſiturum, Clar. Autor pollicetur. In calce, præter Indicem rerum, Index vocum Italicarum ad bellicam artem ſpectantium, in opere ipſo Latine expoſitarum, exhibetur, qui cum ab Indicibus ſimilibus, a Boxhornio Hiſtoriæ obſidionis Bredanæ & a Dan. Heinſio Hiſtoriæ rerum ad Sylvam Ducis &c. ſubjectis, non raro ablúdat, non gravabuntur delitiarum linguæ Latinæ cupidi, eum totum hoc loco tranſcribi. 1) Militares Præfecturæ: *Generaliſſimo*, Imperator, ſupremus exercitus Dux, *Mareſciallo*, Legatus, *Generale dell' Artiglieria*, Præfectus Fabrum, *Tenente Mareſciallo* vel *Luogotenente Generale*, pro Legato, *Sergente Generale*, Inſtructor exercitus, *Colonnello*, Tribunus militum, *Tenente Colonnello*, pro Tribuno, *Sergente maggiore*, Inſtructor Legionis, *Capitano*, Centurio, *Tenente*, pro Centurione, *Sergente*, Inſtructor Cohortis, *Dragone*, Eques ſagittarius, *Granatiero*, Pyrochitrophonus, *Alabardiere*, Haſtatus, *Reggimento*, Legio, *Brigata di Cavalli*, ala equitum, *Compagnia di Fanti*, Cohors, *Compagnia di Cavalli*, Turma, *Compagnia di Cavalli Leggieri*, Turma levis armaturæ, *Ammaraglio e Capitan generale*, Præfectus claſſis aut maris. 2) Inſtrumenta militaria: *Artigleria*, major Machina, majus Tormentum, Catapulta, Aries, *Moſchetta* vel *Archibugio*, Pyroſcorpio vel Pyrobaliſta, *Piſtola*, manuale Tormentum, *Bomba*, olla incendiaria, *Granata*, Pyrochitrum, *Mortaro*, Pyrolmum, *Palla di Canone*, Telum, *Palla di Moſchetto*, Jaculum, *Picca*, Sariſſa, *Alabarda*, Haſta, *Cavallo di Friſia*, Hiſtrix, *Sciabla*, enſis Scythicus. 3) Munitiones earumque partes: *Balvardo*, Propugnaculum, *Faccia*, it. *Fianco* & *Piazza baſſa del Balvardo*, Frons, Latus & inferior Area Propugnaculi, *Feritoia*, Feneſtella, *Muraglia*, Lorica murorum, *Parapetto* Loricula, *Banchino*, Scamnus, *Strada coperta*, via tecta, *Rivellino*, Triquetra Munitio, ſeu Parma promuralis, *Mezza Luna*, opus Semilunare, *Opera a Corno*, opus cornutum, *Opera coronata*, opus coronarium, *Bonetto*, Caſtellum, *Terra piena delle Mura*, Agger interior, *Ponte levatoja*, Pons ſublicius, *Palizzata*, ſepes Vallorum, *Linea di Circonvallazione*, Vallum, *Approcci* Vineæ ſeu Agger militaris. 4) Navium genera: *Nave da guerra*, bellica Navis, *di Mercánzia*, oneraria, *di Trasporto*, Actuaria, *Palandra*, Pyrolmophora, *Galea*, quinqueremis, *Galea baſtarda*, Hexeris, *Galeazza*, Hepteris, *Galeotta*, Biremis, *Battelli*, it. *Barche* &c. Lintres, vel Cymbæ, aut Lembi.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ,

Calendis Novembris Anno MDCCXXVII.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB A. D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomi II Pars altera.

Mediolani, ex Typogr. Societ. Palat. 1726, fol. Alph. 7.

LAudandum utique eſt Cl. *Muratorii* conſilium, qui cum initio quædam vetuſtiora monumenta omittere cogeretur, quod eorum copiam non haberet, ea, poſtquam jam tandem nactus eſt, una cum ſupplementis & variis lectionibus librorum jam editorum, Parti alteri, ut nuper Tomi primi, uti alibi diximus, ita nunc ſecundi inſerat, ut hoc modo ætati cujusque Scriptoris & ordini conſulatur, nec ultimo loco legantur, quæ primum ſibi in tam præclaro opere vindicare videbantur. Neque minus, quam reliqui Tomi omnes, ſe commendat hæc altera Pars Tomi II, quippe quæ ſcripta inſignis vetuſtatis, eaque pleraque hactenus in ſcriniis latitantia, complectitur. Exſtat enim *I Ermoldi Nigelli*, *Abbatis*, ut videtur, *Anianenſis*, & Autoris ſynchroni *de rebus geſtis Ludovici Pii Auguſti* ab A. 781 ad 826 Carmen Elegiacum, hactenus in Bibliotheca Vindobonenſi Cæſarea deliteſcens, quod a Voſſio, Hallervordio, Grutero item, & imprimis Marqu. Frehero, qui illud ſcriptoribus ſuis inſerere valde optavit, tum & Mabillonio, Caveo, Leibnitio, Eccardo deſideratum, a *Lambecio* vero & *Neſſelio* liberaliter promiſſum, tandemque a *Gentiletto* prelo paratum, nunc demum cum integra hujus

præfatione, annuente Augustissimo Imp. CAROLO VI, & opitulante Ill. Bibliothecæ Præfecto & Archiatro Cæsareo *Pio Nicolao Garellio*, in lucem protrahit Celeb. *Muratorius*, perpetuis notis, iisque longe doctissimis, a se illustratum. Qui scriptor quanti sit momenti, facile intelligunt, qui non ignorant, historicos illorum temporum res tantum præcipuas paucis tetigisse, cum contra noster, more Poetis solenni, etiam minima persequatur, moresque aulæ & viros in ea illustres graphice depingat, ita ut ex eo consuetudines ejus ævi præcipuas cognoscere liceat. *Ermoldum* vocari Autorem, prologus diserte docet, acrostichis conscriptus, quorum initialibus æque ac finalibus cujusque versus literis computatis, hic versiculus conficitur:

Ermoldus *cecinit Ludovici Cæsaris arma*;

Nigellum vero fuisse cognominatum, versiculo sub finem ejusdem Prologi expressit ipse Poeta:

Suscipe gratanter, profert quæ dona Nigellus;

observatque Cl. Muratorius, alterum nomen, *Nigelli* nempe, haud immerito pro agnomine habendum, pro more illius temporis, quo *Flaccus Albinus*, quem *Alcuinum* dicimus, *Amalarius Fortunatus*, *Lupus Servatus*, *Walafridus Strabo*, *Rabanus Maurus* aliique memorantur; non adversatus interim multum Sirmondo, qui media ætate nobiles tantum pluribus nominibus usos censuit, quorum postremum tantum proprium eorum nomen fuerit; quæ præcederent, ascititia ac veluti prænomina fuisse: quæ tamen ad Caroli M. tempora aptari posse negat, verique similius putat, Albini, Strabonis, Nigelli, aliaque ejusmodi agnomina fuisse addita post proprium nomen. Ceterum uti ex ipso Poemate probat, Autorem ob crimen in rem politicam a Ludovico Pio exilio, quod Argentorati imprimis toleravit, multatum fuisse, atque ideo tot laudibus placare Regem voluisse, ut exilii finem impetraret: ita per ingeniose evincit, hunc Ermoldum eundem fuisse, quem alii *Hermenoldum Abbatem Anianensem* vocant, A. 834 a Ludovico Augusto ad filium Pipinum Legatum missum; quæ argumenta hic repeti brevitas vetat. Sequuntur *II Annales, Lambeciani* Mabillonio, Pagio aliisque, qui ad eos subinde provocant, dicti, quoniam a Lambecio Commentariis in Bibl. Cæsar. Vindob. non

uno

uno quidem in loco, atque adeo ſparſim inſerti, quos de rebus Francicis ab A. 717 ad A. 803 conſcriptos, nunc junctim, ad Codicem reviſos, Noſter cum ſuis & Lambecianis notis & epicriſi Cl. *Gentilotti*, qui Autorem Caroli M. ætati æqualem cenſuit, magno Lectorum, eorum maxime, quibus hactenus Lambeciani operis copia non fuit, commodo recudit. Quibus ex Bibliothecæ Cæſareæ Codice, a Gentilotto pariter in opere nondum edito recenſito, adjecit Annalium Fuldenſium Supplementum, A. 894 & 895 geſta complexum. *III Breve* ſuccedit *Supplementum ſeu Fragmentum Concilii Romani habiti A. 863*, nunc primum editum e Codice Bibl. Ambroſianæ, capita nempe a ſexto ad duodecimum exhibens, cum Labbeus & Harduinus priora quinque tantum viderint; cui ſubjungitur mox *IV* ex eadem Bibliotheca *Oratio anonymi in Concilio Romano* anno, ut Noſter putat, *864 habita*, quæ, Teutbergam, Lotharii, qui Ludovici II Imp. frater erat, uxorem injuſte repudiatam, aliaque ejus temporis memoratu digna memorat. *V Acta Concilii Ticinenſis A. 876 habiti pro electione Caroli Calvi in Regem Italiæ*, qualia etſi jam antea a pluribus fuerint edita, hic tamen primum integra ex Ambroſiana, cum notis Cl. *Saxii*, producuntur. *VI Anonymi Salernitani Paralipomena*, ut Cl. Editor vocat, ſeu reliqua pars Hiſtoriæ nondum edita ab A. 760 ad 960, quam nunc demum integram dedit Noſter ex MSpto *Euſtachii Caraccioli*, Clerici Regularis. Enimvero Cl. Muratorius jam A. 1723 in Parte I Tomi hujus II p. 281 excerpta hujus ſcriptoris, qualia antea Camillus Peregrinus dederat, cum aliis ejus Collectaneis Hiſtoricis, recuderat. At quoniam tandem integrum Codicem ipſi comparavit Vir bonis literis promovendis natus, *Nic. Carminius Falco*, a quo Dionem Caſſium (cujus libros poſteriores nuper in lucem protraxit) integrum exſpectamus, utique e re duxit, Scriptorem tam vetuſtum, quippe Seculi X, credulum licet, in rebus maxime Caroli M. & Erchemperti compilatorem, non truncatum, ad poſteros transferri, quamvis, ut chartæ parceret, ea hic omiſerit, quæ jam loco ſupra citato impreſſa erant. Ceterum Noſter non contemnendis rationibus evincit, Autori nomen fuiſſe *Arderici*. Ejusdem *Falconis* beneficio, e *Caraccioli* penu Noſter obtinuit *VII Chronicon Farfenſe* ab anno circiter 681 ad 1104, Autore *Gre-*

gorio, Monacho & chartophylace ejusdem monasterii, quod etsi unice fere hujus monasterii (quod fuit olim tantæ opulentiæ, ut in variis provinciis possederit ecclesias & cœnobia 683, urbes duas, Centumcellas & Alatrium, Castaldatus 5, Castella 132, oppida 16, portus 7, salinas 8, villas 14, molendina 82, pagos 315, complures lacus, pascua, decimas, portoria ac prædiorum immanem copiam) res exponat, ob insignem tamen, quæ continet, diplomatum numerum luce dignum Nostro deprehensum, cum paucula tantum inde excerpta dederit Duchesnius Script. rerum Franc. T. III p. 650. Sequuntur *VIII* tria vetusta, sed exigua opuscula, *de Mediolano*, cum hymno S. Ambrosii, *Rithmus in obitum Caroli M.* & *Descriptio Mutinæ*; tum *IX Chronici Monasterii Novalicienſis Fragmenta*, quæ præter illa, quæ laudatus Du Chesne L. c. T. II p. 223 & T. III p. 635 jam publicaverat, hic repetita, adhuc in Codice Malaspineo superfuerunt; & *X Chronicon Monasterii Casaurienſis*, in Insula Aprutii ulterioris siti, a fundatione seu A. 866 ad 1182, quo Autor, *Joannes Berardi*, floruit, e Codicis, quo Diplomata Monasterii continentur, quodque Carolus VIII Galliæ Rex, ex Italica expeditione redux, secum in Galliam adduxit, & Bibliothecæ Regiæ Paris. intulit, margine descriptum, cujus partem jam ante dedere Du Chesne T. III & Ughellus T. VI, quodque integrum cum pluribus diplomatibus primus vulgavit Dacherius Spicil. T. V, a Nostro adeo hic recusum, sed longe diplomatibus auctius, quorum copiam, annuente Rege, & Viro Cl. Jo. Boivinio, primo Bibliothecæ custode, libentissime ministrante, Noster impetravit. Subjiciuntur his *XI Kalendaria duo pervetusta*, alterum ex Ambrosiana, alterum apud Camillum Sitonum, Mediolani, quorum usum dum erudite docet in Præfatione Cl. *Muratorius*, inter alia simul explicat, quid per *dies Ægyptiacos*, quorum in utroque hoc Calendario & præterea in alio vetustissimo, Constantii I tempore scripto, subinde fit mentio, indicetur, dies nempe pro infaustis jam olim ab Astrologis Ægyptiacis habiti, quorum superstitionem, insuper habita Ecclesiæ prohibitione, Christiani tanta pertinacia secuti sunt, ut Noster testetur, eosdem dies etiam in Missali Ambrosiano A. 1522 typis edito annotatos fuisse, & adhuc vix quenquam inveniri apud suos & vicinos, qui ex. gr. per integrum men-

Digitized by Google

menſem Majum, ſuperſtitioſa opinione ab ipſis usque gentilibus derivata, uxorem ducere audeat. Cumque duo potiſſimum quovis menſe dies, & in his certæ quoque horæ præ aliis habitæ fuerint funeſtæ, hinc ex altero Codice Ambroſiano ſexcentorum fere annorum verſiculos producit, rudes quidem & incomptos, quos huc transſcribere lubet. Sunt vero hi: p. 1024.

Jan. *Nona pro te Jani væſibilat hora diei.*
Septima ſine dies, in quinta parvulus eſt ſerps.
Febr. *In quarto Februi fas eſt octava timeri.*
Tertia lux decima de cuſpide lædit in hora.
Mart. *Prima notat primum lux Martis mordicus horam.*
Quarta dies nequam damnat de ſine ſecundam.
Apr. *Lux parit Aprilis decimam primam velut anguis.*
Clamat in undecimo de cuſpide nona nociva.
Maj. *Tertius eſt Judas in Majo, ſextaque Eliſas.*
Septimus in decima ſerpens eſt lividus hora.
Jun. *Juni dena dies, in quinta conſtat Oſites.*
Quindenus quarta vocat horam ſine ſagitta.
Jul. *Terdecimo Juli ſtat linea dena timeri.*
In nona decimus de cuſpide ſit baſiliſcus.
Aug. *Cernitur Auguſtus primæ nepa prima diei.*
Eſt in ſeptena lnx noxia ſine ſecunda.
Sept. *Tertia Septembris, in quinta quæritur hoſtis.*
Et pede dena dies, in quarta funeris hoſpes.
Oct. *Tertius Octobris, in quinta quæritur hoſtis.*
Nititur undecimo fore peſtis linea nona.
Nov. *Eſt acus octava lux quinta Novembris in hora.*
A pede terna manet, cui peſſima quinque coharet.
Dec. *In prima Caneri lux eſt ſeptena Decembris.*
Sic nocet undecimus, ſeptaque mortalibus hora.

Agmen claudunt *XII* duplex *vita S. Athanaſii Epiſc. Neapol.* a *Johanne* Diacono & *Petro* Subdiacono ſcripta, & e Tomo IV Actor. Sanctor. Julii die XV cum præfatione & notis Guil. Cuperi Soc. J. huc translata, & *XIII Variantes Lectiones ad Hiſtoriam Luitprandi*, Tomi II Parte priori editam, e tribus Codicibus MSS. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ope primi Cuſtodis Nic. Forloſiæ, depromptæ.

FACIES RERUM SARMATICARUM. IN Facie Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lituaniæ expressa per R. P. ADAMUM IGNATIUM NARAMOWSKI, Soc. Jes. AA. LL. & Philos. in alma Universitate Vilnensi Doctorem.

Libri II.

Vilnæ, typis Universit. Soc. Jesu, L. I 1724 & L. II 1726, 4. Alph. 5 pl. 20.

HAud leviter instructus ad Historias has scribendas accessisse videtur Rev. Autor: præterquam enim quod passim ad idoneos Scriptores provocat, monumenta quoque inedita, ut *Sapiehana, Szpottana, Petri Dunin, Dominici Podolec*, S. J. aliorumque, speciatim *Stanislai Tobarski Vitam Radivilii*, Historias item anonymorum, *Smolensci, Collegii S. J. Vilnensis, Varsaviensis* item, *Nesvienſis, Pultavienſis, Rigenſis & Orſenſis*, subinde consuluit. Nec barbaro utitur sermone, sed ingenioso & sententiis picto, qualem amat fere gens ista. Libris duobus opus partitus est, non uno tempore editis, quorum primum Illustriss. S. R. I. Comiti Stanislao Donhoff, Palatino Polocensi &c. alterum Celsissimo Regni Poloniæ Tribunali ejusque Assessoribus inscripsit. Et in illo quidem, Capitibus XVII diviso, agit de gestis heroicis Regum Regnique memorabilibus, de rebus aliis notabilioribus Poloniæ & Lituaniæ, speciatim prodigiosis, de pœnis aliquando Regno divinitus illatis, de monstris, aliisque extraordinariis, ut Cometis, de initiis rerum notabilium & consuetudinum, de origine & nomine Regni, provinciarum & urbium, earumque insignium, de dictis Principum argutis, de fœderibus inter indigenas & cum vicinis factis, de religionibus, Abbatiis & Academiis, de prærogativis nobilitatis & ordinis equestris, de origine hæresium, de avulsis a Polonia provinciis, aliisque singularibus. In altero vero Libro, qui multo prolixior, succinctam Regum Poloniæ & Ducum Lituaniæ, tum Archi-Ep. Gnesnenſium, Leopolienſium & Cracovienſium, nec non Episcoporum Crusvicenſium, seu Uladislavienſium, Posnanienſ. Vilnenſ. Plocenſ. Varmienſ. Luceorienſ. Premi-

Digitized by Google

nislienſium, Samogitiæ, Culmenſium, Chelmenſ. Kiovienſ. Camenæcenſ. Smolenſcenſium, & Livoniæ, ſeriem exponit. Nos unum alterumve, quod memoratu dignum viſum, ex utroque Libro decerpemus. Cum ex Lege Ludovici Ungari & Uladislai Jagellonis nobiles propriis impenſis Regnum defendere & hoſti occurrere teneantur, inde factum Noſter putat, quod antiquitus fœminæ in bona nobilium non ſuccederent, nec magnam caperent dotem, ad ſummum quippe centum marcas, ſi opulentiores fuiſſent poſſeſſiones, quia per ſe non poterant concurrere ad tuendam Remp. Lib. I. p. 269.

De Sigismundo Auguſto refert, eum ſectæ Lutheranæ viſum fuiſſe obnoxium, quod in Lithuania imprimis Regias patrocinii litteras illis conceſſiſſet, qui amplas Eccleſiæ poſſeſſiones partiti ad eam convolaſſent; obſervatque, Lutherum etiam ipſum ſua illi Biblia dedicaſſe, quæ viſa fuerint in Bibliotheca Collegii & Academiæ Vilnenſis Soc. Jeſ. holoſerico & argento compacta, usque ad bellum Johannis Caſimiri Regis cum Suecis & Moſcis habitum, quo tempore a Regiomontanis, dum illuc ob belli metum translata erat Bibliotheca, cum alia ſupellectile, erepta ſint, teſtibus Collegii Actis. 279.

Et quamvis fateatur Noſter, tunc in Lituania vix milleſimam partem Catholicorum, in Samogitia vero A. 1576 non niſi ſex ſacerdotes Cathol. ſuperfuiſſe, nec neget, poſt mortem Sig. Auguſti jurejurando Regio inſertam fuiſſe formulam: *Pacem & tranquillitatem inter diſſidentes de religione tuebor* &c. Vilnenſi tamen Collegio ſuo adſcribit, quod plerique hoc tempore fuerint ad fidem Catholicam reducti, paucis exceptis, quibus ad Comitia Grodnenſia A. 1718 non amplius aditum patuiſſe, gaudet. 282.

Quantum vero in miſeros Thorunenſes declamaverit Autor, apud ipſum legi malumus a p. 329 ad p. 336, ubi etiam inſcriptionem affert, in marmorea Mariana columna, Thorunii poſt hanc ſeralem ſcenam erecta, juſſu Judicii exarandam. Notat etiam de Joanne Wezyk Archi-Ep. Gneſnenſi, quod in coronatione Uladislai IV, cum is jurans verba modo antea memorata attigiſſet, ſolus ſacro zelo motus publice proteſtatus fuerit, tum quod idem Biblia Lutherana Gedani impreſſa, & Regi huic dicata, prorſus ſuppreſſerit, editaque ſevera lege vendi prohibuerit. 334. Lib. II. 145.

Ceterum Liber II hiſtoriæ litterariæ cupidis non ingratus erit, cum Epiſcopos memo-

memorando multos simul Autor producat Viros scriptis claros, ut inter Varmienses Stanislaum Hosium, cujus Diploma indigenatus & nobilitatis authenticum producit p. 449 sq. & Martinum Cromerum p. 456, inter Premislienses Paulum Piasecium p. 518, & inter Plocenses Andream Chrysostomum in Zaluskie Zaluskium, Epistolis statu, ad res Regis nostri Potentissimi apprime facientibus, illustrem, qui A. 1711 mortuus, hoc sibi breve epitaphium poni voluit: *Hic jacet Andreas Episcopus. ConCVLCate peCCatoreM zaLVskI aC pro eo orate*, p. 426. Id tamen in universum observandum, quod non tam vitas quam elogia, eaque plerumque admodum succincta, dederit Rev. Autor.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE des hommes illustres dans la Republique des lettres, avec un Catalogue raisonné de leurs Ouvrages.

h. e.

COMMENTARII HISTORIÆ CELEBRIUM in Republ. Litter. Virorum inservientes, accedunt Catalogi librorum, cum judiciis & censuris.

Lutetiæ Paris. apud Briassonium, 1727, 12. Pl. 18.

Ἀνώνυμος hujus voluminis conditor, videns, ut in Præfatione commemorat, valde in Gallia pariter ac Italia negligi virorum eruditione clarorum historiam, Anglos vero illustrium suorum civium vitas nimis copiose describere, Germanos denique promiscue quosvis literati gregis longa vitæ descriptione honestare; in animum induxit singulis trimestribus volumen edere, vitas eruditorum recentioris ævi justa brevitate descriptas continens, addita librorum a singulis editorum mentione, prolatisque, quæ de iis publice lata fuerunt, judiciis. Hausit autem, ut in singularum vitarum exitu indicat, ea, quæ hic concinnum in compendium redacta exhibet, ex nostris *Actis eruditorum*, ex *Novis literariis* tum nostris, tum Belgicis, ex *Diariis literatis* Parisiensi, Trevoltiensi, Hagensi, ex *Bibliotheca Germanica & Anglica*, simili-

Digitized by Google

milibusque libris aliis : eoque nomine laudari meretur, quod, quæ passim dispersa legebantur, uno fasce complexus est. Prodeunt igitur hoc volumine (alterum etiam jam sub prelo fervet,) Vitæ Isaaci *de Larrey*, Ludovici *Ferrandi*, Jacobi *Perizonii*, Philippi *de la Torre*, Joannis *Lockii*, Petri Danielis *Huetii*, Joannis *Peringskioldi*, Claudii Francisci *Menestrierii*, Benedicti *Pictetti*, Dominici *Guilelmini*, Joannis *Martianæi*, Pauli *Rabussonii*, Sigismundi *Schmiederi*, Alberti Henrici *de Sallengre*, Ludovici Antonii *de Ruffy*, Jacobi *Bernardi*, Henrici *Dodwelli*, Jacobi *le Long*, Jacobi *Rhenferdii*, Pauli *Casati*, Pauli *Pezronii*, Antonii *Pagii*, Vincentii *Placcii*, Stephani *Baluzii*, Ignatii Gastonis *Pardies*, Georgii *Bulli*, Guilielmi *Delisle*, Richardi *Simonis*, Joannis *Tolandi*, Joannis Baptistæ *du Hamel*, Nicolai *le Nourry*, Casimiri *Oudini*, Guilielmi *Blanchardi*, Pauli *de Rapin de Thoyras*, Ludolfi *Kusteri*, Petri *Heylini*, Ægidii *Menagii*, Ismaelis *Bullialdi*, Adriani *Relandi*, Conradi Samuelis *Schurzfleischii*, Joannis *Devi* (*Dée*) Spiritus (*Esprit*) *Flecherii*, Jo. *Cosini*, Pauli *Segnerii*, Vinc. *de Filicaia*, & Oligeri *Jacobæi*. Videntur pauci a nobis exspectare hujus operis specimen, cum in supra laudatis commentariis plerique jam legerint haud dubie, quæ hic conjuncta exhibentur. Ut tamen more nostro nos geramus, primam vitam quam brevissime repræsentabimus. *Isaacus Larræus*, ortu Eques Normannus, Montevillerii natus est A. 1638 mense Septembri. Patre præmature rebus humanis erepto, Cadomi literis operam navavit humanioribus, idque præclaro cum successu. Hinc ad Jurisprudentiam animum appulit, eamque ob causam Harflevium se contulit in præstantis Advocati domum, cujus mox filiam suam fecit uxorem, admodum adolescens necdum completis viginti ætatis annis. Redux inde in patriam tam prospere causas egit, ut complurium principum virorum sibi conciliaret favorem singularem. Ipse interea præter Jus Civile etiam historiam tractavit ceterasque amœniores literas, ne Theologia quidem omissa. Cum vero circiter annum seculi superioris octogesimum accideret, ut filia ipsius natu maxima Catholicam amplexaretur religionem, veritus, ne iterum hoc dolore afficeretur, regno exire una cum liberis suis constituit. At cum huic consilio obstaret Edictum Regium, nec

deprecatoriæ Electoris Brandenburgici literæ quicquam proficerent, clam exeedere & evadere conatus est. Etsi autem in primo suo conatu deprehensus conjiceretur in carcerem, inde tamen liberatus oblata secundiore occasione trajecit in Hollandiam: ex qua statim cum uxore & quatuor liberis se Berolinum contulit, auctusque ibi est tum certo stipendio, tum titulo Consiliarii aulici & legationum. Hoc in otio libros scripsit haud paucos, inter quos duo opera eminent: *Historia Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ*, ac *Historia Ludovici XIV Galliæ Regis*. Ceterum nec Anglorum applausus prius, nec Gallorum posterius excepit, utrisque judicantibus, elaborationem nimis esse perfunctoriam. Vita excessit Larræus A. 1719 d. 17 Martii. Ex ceteris Vitis cum nihil excerpendum duxerimus, tamen præterire nolumus, quod *p. 73* de *Menestrierio* relatum legimus, eum videlicet adeo polluisse memoria, ut coram Christina, Sueciæ Regina, trecenta peregrina vocabula sibi ab alio recitata statim repetierit, nec semel solum priori ordine, sed etiam ordine inverso varieque mutato.

JO. CHRISTOPH. WOLFII, PASTORIS AD D. Cathar. Hamburgensis & Scholarchæ, Bibliothecæ Hebrææ

Volumen III,

complectens accessiones & emendationes, ad Volumen I totum & Partem secundi, quoad de scriptis Anonymis exponit, pertinentes.

Hamburgi & Lipsiæ, apud viduam Felgineriam, 1727, 4. Alph. 7.

TErtium hoc est Volumen egregii Operis, cujus Vol. I in Actis his A. 1715 p. 265, II autem A. 1722 p. 194, enarravimus. Sistuntur vero hic copiosa supplementa, nec paucæ emendationes ad Volumen I integrum & Partem secundi eam, quæ de Anonymis Hebræorum Scriptoribus agit, spectantes. Apparatus hujus novi copia, quæ molem Voluminis I fere æquat, Rev. Autori ex variis occasionibus subnata est, quas ipse in præfatione commemorat.

Digitized by Google

morat. Scilicet cum in proferendo perque operas exſcribendo Tomo I occupatus eſſet, idque fere dimidium abſolviſſet, notitiam accepit ampliſſimæ Bibliothecæ Judaicæ, quam R. *David Oppenheimerus*, Archi-Synagogus hodie inter ſuos Pragenſis, incredibili ſumtu & improbo labore congeſtam, Hannoveram aſportari curaverat. Eam igitur tunc quidem, cum Volumen I ſub prelo ſerveret, obiter, quod rationes ejus tum ferebant, inſpexit, poſtea vero repetitis vicibus diligentius excuſſit, atque adeo priorem apparatum inſignibus auctibus locupletavit. Factum vero præterea eſt, ut A. 1720 inſignem librorum Judaicorum ſupellectilem, quam *Chriſtianus Theophilus Ungerus*, ὁ μαχαίρης, Paſtor quondam primarius Hermannſchützenſis & Ritzenenſis in Sileſia, undiquaque collegerat, a vidua redimeret, atque adeo opportunitatem monumenta hæc Judaica diligentius evolvendi nanciſceretur. Acceſſit his præſidiis aliud non contemnendum, quod literis Judæorum ad B. Ungerum a Judæis Polonis, Bohemis, Germanis & Italis frequenter miſſis, epitaphiisque, Judæorum eruditorum memoriæ conſecratis, continetur. Cum enim literæ illæ ad rem Judæorum literariam maximam partem ſpectarent, fieri non potuit, quin alia adhuc ignota Rev. Autori paterent, alia incerta & dubia in ſua luce collocarentur. Quæ cauſa eſt, cur idem ad has literas, quarum nonnullas in poſterum in lucem proferet, nec minus ad obſervationes a B. Ungero olim, quoad ſuperſtes erat, communicatas, ſubinde cum honoris præfatione provocet. Non minus vero gratus commemorat aliorum eruditorum virorum liberalem benevolentiam, quam teſtati ſunt illi, transmiſſis cum aliis obſervationibus, tum indicibus Codicum MSC. Hebraicorum, hactenus deſideratis, qui in Pariſienſibus aliisve Bibliothecis deprehenduntur. Sed nec in his acquievit Rev. Autoris induſtria. Perſpectum ipſi cognitumque erat, Bibliothecam Academicam Leidenſem & editis & MStis Codicibus Hebraicis ex illuſtrium Virorum, potiſſimum *Joſ. Scaligeri & Levini Warneri*, legatis egregie inſtructam eſſe, qui ampliorem & accuratiorem enarrationem, quam quidem catalogus illius Bibliothecæ A. 1716, in folii forma recuſus, præſtabat, requirerent. Illuc igitur profectus Codices MSS. ſingulos perquiſivit, & imprimis inter Warnerianos

Digitized by Google

egregiam, alibique fruſtra quærendam Scriptorum Karaiticorum copiam invenit. Atque in his Karæorum commentationibus indicandis & laudandis imprimis ſe diligentem præſtitit Noſter, eorundem opuſcula quædam integra vel ſaltem ex amplioribus excerpta in poſterum exhibiturus.

Ita igitur ſe inſtructum videns ad Volumen Operis I, nunc ſupplendum, nunc emendandum aggreſſus eſt, ea quidem ratione, ut qui in illo commemorati erant Scriptores, iſtorum nomina, notis numericis a ſe invicem diſtincta, in Supplementis his repetantur, inſertis ex ordine novis, quorum mentio vel antea neglecta erat, vel, quod nondum exſtarent, fieri non poterat. Illorum, qui jam laudati erant, tantum non omnium, notitiam ita vidimus eſſe locupletatam, ut nunc vita ſataque Scriptorum diligentius exponantur, nunc homonymi Scriptores, antea inter ſe confuſi, diſtinguantur, nunc ſcripta, appellatis & typographis, &, quot conſtent foliis, argumentisque ſingulorum indicatis, copioſius enarrentur, nunc denique ex rarioribus excerpta inſigniora exhibeantur. Ex quo intelligere licet, Autorem tantum non ſemper ipſa Judæorum ſcripta, quod paucis hactenus contigit, ob oculos ſibi poſita habuiſſe, nec alienæ fidei ſuam recenſionem ſuperſtruxiſſe. Poteramus dictis fidem facere exemplis, niſi ſingula fere folia argumentum inſpicienti præberent. Unum tamen ex ceteris afferre ſas fuerit. Conſtat R. *Jacobi* filii *Aſcher* librum ארבע טורים inſcriptum, & Judæis frequenti uſu tritum, iterum iterumque, nunc ſibi relictum, nunc commentariis recentiorum illuſtratum, operas exercuiſſe. Inter tot editiones una eſt, procul dubio prima, quæ Bibliothecarum Hebraicarum Scriptoribus & Annalium ſeu Originum Typographicarum conditoribus hactenus omnibus ſe ſubduxit. Curata illa eſt Plebiſacii Hebr. פיביא די שקו Italis *Piove di Sacco*, vico urbi Patavinæ vicino, anno æræ Judaicæ majoris, quæ ab orbe condito ducitur, 5238, æræ vero Chriſtianæ 1478 fol. in ædibus R. *Meſchullam* cognomine *Koſi*. Codex eſt membranaceus, nitidiſſime quadratis literis expreſſus, qui tamen duos tantum poſteriores ordines, *Even haëſer* & *Choſchen Miſchpat* exhibet, ſive quod priores duo illo quidem in loco lucem nunquem viderint, ſive quod injuria temporis exemplar, quod ex Bibliotheca

Unge-

Digitized by Google

Ungeriana nactus est Nosler, imperfectum existimari debeat. Illud cum cura describitur p. 444 seqq. tanquam tale, quod omnes, qui hucdum recensiti exstant, libros Judæorum editos antiquitate superet. Mentionem hujus voluminis fecit *Hieronymus Albrizzi*, Bibliopola eruditus & inter Venetos hodie præstantissimus, in Novis literariis, sub titulo *Fogletti literarii* Venet. 1723 num. II 7 Jun. p. 22, Italice editis, quæ tamen p. 446 ex aliqua parte emendantur. Hæc de institúto & ratione Supplementorum sufficiant, si monuerimus, inde a p. 1170 usque ad finem operis legi accessiones ad notitiam Scriptorum Hebraicorum Anonymorum, quæ in Volumine II p. 1247 sqq. suppeditari cœperat, referendas.

Inferitur præterea p. 1080–1094 R. *Samuelis* filii *Davidis Jemsol*, Judæi Karaitæ, Itinerarium, a B. Gustavo Peringero a Lilieblad Upsaliæ olim ex MSt. hebraice in 4 paginis 16 editum, & Latinæ jus versione instructum. Cum enim in illo res non contemnendæ, & tales imprimis, quæ ad Karæorum conditionem in Ægypto cognoscendam pertinent, referantur, Rev. Autori consultum visum est, particulam hanc itineris, (quod totum Peringerus non edidit) in plurium usum perducere, cum integrum in Suecia frustra quæsivisset. Colophonem operi imponit, præter indicem, titulos librorum Hebraicorum in Volumine I & III hoc consignatos, literarum serie exhibentem, Appendix, quæ eruditorum curiositati faciet satis. In illa se offert specimen versionis Pentateuchi Græco-barbaræ a Judæis elaboratæ. Lucem hæc vidit CPoli A. 1547 fol. ex officina Eliesers filii Gerson Soncinatis in Pentateucho Polyglotto, per tres foliorum singulorum columnas ita expresso, ut in media textus Hebræus vocalibus & accentibus instructus, in dextra versio *Hispanica*, in sinistra *Græco-barbara*, utraque literis hebraicis punctatis, legatur. Illius mentionem post alios nominatimque *Jac. le Long* in Bibliotheca Sacra p. 41 editionis in fol. repetitæ, Nosler fecerat in Volumine II Bibliothecæ Hebraicæ p. 355 & 447. Cum vero nusquam specimen istius interpretationis Græco-barbaræ exstaret, Rev. Autor operam dedit, ut primam illius Pentateuchi paginam, quæ quinque priora capitis primi Geneseos commata complectitur, ex Belgio nanciscereturlectoribus

hic exhibitam. Primum itaque verſionem ex dialecto Græcorum recentiorum literis Hebraicis, quibus Interpres Judæus uſus eſt, & a latere, literis Græcis repræſentat, quam deinde ſimili ratione verſio Hiſpanica, literis ſcilicet Hebraicis & Latinis deſcripta, excipit. Ex ſpecimine hoc intelligenti patebit, interpretationem Græcam ex hodierna dialecto non ad exemplum τῶν LXX, ſed novo Interpretis conatu eſſe elaboratam. Paucula quædam ejus verba *Jo. Seldenus* pro inſigni ſua harum literarum peritia recitaverat in libro II de Jure Naturæ & Gentium cap. XI.

Poſt hæc ſuppletur quædam lacuna in חזוק אמונים, libro Anti-Chriſtiano virulentiſſimo, hactenus non obſervata. Wagenſeilium τὸν μαχαίτην illum primum in *Telis igneis Satanæ*, hinc vero Judæos Amſtelodami A. 1705 in lucem donaſſe conſtat. In utraque hac editione, *Altorfina* ſcilicet p. 113, *Amſtelodamenſi* autem p. 30, hiat contextus, aliquot ſcilicet foliis fortaſſe ideo truncatus, quod librariis Judæorum nonnulla, quæ genti ſuæ fraudi eſſe poſſent, in Chriſtianos durius ſcripta viderentur. Lacuna ipſa detecta primum eſt a B. Ungero ſupra laudato, beneficio Codicis MSti, qui ut multa alia libri peſtilentiſſimi loca emendatiora & pleniora exhibet, ita & hiatum illum reſarciendi occaſionem ſuppeditavit. Hoc ſine Codicem integrum cum editione Wagenſeiliana curate comparaverat ὁ μαχαίτης, conſignatis ad oram exemplaris ſui lectionum varietatibus & ſupplementis, inter quæ id, de quo ſermo eſt, eminet. Ex collato itaque exemplo illo, (quod primum ad Rev. *Godofr. Balthaſ. Scharffium*, Seniorem hodie Miniſterii Evangelici apud Suidnicenſes meritiſſimum, ejus vero beneficio ad Noſtrum pervenit,) reſtituuntur illa, quæ non tam caſu exciderunt, quam a Judæis ſibi metuentibus deſtinato conſilio omiſſa eſſe videntur. Hebraico contextui Rev. Autor Latinam ſuam interpretationem oppoſuit, addito in calce ſpecimine ceterarum variarum lectionum, quæ & frequentes ſunt & editioni Wagenſeilianæ emendandæ ampliſſimam præbent materiam.

Supereſt, ut Lectorem moneamus, Rev. Autorem in calce præfationis ſpem facere copioſorum ſupplementorum & emendationum ad Volumen II Bibliothecæ hujus pertinentium, una cum

cum Indicibus in totum Opus pleniſſimis, quibus perficiendis ut Numen divinum & valetudinem firmam & otium idoneum ipſi gratioſe largiatur, ex animo precamur.

JOANNIS ALBERTI PERICULUM CRITICUM, in quo loca quædam cum Veteris ac Novi Fœderis, tum Heſychii & aliorum illuſtrantur, vindicantur, emendantur.

Lugduni Batavorum, apud Joh. Arn. Langerak, 1727, 8 maj. Pl. 9.

AB inſigni eoque ſumme laudabili animi modeſte de ſe ſentientis charactere profectum eſt, quod Vir Cl. poſt eruditum opus Obſervationum Philologicarum ad omnes libros N. T. A. 1725 editum, & Menſe Julio ejusdem anni a nobis p. 302 ſeq. recenſitum, nunc novo huic & non minus præclaro ingenii ſui monumento, *Periculi* critici, quod majorem titulum merebatur, nomen imponere voluerit. Et quanquam pauca ibi V. T. loca attingat, ex iis tamen non omittemus, *Deut. XXXII, 39*, p. 2 ſignantius quam a LXX & Vulgato verti, *videte nunc, quod Ego, Ego ſim IS*, particula hac Dei ſimplicitatem ac immutabilitatem exprimente. Non exhauſit emphaſin hanc ſane Jo. Crojus Obſ. Sacr. c. 21, bene tamen Jac. Guſſetus in רְאוּ noſterque Seb. Schmidius h. Ad *Pſ. CXXI, 4*, elegans p. 5 affertur locus Heliodori, adventum Deorum profanos latere quidem, a ſapiente autem cognoſci ex oculis illorum poſſe, quod palpebras nunquam concludant, *ἀτρεμὲς διόλε βλέποντες, καὶ τὸ βλέφαρον ἔποτε ἐπιμύοντες*, Æthiop. Lib. 3. Jam Novi Fœderis etiam libris, dum Cl. Jo. Pricæi emendationes diſcutit, inſignem Noſter lucem conciliat. Ait enim p. 10, *ſe omnia ea loca, quorum receptam lectionem movere Pricæus ſtuduit, quaque a nemine hactenus excuſſa ſint, diligentius vindicaſſe a Capite IV usque ad caput XIV.* A capite XV autem usque ad finem magna pars Heſychii Grammatici juxta ordinem illuſtratur, aut plane emendatur: quod in exiguo hoc libello fieri potuiſſe, nemo forte præſumiſſet. Ne tamen excidat nobis locus *Eſaiæ VII, 14*, qui apud Pricæum ad *Luc. I, 31*,

I, *31*, occurrit f. 203, existimat ille apud LXX ex Hesychio scribendum, συλλήψεται pro λήψεται, & vicissim apud Hesychium συλλήψιν, ἐν γαστρὶ ἕξει, verbis LXX, ad quæ ille respexetit, non ἔγγαστρον ἕξει. Ac nollem hunc Nostro locum omissum, qui in locis Hesychii recensendus. *Matth. IX*, *5*, tentat Pricæus hoc modo interpungere, ut duplex interrogatio subsit, τί γάρ; ἔστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν—ἢ εἰπεῖν, *quid enim? estne facilius dicere peccatori, remittuntur tibi--an paralytico dicere, surge?* Sensus certe non sit obscurior. Retinet tamen Dn. Alberti p. 11, 12 vulgatam distinctionem. Alia autem adhuc apud *Matthæum* tetigit Pricæus, quæ hic non occurrunt. Quale illud *c. XVI*, *22*, καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πέτρος, positum id censens pro λαβόμενος, ac vertens, *manu prehendens vel arripiens*, non, *complectens* nec *seorsim abducens*. Sequens enim, ἐπιτιμᾶν αὐτῷ, asperius & liberius quid permittere. *Luc. II*, *32*, pro εἰς ἀποκάλυψιν posse legi, εἰς ἀνακάλυψιν, sensu percommodo, si firmante Codicum authoritate fieret: ut per gentium revelationem intelligamus ablationem τῦ καλύμματος τῶν καρδιῶν. Quo pertinent ἀνακαλυπτήρια sponsarum, ὅταν τὸ πρῶτον ἀνακαλύπτωνται ἀνδράσιν ὁραθῆναι. Respondet Noster p. 13, *cui usui sit talis crisis, ignoro.* In Epistola autem *Judæ comm. 12*, ubi pro σπιλάδες, *saxa sub aquis latentia*, legit Pricæus σπίλοι, *maculæ, sordes*, ex *2 Petr. II*, *13*, mutat sententiam p. 38, *ambabus ulnis amplecterer σπίλον, si veterum Mſc. autoritate esset munita lectio.* Sic *Apoc. XII*, *7*, καὶ οὐκ ἴσχυσαν, ubi Pricæus, κατίσχυσαν, ex *Luc. XXIII*, *23*, quia simplex eo modo in his libris non ponatur; Noster p. 41 similiter, *optime si Codices faverent.* Atque iterum ad *1 Joh. III*, *20*, p. 35, illud ὅτι, secundo loco positum, Pricæo videtur aut in ἔτι mutandum aut delendum. Noster, *neque mihi prius displiceret, si Codicum suffragia darentur.* Ad *Luc. III*, *18*, εὐηγγελίζετο τὸν λαὸν, Pricæus f. 227, ex Thoma Magistro, *apud usum Chariclidem hanc constructionem inveniri.* Hic Noster p. 15, *vellem docuisset, quis ille Charicliades? Nam Thomas ita loquitur, ὡς παρὰ Χαρικλείᾳ, forte Pricæus legit* Χαρικλείδῃ, *sed dubio procul Heliodorus innuitur, cujus Opus olim* Χαρίκλεια *a plebe dictum.* Suidas similiter εὐαγγελίζομαι

se,

σε, αἰτιατικῇ, sive casu quarto; sed non aperuit, ubi invenerit id apud profanos, fol. 880 Tom. I. Nobis non videtur Pricæus ne hic quidem quidquam peccasse. Nam ad *Luc. XV, 20* & *XXIII, 27*, diserte citat Heliodori verba Græca, ac dicit, ea loqui de Chariclia & Theagene. Ad *Actor. X, 17* & *XXVII, 15*, nominat Heliodori Librum primum: iterum ad *Act. XX, 38* & *c. XXII, 26*, librum quintum: aliquoties etiam alibi omittit libri numerum. Mendum ergo est ad *Luc. III, 18*, librario imputandum, qui scribere debuit, *apud unam Charicliam*, vel *Charicleam*. Heliodorum ibi nominare noluit Pricæus, quia eum nec nominat Thomas: decem etiam libros Æthiopicorum familiares fuisse Pricæo, liquet. Ejusdem tria alia loca circa expositionem *Act. XIII, 42* adducuntur a Nostro de voce μεταξὺ, ubi dubium erat, an id habeat sensum intervalli seu interjecti temporis, an vero subsequens tantum tempus notet, p. 45, 46. Duo priora loca, Lib. 2 p. 74 & Lib. 6 p. 267, favere ait etiam versioni receptæ, *sequenti Sabbato*, tertium autem, Lib. 7 p. 344, flagitare *intervalli* sensum. Utique intervallum illius temporis, quod interjectum est inter duo Sabbata, etiam subsequitur Sabbatum primum; sed connotatur voce Græca prætereа totus ille tractus intermedius simul; quod non fit, si simpliciter vertas *sequenti Sabbato*, observante nostro Erasmo Schmidio, ibidem. Eo modo loquitur Dioscorides Lib. 3 c. 51: *Bacchаris folia aspera sunt*, μέγεθος ἔχοντα μεταξὺ ἴτεα καὶ φλόμιδος, *magnitudinem habentia mediam inter violam & verbascum*. Rem ipsam Suidas etiam vidit, sed interjectionem perspicue non expressit Latinus; nam ἀναμέσον non est hic, *interim dum*, in priori exemplo. In secundo nil exhaurit τὸ ἔτι, ἐ πρὸ πολλοῦ. Rectius Alexander tempore illo intermedio, cum inter bibendum incaluisset, ira accendi cœpit. Μεταξυλογία autem innuit intervallum istud optime. Corruptam a multis jam seculis lectionem *Luc. I, 78*, existimans Pricæus, scribendum ait ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἄνωθεν ἐξ ὕψους, *Deus visitavit nos desuper ex alto*, copioseque contendit se tueri. Nec debuisset hanc crisin, quæ omnium est difficillima, prætervidere Noster; siquidem omnia vindicare voluit. Nam & ad *Luc. IV, 16, 17, intravit die Sabbati in Synagogam*, non omisit p. 43, 44, dialogum hominis Judæi cum Christiano, recitatum a Suida,

aut interpolatore illius, in Ἰησᾶς. Quod enim non Suidas ipse hic loquatur, neque ex eo, quod Christo sit traditus liber Esaiæ ad prælegendum, concluderet, munus aliquod sacerdotale apud Judæos eum habuisse, nec crediderit Suidas, narrari ibi vere aliquod mysterium Judaicum, lectu vel ideo dignum, quia divina ipsius origo ex illibata virgine valide hic demum confirmetur; sed vero aliunde totum hoc irrepsisse, notum est. De Judæis certe & de Justiniano M. commentari hic non fuit Suidæ propositum; ceu ex errore in nomine Justini Senioris, & excerpto Democriti de Judæis f. 123 & 128, Tom. I Ed. Küst. intelligitur. Pricæus contra ad *Luc. VIII*, 25, paulo aliter exercuit ingenium suum in verbis *Marci IV*, 40, ponendo interrogationem post ἔστε hoc modo, τί δειλοί ἐστε; *quid timidi estis?* ἔτω πως ἔχετε πίστιν; *ficcine non habetis fidem?* Et respondebant illi inter se, τίς ἄρα ἔτός ἐστι; *quinam iste igitur est?* Porro *Act. XIX*, 25, ἔτος legit pro ἧς, συναθροίσας Demetrius, εἶπεν, Ἄνδρες συντεχνῖται, ex antiquo Codice. Sed compensat tamen industriam suam Dn. Alberti, quæritque vicissim ad *Matth. IV*, 11, p. 48, an per angelos ministrantes Christo, præter alia ministeria innuatur etiam ministerium cibi, ob famem præcedentem? hunc enim locum non tetigerat Pricæus. Wolzogenius hic, *nihil*, inquit, *probibet statuere, eos Christo cibum aliquem attulisse, quemadmodum Elia.* Jam olim idem sensit Landulfus Cartusiensis. Fridericum autem Spanhemium Part. III Dub. Evang. 68 laudasset Noster. Si vero ista quæstio non sit critica, ecce aliam ad *Hebr. XII*, 27, τὴν μετάθεσιν σαλευομένων, ὡς πεποιημένων. Fatetur p. 54, 55, sibi diu arrisisse emendationem Cl. Bos, πεποιημένων. Conjungere hæc duo quidem Hesychium; sed sine Codicibus nihil facile mutandum, rursus arbitratur. Novum tamen sensum vocabuli attulit & πεποιημένον ait dici, quidquid non est solidum & duraturum. Et hæc opponi iis, quæ non commoventur, sed manent. In Epistolam ad Hebræos non scripsisse Pricæum, qui istum alias locum non neglexisset, ad reliqua illius Viri desiderata referendum est. Nunc quum in Evangelium Lucæ & Acta prolixe commentaretur, promptum ei fuerat etiam Hebræos adjungere, quos eundem habere Autorem, ex quarundam convenientia locutionum vide-

Digitized by Google

videbatur ſibi poſſe conjicere, ad *Act. III, 13, & XXV, 16.* Famam Pricæi laceſſunt p. 71, qui eum credidiſſe putant, *baccaris* eſſe nomen ſcriptoris, quem Heſychius laudet in materia unguentorum, voce *βρένθιον*, illumque ſcriptorem retuliſſe in Indicem Heſychianum, Commentario Apuleji annexum p. 743. Iterum autem abſolvet eum, qui duo loca Heſychii in *βρένθιον* & *βάκκαρις* contulerit. In neutro eſt veſtigium alicujus ſcriptoris. Μύρον vocat utrumque, & alterum alteri comparatur, *βρένθιον μύρον τι ὡς βάκκαρις. βάκκαρις μύρον* Λύδιον. Excuſſit hæc Salmaſius in Solinum ubertim f. 1068, Suidas etiam Heſychio hic conſentaneus, *βρένθος δὲ εἶδος μύρου, eſt genus unguenti.* Quæ ibi ſequuntur, luxata ſunt, neque a Cl. Küſtero reſtituta f. 455 Tom. I. Hominem autem, cui curam indicis ſui commiſerat Pricæus, *τὸ ὡς* decepit. Aliquando nominat Heſychius ſcriptores diſerte: Σαμβύκη τὸ μουσικὸν ὄργανον, ἢ μέμνηται Ἰοβας, καὶ πολυσχιστικὸν, ἢ Βίτων. Alibi loquitur abruptius: Σαμβράκη, τροφή τις τῶν μελισσῶν, ὡς Ἀριστοτέλης. Σάνδυξ, δένδρον θαμνώδες, ὡς Σωσίβιος, *ceu tradit Soſibius.* Id vero non eſt perpetuum. Nam *βρένθιον* eſt unguentum tale, *ὡς βάκκαρις, quale baccaris.* Ita nullus index forte ab ejusmodi lapſibus excipietur. Pricæo autem id non imputes. De iſtis unguentis plura Foeſius in Oeconomia Hippocratis f. 118. Nunc publico nomine prædicari meretur collectio tot emendationum Heſychii, quam hic inimitabili aſſiduitate iterum exhibet doctiſſimus Autor noſter; dummodo examinentur prius *τὰ διαφέροντα*, addanturque nomina virorum, qui primi ſuo quisque loco ita emendarunt. Sic *κατερέξατο, ἐκαθέδη*, p 90, debetur Cl. Jenſio, primo inventori, *Lection. Luciani p. 11.* In foro Juris Græcorum *ἀναπαυσις* p. 100, vix ſuſtinebit ſenſum *dilationis*, neque vox popularis ſupplebit terminum forenſem technicum. Libri Βασιλικῶν vocant *ὑπερθέσιν*, titulo *περὶ ἀπρακτων ἡμερῶν καὶ ὑπερθέσεων, de feriis & dilationibus.* Multo minus appellant *ἀναπαυσιν τῆς προθεσμίας.* Nam *προθεσμίαν αἰτεῖν*, eſt *petere dilationem*, *λαμβάνειν προθεσμίαν, accipere dilationem*, *δίδοται προθεσμία, datur dilatio*, *χρόνος τῆς προθεσμίας, tempus dilationis*, vel *dies præſtituti*, Suidas f. 184 Tom. 3. Hiatum ergo gloſſæ in λαξαμένου ſup-

ſuppleat tantiſper ἀναχωχὴ, ἀναχωχαὶ, *induciæ*. Προθεσμία enim ibi adjicitur ceu dilationis ſynonymum. Suidæ ἀναχωχὴ dicitur pax temporaria, εἰρήνη πρόσκαιρος, ad exiguum tempus durans, & ſufflaminatio curſus forenſis, ex Scholiaſte Sophoclis, f. 166 Tom. I. Μαγιστέριον, ἀρχὴ, facile excuſetur per ordinem eorum, quæ ibi ſequuntur. Suidas tamen, μαγιστερία ἀρχὴ, combinato ſenſu, f. 478 Tom. II. Apud Labbeum Part. III f. 206 recte emendat Noſter ἀπολάνες. Nam ex part. I, ἀπολεύσας, *adeptus*, ἀπολεύειν *potiri* f. 23. Sed vero ἀπὸ πρωΐ, *a mane* vel *ſub mane*, habemus *Act. XXVIII*, 23. Boni interim ominis eſt, Criticos emendare velle etiam voces Juris Græci: quomodo Pricæus ad *Luc. III*, emendans *Novellam Juſtiniani XVII* bis adeo, *c. 8 & 10*, f. 225 & 226, ac multa præterea illuſtrat loca ſacra textibus Juris, tum hic, tum in Apuleji Commentario, ipſumque etiam Heſychium ſæpiſſime. Sic ἀνανένες pro ἀνενετέ, ἀρνέτω & ἀπαρνέτω p. 619. Si quis itaque vel ſola illa Capita, quæ Reineſius Noſter *Var. Lect. Libr. 3 c. 1*, Bentlej. *in epiſt. ad Millium*, Lamb. Bos *Obſerv. Miſc. p. 152 usque ad p. 195*, quæque *Noſter* tum hic tum in Obſervat. N. T. ac *Pricæus* paſſim reſtituit, cum *Wolfianis*, Tom. IV Anecd. & paucis aliis, colligat in unum, habebimus tandem Heſychium quodammodo novum, ſi maxime deſtituamur auxiliis Küſteri. Ceterum quæ ad Præfationem monenda nobis reſtant, in proximum Menſem rejicimus.

CHRISTIANI BENEDICTI MICHAELIS, Fridericianæ Acad. Prof. P. Commentatio Apologetica, qua origo linguæ Hebrææ ex Græca convellitur, & γνησιότης Pentateuchi, nominatim Geneſios, vindicatur, imprimis vero pericopa illa Moſaica Geneſ. XI, 1---9, ſuo Autori, ætati ac ſenſui reſtituitur adverſus Cl. Philologi Helmſtadienſis φλυαρίας.

Halæ Magdeb. in offic. Renger. 1727, 8. Pl. 16.

EDiderat haudita pridem Cl. *Michaelis* Diſſertationem ad confutandam Cl. Hermanni von der Hardt, Profeſſoris Helmſtadi-

Digitized by Google

ſiadienſis, ſententiam de Hebræa & ceteris Orientis linguis e Græca derivandis. Id vero tam moleſte hic tulit, ut antagoniſtæ ſuo opponeret duodecim libellos, in quibus omiſſa priore controverſia novam paradoxorum Theologicorum dodecadem exhibet, & adverſario ſimul ſuo diſertiſſime illudit. Ex his primum elegit Cl. *Michaelis*, quem refelleret curatius, nempe *Hiſtoriam regni Babylonici per Cyrum everſi, ex Geneſ. XI–9*, quam nos quoque ſupra recenſuimus *p. 93*, additque, ſe confidere, fore, ut, qualis deprehendatur eſſe illa Babylonici regni hiſtoria, talia lectores judicent eſſe reliqua Hardtii ſcripta Anti-Michaelica. Diviſit autem Commentationem ſuam duo in Capita, priore denuo convellens illam de Hebrææ ac ceterarum Orientis linguarum originibus in Græcia quærendis ſententiam; poſteriore hiſtoricam illam narrationem *Geneſ. XI, 1–9*, Moſi vindicans Autori, & ab interpretatione Hardtiana luculenter defendens. *Capitis primi* initio obſervat, jam fuiſſe Thuringum quendam, nomine *Jo. Petrum Erícum*, qui, quicquid eſt hodie linguarum, e Græco ſermone deducere ſuſtineret, ſed eum prorſus caruiſſe ſubſcriptoribus. Idem fatum manere cenſet Hardtium, vix ullo unquam credituro, ſole clariorem eſſe derivationem Hebraici שׁוּר a λιγυρίζω, שַׁחֲקוּם a κολάτης, כִּישׁוּר a φρόφιγξ, מָגֵן a θελγκωμαι, שָׁמַיִם a μεταρσιθαι, & quæ ſunt alia generis ejusdem. Inter hæc cum Cl. *Hardtius* ſcribat, hancce legem Profeſſoribus Academ. Helſt. præſcriptam eſſe, *nihil ut doceant ſine ratione juncta*, hanc arripit occaſionem Cl. Autor, exhibendi ex uno illo libellulo Hardtiano acervum paradoxarum ſententiarum, quas Hardtius non ut problemata, ſed ut Theſes, quarum certitudo omnibus debeat evidens eſſe & explorata, poſuit, cum tamen vel nulla vel futilis tantum ratio iis adjuncta ſit. Statuit ſcilicet hic Cl. *Hardtius* ſine ulla juſta cauſa, 1) Noachum fuiſſe Iconienſem, 2) eum anno primo a diluvio immolaſſe in Palæſtina ad montem Tabor, 3) Arphaxadum, Semi filium, ad Libanum eſſe natum, 4) duas fuiſſe in Palæſtina urbes *Chebronis* nomine præditas, 5) *Ur Chaldæorum* eſſe Geſchur ſupra Jordanem prope Boſtra, 6) Saram fuiſſe ortu Boſtrenam, 7) Abrahamum ex patria Geſchur brevi via ſe contuliſſe

Digitized by Google

ad Libanum montem in propinquam Auranitin, 8) *Chebronem*, juxta quam Abrahamus habitavit, fuisse Acrabatam supra Sichemum, 9) Eberum, Abrahami tritavum, patria fuisse Acrabatenum, 10) Palegum, Eberi filium, circa Jordanem habitasse, 11) Isaacum immolandum fuisse Sichemi, 12) Rebeccæ patriam fuisse ad Libanum ad fontes Jordanis, ibique 13) Jacobum duxisse Leam & Rahelem, 14) Jacobum fugisse in Gileaditin ad urbem Gadaram, ibique vixisse cum Labano, 15) Abrahamum sepultum esse Lebonæ prope Acrabatam, 16) uxores Esaui fuisse Magdolitas ex gente Turris Stratonis, 17) Jacobum *Genes. XXXII*, 25, cum Esaui nuntio ad pugnam ablegato luctatum esse, 18) Mosem ex Ægypto fugisse ad Demonenses in Palæstina, 19) Mosem, postquam in Palæstina apud Socerum mansisset viginti annos, inde in Ægyptum reversum, sequentibus viginti annis cum Amenophi frustra egisse de egressu Israelitarum, 20) Mosem tandem populum Israeliticum armis liberasse, cæsis Ægyptiis, & idolis per fana dirutis, 21) Mosem per lacum Sirbonis Israelitas ex Ægypto recta ad Palæstinam duxisse: eumque lacum flante Borea nocte congelasse, atque hac occasione feliciter trajecisse Israelitas: rursusque glaciem solutam esse Ægyptiis transeuntibus, atque ita misere pereuntibus, 22) ab Othniele judice usque ad Ehudum fluxisse octoginta annos, 23) Semiramim & Nimrodum esse unam eandemque personam, 24) Babylonem conditam fuisse ducentis demum ab obitu *Mosis* annis, 25) Manassen Regem captivum ductum esse in Syriam ad Orontem, mox e captivitate Lybonensi rediisse in regnum suum, 26) Josiam obiisse apud Turrim Stratonis, 27) Joacham Regem Abilæ ad Libanum vinctum esse, 28) Semiramim non personam certam designare, sed totam nationem Babylonicam, vel uxorem Nebucadnezaris, 29) in Esaia exstare multa Judæorum in Babylonia exulantium oracula de expugnatione Babylonis & victoria Cyri, 30) in ejusdem Prophetæ volumine exstare multa oracula Josuæ Pontificis Babylone in exilio versantis, 31) hunc ipsum Josuam esse autorem narrationis *Genes. XI, 1—9*, 32) Chilkiam Pontificem esse scriptorem historiæ diluvii & genealogiæ *Genes. V—X*, 33) Nebucadnezarem maniacum in hortum pensilem deductum esse, & interdiu in syla, noctu in cavernis degisse, 34) Pelegum

Genes.

Digitized by Google

Geneſ. X, 25, nomen accepiſſe a liberatione a jugo Scytharum. Hæc fingula Cl. *Michaelis* oſtendit non ſolum niti fundamento nullo, ſed etiam claris certisque argumentis facile everti. Redit jam ad diſputationem de origine Græca linguæ Hebraicæ, & allatis compluribus exemplis demonſtrat Hardtianæ opinionis imbecillitatem. Nemini ſcilicet perſuaſum iri putat, Hebr. אֶבֶן eſſe a Græco πέτρα, חֵמָר a μύρωμα, בָּנָה a τεχνιτεύω, עִיר ab ἀγορά, מִגדָּל a κλιμακτὴρ, רוֹשׁ ab ἀκρότης, עֲשָׂה a πρᾶσσω, יְהוָה ab ὑπάρχων, אָדָם ab ἄνθρωπος, שָׁמַע a συνίημι, קֶדֶם a κατ' ἀντικρὺ, כָּתַב a καταγράφω, &c. cum primo nulla propemodum ſit ſive ſoni ſive literarum convenientia inter Hebraicas Græcasque voces; deinde nulla ſtatuatur derivationis analogia, ſed quidlibet fingatur e quolibet; tertio a mere ſervilibus vocum Græcarum literis deducantur vocabula Hebraica, e. g. חָרַל a καταλείπω; quarto multorum vocabulorum Hebraicorum etymologia Græca eaque violentiſſima afferatur, ubi in aprico ſit derivatio Hebraica, e. g. יְהוָה a הָוָה. Præterimus reliquos etymologiarum Hardtianarum nævos hic allatos, ex lege brevitatis noſtræ. Ceterum hic loci invenit etiam Cl. *Michaelis* occaſionem, uno exemplo demonſtrandi, quam malus & profanus ſacri Codicis interpres ſit Hardtius, adducens ſcilicet opinionem ejus de diluvio, ſub quo tanquam ænigmate deſcribi contendit bellum aliquod Scythicum, falſoque credi addit, a Noacho originem ducere gentes univerſas: id quod tamen diſertis verbis docet Scriptura ſacra. Ultimo loco Cl. Autor pauca quædam Hebraica vocabula, quibus non fine omni veri ſpecie Græcam originem tribuit Cl. Hardtius, expendit & veroſimilitudinem ſolerter deſtruit. Ex. gr. Hebraicum פַּלְגִּישׁ cum Græco παλλακὶς ac Latino *pellex* adeo convenit, ut Hardtius prorſus confidat, vocabulum illud agnitum iri ortu Græcum. At oſtendit Noſter, vocis illius radicem eſſe פלג, & acceſſoriam literam ש etiam in aliis mere Hebraicis verbis reperiri, præterea quæ cetera Cl. Hardtii pro ſua opinione argumenta perſpicue refellit.

Cap.

Digitized by Google

Cap. II diluit Hardtianam interpretationem *Geneſ. XI, 1—9*, primo oſtendens, ænigmaticum illud interpretandi genus, quod Cl. Hardtio arrideat in libris ſacris hiſtoricis, eſſe rectæ rationi adverſum, abſurdiſſimis nugis feneſtram aperire, & ſacrum Codicem omni autoritate fraudare, adeoque toti religioni afferre exitium. Hinc e clariſſimis Geneſeos verbis demonſtrat, Hardtianam interpretationem eſſe falſiſſimam, & obtorto collo verba ſacra rapi in ſenſum alieniſſimum. Tum dolens, id negari ab Hardtio, quod nec Judæorum nec Chriſtianorum quisquam unquam vocarit in dubium, adeoque ipſa religionis fundamenta commoveri, probat uberius, Moſem eſſe & totius Geneſeos, & hujus quoque pericopæ Autorem certiſſimum, 1) ex connexione ejus cum antecedentibus & conſequentibus, quam fuſe & lucide perſequitur, 2) ex ipſius Chriſti teſtimonio, 3) ex perpetuo conſenſu Prophetarum & eccleſiæ Judaicæ. Poſtea Chronologiam Hardtianam ex ethnicis ſcriptoribus a Moſe diſſentientibus petitam refellit ac rejicit. Tandem ſingulas interpretationis Hardtianæ partes expendit, quamque plena ineptiarum ea ſit, manifeſtum facit. Totum opus concludit gravi allocutione ad Cl. Hardtium, quem ait inopia debitæ in Deum pietatis ac reverentiæ ſine ulla probabili ratione Moſi abjudicare integras Geneſeos pericopas, easdemque vi manifeſta rapere in ſenſum prorſus alienum & maxime ludicrum; ſumma tumentem ſuperbia ſolum ſibi videri ſapere contemtis ceteris omnibus ſacri Codicis interpretibus; nil niſi nova eaque ab omni veriſimilitudine abhorrentia proferre & inculcare; multum ingenii, perparum judicii habere, atque hinc quævis luxuriantis ingenii phantaſmata ſtatim arripere ac tueri, ut cerebrum ipſius ſit *abſurdiſſimarum opinionum chaos, nugaciſſimorum interpretamentorum promtuarium, & fœcunda mater deliriorum. Bona fide dicimus*, inquit, *ex univerſis Scriptura interpretibus nullum nos vidiſſe, qui tam violentus, tam audax, tam ineptus ridiculusque, ac tu, exſtitiſſet.* Monet igitur eum, ne tam profano ingenii abuſu iram Dei provocare pergat, eique emendationem optat & in rectam viam reditum.

HORA-

Digitized by Google

HORAPOLLINIS HIEROGLYPHICA GRÆce & Latine, cum integris Observationibus & Notis JO. MERCERI & DAV. HOESCHELII, & selectis NIC. CAUSSINI, curante JOANNE CORNELIO DE PAUW, qui suas etiam Observationes addidit.

Trajecti ad Rhenum, apud M. L. Charlois, 1727, 4. Alph. 2 pl. 7 ½.

HOrapollinem hunc Cl. Editor nihil dubitat eum ipsum esse, qui laudatur a Suida. Sed esse hos duos *Hieroglyphicorum* libellos partem quandam Τερεντικῶν, quæ ab eo edita fuisse testatur Suidas, non assentitur Hœschelio, pro certo habens, Τερεντικὰ contexta fuisse lingua Græca, *Hieroglyphica* Ægyptiaca. Ex hac lingua qui in Græcam hoc opus convertit, Philippus, de eo præter nomen nihil notum est. Eum vero pluribus locis aliquid de suo inseruisse, exemplis aliquot probat Editor. Hæc igitur Philippi versio nunc denuo in lucem prodit, prout eam e MS. Augustano ediderat Hœschelius: adjecta interpretatione Latina, quæ Mercerum habet Autorem, aliquot tamen locis ab Hœschelio correcta e MS. Morelliano. Subjunguntur operi primo variæ lectiones ceterarum editionum, deinde Notæ Merceri, Hœschelii, & Caussini: ultimum locum tenentibus Notis Cl. Editoris a p. 273 ad 404. Hæ (nam de jam editis dicere nostrum non est,) reconditæ doctrinæ sunt plenissimæ, sæpe corrigentes Latinum interpretem, sæpe emendantes textum Græcum, subinde etiam notatis criticorum, e. g. Salmasii, Bocharti, Hœschelii erroribus, idque asperius, tam crebro iis objiciente Cl. Editore *ineptias*, ut, qui dixerit, sexcentis id factum esse locis, ei non sit metuendum, ne reus agatur hyperboles. Libet hinc quædam more nostro decerpere legentium in gratiam: quanquam facile intelligitur, hujus generis Notas vix commode huc transferri. *Pag.* 274 judicat, inscriptiones Capitum in hoc opere a recentiore esse manu, neque adeo ullam esse earum habendam rationem. *P.* 305 *seqq.* exponit, quid in crinibus Græci vocent ἀνάσιλον, & hac occasione multa veterum loca partim emendat, partim interpretatur. *P.* 337 *seq.* refellit Hœ-

ſcheliùm & Mercerum, κακέφαν in hoc libro reddentes *ciconiam*. Hinc, etiam Pignorii & Bocharti hariolationibus de hac voce repudiatis, ſuſpicatur, *noctuam* ſignificari, quippe quam Græci recentiores nominent κακύβαν. *P. 365 ſqq.* de *crocodilo terreſtri* multa affert, cum philologiam, tum hiſtoriam naturalem præclare illuſtrantia.

NOTARUM AD INSCRIPTIONEM SIGEam Appendicula, addita a Sigeo altera Antiochi Soteris Inſcriptione.

Fol. pl. 4.

EXhibuimus A. 1722 p. 58 ſq. antiquiſſimam omnium Inſcriptionem Græcam, &, quas in eam annotationes edidit Cl. *Chishullius*, recenſuimus. Nunc appendicem ſiſtimus annotationum ejus, a doctis amicis Cl. Autori expreſſam, qui in nonnullis ab eo ſe diſſentire profitebantur. Initio igitur accuratiorem ſaxi illius literati deſcriptionem profert, docens, id novem pedum habere longitudinem, quatuor fere latitudinem, profunditatem duorum: marmor eſſe operis egregii, candore & lævore admirabili, figura utique quadrata, niſi quod ſuperius in formam rotundiorem coeat latus utrumque. Unde colligit, fuiſſe ſtatuam Mercurialem, cui nunc caput avulſum, caput ſcilicet Phanodici. Hanc enim olim fuiſſe formam ſtatuarum eximiis viris poſitarum, ex priſcarum rerum ſcriptoribus obſervavit. Cum vero nonnemo ei objeciſſet, tunc temporis nullos fuiſſe vel admodum paucos ſtatuarios; nec veriſimile eſſe, Sigeum, ignobile oppidum, ejusmodi artifices habuiſſe; præterea non conſueviſſe ſtatuas locari in Prytaneo; reſpondet, falſo dici hæc ſingula, & e Pauſania aliisque lucide monſtrat contrarium. Cum porro Noſtro, ex hac Inſcriptione probanti, vocem ἡθμὸς adſpirandam eſſe, amicus reſpondiſſet, contrarium apparere e compoſito ἀπηθέω, docetur hic, multa ſimplicia amittere in compoſitione adſpirationem, e. g. ab ἥλιος fieri ἀπηλιώτης. Additur, eſſe quædam vocabula, quæ modo adſpirate, modo leniter pronuntientur, e. g. ἕρση & ἔρση. Idem antagoniſta cum, alteram Inſcriptionem hujus ſaxi non eſſe altera recen-

Digitized by Google

recentiorem, contenderet, Noſter multis argumentis ſuam tuetur ſententiam, inter alia eo, quod in priore *e* & *o* ſive longum ſive breve ſcribatur per E & O, cum in poſteriore occurrant H & Ω. Ceteras quoque amici objectiones feliciter nobis diluere videtur Cl. Autor, ac præterea paucis illis etiam ſatisfacere dubitationibus, quas protulerat Cl. Maittairius.

Progredimur ad alterum Sigei ſuperſtes monumentum, honori Antiochi, ſecundi Syriæ Regis, dicatum. Offenderat id Vir Illuſtriſſimus, *Eduardus Wortlejus Mountague*, Regis Magnæ Britanniæ ad Portam Ottomannicam nuper Legatus, intra parietes iſtius templi, cujus ante fores conſpicua eſt ſuperior Inſcriptio. Lapidem tunc multis is illico aureis nummis redemit a ſacerdote illius ædis, ſecumque in Britanniam detulit. Conſtat hæc Inſcriptio 47 verſibus, quorum poſterior pars injuria temporis tam multas perdidit literas, ut eas reſtituendi vix ulla ſpes ſuperſit. Priores tamen triginta novem verſus hoc modo ſanatos exhibet Cl. Autor: Ἐπιμηνιέυοντος Νυμφίε τῦ Διοτρέφες, ἐπιςατᾶντος δὲ Διονυσίε τῦ Ιπομέδοντος, Δημήτριος Δίε εἶπεν. Ἐπειδὴ βασιλεὺς Ἀντίοχος βασιλέως Σελεύκε ἐν ἀρχῇ τε παραλαβὼν τὴμ βασιλείαν, καὶ προσὰς ἐνδόξε καὶ καλῆς αἱρέσεως ἐζήτησε τὰς μὲν πόλεις τὰς κατὰ τὴν Σελευκίδα, περιεχομένας ὑπο καιρῶν δυσχερῶν, διὰ τὲς ἀποσάσιας τῶμ πραγμάτων, εἰς εἰρήνην καὶ τὴν ἀρχαίαν ἐυδαιμονίαν καταςῆναι, τὲς δ' ἐπιθεμένες τοῖς πράγμασιν ἐπεξελθὼν, καθάπερ ἦν δίκαιον, ἀναικτήσασθαι τὴμ πατρῴαν ἀρχὴν, ἧ ὁ καὶ χρησάμε- ☞ σπεδῆ καλῆ καὶ δικάιᾳ καὶ λαβὼν ἐ μόνον τὲς φίλες, καὶ τὰς δὐνάμεις, εἰς τὸ ἐναγωνίσασθαι περὶ τῶμ πραγμάτων αὐτῶ προθύμως, ἀλλὰ καὶ τὸ Δαιμόνιον ἔυνεν καὶ συνεργὸν, τάς τε πόλεις εἰς εἰρήνην, καὶ τὴμ βασιλείαν εἰς τὴν ἀρχαίαν διάθεσιν κατέςησεν, νῦν δὲ παραγενόμε- ☞ εἰς τὲς τόπες τὲς ἐπίταδε τῦ Ταύρε μετὰ πάσης σπεδῆς καὶ φιλοτιμίας, ἅμα καὶ ταῖς πόλεσιν τὴν εἰρήνην κατεσκεύασεν, καὶ τὰ πράγματα καὶ τὴμ βασιλείαν εἰς μέιζω καὶ τελειωτέραν διάθεσιν ἀγήγοχε, μάλισα μὲν διὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν, ἔπα καὶ διὰ τὴν τῶν

φίλων καὶ τῶν δυνάμεων ἔυνοιαν, ὅπως ἂν ὁ δῆμος ἐπειδὴ καὶ πρόσεχῶς καθ' ὃν καιρὸν παρέλαβεν τὴν βασιλείαν, ἐυχάς καὶ θυσίας ὑπὲρ αὐλῆ πᾶσι τοῖς Θεοῖς διετέλει ποιέμενος, καὶ νῦν ἔυνους ὢν καὶ τὴν αὐτὴν διάθεσιν ἔχων φανερὸς ἦ τῷ βασιλεῖ, Τύχῃ ἀγαθῇ δεδόχθαι τῇ Βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τὴμ μὲν Ἱέρειαν καὶ Ἱερονόμους, καὶ τὸς Πρυτάνεις ἐυξασθαι τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ἰλιάδι, μετὰ τῶμ πρεσβευτῶν, τήν τε παρουσίαν γεγονέναι τῦ βασιλέως, καὶ τῆς ἀδελφῆς αὐτῦ βασιλίσσης, καὶ τῶν φίλων, καὶ τῶν δυνάμεων, καὶ γίνεσθαι τά τε ἄλλα ἀγαθὰ τῷ βασιλεῖ καὶ τῇ βασιλίσσῃ πάντα, καὶ τὰ πράγματα καὶ τὴμ βασιλείαν αὐτοῖς διαμένειν λαμβάνουσαν ἐπίδοσιν, καθάπερ αὐτοὶ προαιροῦνται. Ἐυξασθαι δὲ καὶ τὸς ἄλλους Ἱερεῖς καὶ Ἱερείας, μετὰ τῦ Ἱερέως τῦ τῦ βασιλέως Ἀντιόχυ τῷ τε Ἀπόλλωνι τῷ Ἀρχηγέτῃ τὸ γένος αὐτῦ, καὶ τῇ Νίκῃ, καὶ τῷ Διΐ, καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις. Ἅμα δὲ ταῖς Ἐυχαῖς τῇ μὲν Ἀθηνᾷ συντελεσάτωσαν τὴν νομιζομένην καὶ τατ[illegible]μένην θυσίαν οἵ τε Ἱερονόμοι, καὶ οἱ Πρυτάνεις, μετὰ τῆς Ἱερείας, καὶ τῶμ Πρεσβευτῶν, τῷ δὲ Ἀπόλλωνι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἱ Στρατηγοὶ μετὰ τῶν ἄλλων Ἱερέων. Ὅταν δὲ ποιῶσι θυσίας, σεφανηφορείτωσαν. Οἱ τε πολῖται καὶ οἱ πάροικοι πάντες τε καὶ σύνοικοι δημοσίαισ συντελείτωσαν θυσίας τοῖς θεοῖς ὑπὲρ τῦ βασιλέως καὶ τῦ δήμυ Σιγειέων. Τὰ δὲ εἰς τὴν τιμὴν καὶ δόξαν ἀνήκοντα συγκατασκευάζων ὁ Δῆμος παρέξει εἰς τὸ ἐπαινέσαι μὲν αὐτὸν ἐπὶ τῇ Ἀρετῇ καὶ τῇ Ἀνδραγαθίᾳ τῇ τοσαύτῃ, σῆσαί τε αὐτῦ εἰκόνα Χρυσῦν ἐφ' ἵππυ ἐν τῷ Ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν τῇ Σιγειέων πόλει ἐπὶ βήματος τῦ λευκολίθυ, καὶ ἐπιγράψαι, ὁ Δῆμος Σιγειέων βασιλέα Ἀντίοχον βασιλέως Σελεύκυ Εὐσεβέως ἕνεκεν τῆς εἰς τὸ Ἱερὸν, Ευεργέτην καὶ Σωτῆρα γεγονότα τῦ Δήμυ. Λογοφῦσαι δὲ καὶ ἐμ πανηγύρει καὶ ἐν τῷ ἐνεστῶτι γυμνικῷ ἀγῶνι τὸν Ἀγωνοθέτην καὶ τὸς κήρυκας τὴν τιμήν — — — En & Latinam Cl. Editoris interpretationem: *Epimenia procurante Nymphio, Diotrephis*

phis F. Epiſtatam vero agente Dionyſio Hippomedontis F. Demetrius Diis F. ſententiam dixit. Quoniam Rex Antiochus Regis Seleuci F. quo primum tempore regnum capeſſivit, bonum præ ſe ferens & plenum gloriæ propoſitum, quæſivit quidem, quæ in Seleucide ſunt urbes, difficultate temporum implicitas, culpa quorundam, qui ſe a rerum ſtatu alienos geſſerant, in pace & priſtina felicitate ſtabilire; factoque in eos impetu, qui rerum invaſerant adminiſtrationem, paternum, uti æquum fuit, imperium ſibi recuperare; quamobrem & bona & honeſta diligentia uſus, & accipiens ſecum non ſolum amicos & copias militares, ut promte ei pro republica periclitantes adeſſent, ſed & ipſum Deum fautorem ſociumque operis, & urbes in pace, & regnum in diſpoſitione priſtina ſtabilivit; jamque veniens ad ea loca, quæ ſunt intra montem Taurum, omni cura ſtudioque ſimul urbibus pacem procuravit, ſimul rempublicam regnumque ad ampliorem ſtatum & meliorem diſpoſitionem perduxit, maxime quidem propria ſui ipſius virtute, deinde etiam amicorum & Poteſtatum benevolentia. Ut ergo populus (quoniam quo tempore regnum capeſſivit, ſupplicationibus & victimis pro eo Diis omnibus attente faciens perſeveravit,) nunc etiam bonum animum & eandem erga Regem diſpoſitionem clare ſe habentem demonſtret; Bona Fortuna placere Senatui Populoque, & Sacerdotem ipſam, & ſacrorum Magiſtros, & Prytanes, ſupplicationem Minervæ Ilienſi facere, tum ob adventum Regis, & ſororis ejus Reginæ, & Amicorum & Poteſtatum; tum quod alia quoque bona omnia & Regi eveniant & Reginæ, quodque reſp. & regnum ipſis permaneat, incrementum etiam accipiens, prout ipſi præoptant: ſupplicationem item facere alios aliasque ſacerdotes, una cum ſacerdote Regis Antiochi, & Apollini, generis ejus autori, & Victoriæ, & Jovi, & aliis Diis & Deabus omnibus: quin etiam una cum ſupplicationibus, Minervæ quidem legitimum & præſcriptum ſacrificium peragunto ſacrorum magiſtri, & Prytanes, cum ipſa Deæ ſacerdote & legatis; Apollini vero, cæterisque Diis Prætores, cum aliis ſacerdotibus. Cum voro ſacrificia peragunt, coronas geſtanto. Cives quoque & incolæ omnes & contubernales Diis publica ſacrificia peragunto pro Re-

ge & Populo Sigeorum. Omnia vero ad honorem & gloriam Regis pertinentia Populus upparata habeat præbeatque, tum ad laudandum eum ob virtutem & fortitudinem, tum ad ponendam ejus ſtatuam equeſtrem auream in templo Minervæ, quod eſt in urbe Sigeorum, ſupra baſin candidi marmoris, eique ſic inſcribunto: Populus Sigeorum hoc honore proſecutus eſt Regem Antiochum, Regis Seleuci F. ob ſuam erga Minervæ templum pietatem, Benefactorem & Sotera populi. Hunc vero honorem & in Panegyri & in Gymnico proximo certamine ab Agonotheta & præconibus proclamatum iri.

Quas ad hanc Inſcriptionem exhibet annotationes Cl. Editor, ex iis excerpere libet, quæ ſequuntur. Scilicet *p. 11* docet, *Epimenia* fuiſſe feſtum ſingulis menſibus actum, quo libra & mellitæ placentæ diſtribuebantur convivis magno numero vocatis. *P. 12* obſervat, in τὴμ βασιλέιαν, τῶμ πεαγμάτων, τῶν μεν, μ poni pro ν ob ſubſequentem β, μ vel π, quem in modum etiam Latini dicunt *imbibo, immuto, impono.* Simul hinc concludit, literam β olim durius, hoc eſt, compreſſis labris pronuntiatam fuiſſe. Ibidem, Satrapas in hac Inſcriptione Δυνάμεις vocari obſervans, addit, verſionem τῶν LXX, huic lapidi coævam, pari modo in hiſtoria Eſtheræ *cap. II, 18*, commemorare τὲς φίλες τῦ βασιλέως καὶ τὰς Δυνάμεις αὐτῦ, idemque fieri *1 Maccab. XII, 43. P. 13 & 15* titulum *Soteris*, huic Antiocho in hac Inſcriptione tributum, cum nullus veteris ævi nummus eum exhibeat, interpretatur. Docet nimirum, titulum illum eſſe plane divinum, & offendere Antiochi illius ἀπεθέωσιν a Græcis adulatoribus factam: ac perſuaſum habet, Apoſtolum Paulum, falſos illos ethnicorum σωτῆρας θεὲς reſpicientem ac deteſtantem, de induſtria toties Chriſtum appellaſſe Σωτῆρα in ſuis ad Titum ac Timotheum epiſtolis. Quas *p. 8*, ſe editurum pollicetur annotationes in Inſcriptionem Tejam, vetuſtate ad priorem illam Sigeam proxime accedentem, eas avide a nobis exſpectari credere jubemus Autorem doctiſſimum, eumque, ut quamprimum, quod promiſit, præſtet, publico rogamus nomine. Ceterum notamus, has *Chishullii* Notas hoc ipſo anno recuſas eſſe Lugduni Batav. in 8 maj.

ECCLE-

Digitized by Google

ECCLESIÆ GRÆCÆ MARTYROLOGIUM Metricum, nunc primum colligit, interpretatur, illustrat L. URBANUS GODOFREDUS SIBERUS, Antiqu. Eccl. P. P. & ad D. Thomæ Eccleſiaſtes.

Lipſiæ, in officina Lankiſiana, 1727, 4.
Alph. 3.

DUdum Rev. Autor, Collega noſter conjunctiſſimus, eruditis ſcriptis, ex interiori penu Antiquitatum Eccleſiaſticarum petitis, & doctrina recondita refertis, inclaruit. Nunc Martyrum Græcorum memoriam ſibi ſumſit ex rebus antiquis, de quibus bene mereatur. Argumentum eo magis dignum ejus vigiliis, quod res Eccleſiæ Græcæ nondum omni luce, quam merentur, ſunt illuſtratæ, & a multis, qui aliquid in eo genere elaboraverunt, periculum eſt, ne privatis rationibus inducti, pleraque ad orientales Chriſtianos ſpectantia, velut per artes opticas inverſa & diſtorta repræſentaverint. Jam, quod Martyrologium Metricum potiſſimum elegerit, id propterea factum in præfatione docemur, quod illud abſolutiſſimam Græcorum Martyrum memoriam exhibeat, adeo, ut multi hic unice reperiantur, quos omnes reliqui ſcriptores ignorent. In unum igitur Volumen collegit, hactenus quæ diſperſa & aliis pluribus intermixta in Menæorum Tomis reperiebantur. Inſtituerunt equidem jampridem Hiſtoriographi Sanctorum in Belgio nonnullos verſuum iſtorum memorialium ex Menæis in Acta ſua transferre; attamen & Græca aliquoties omiſerunt, verſionem dare contenti, & integros verſus, qui difficultate nimia laborabant, præterierunt & a fine laborum ſuorum longe adhuc abſunt, ut adeo actum egiſſe dici nequeat Rev. Siberus. Imo plura potuiſſe vellet. Cum enim in Actis SS. ex MSto Synaxario Divionenſi, quod Chifletii fuit quondam, aliqui Menæis incogniti commemorentur, in animo habebat ea, quæ nondum Hagiographi publicare potuerunt, quippe ad Julii & Auguſti confinia ſubſiſtentes, ex ipſo Codice primum vulgare. Verum cum peteret communicationem, eam Codicis aqua marina corrupti conditionem eſſe cognovit, ut difficulter evolvatur & ſolas

fere

fere poſſeſſoris manus admittat. Excidit itaque votis Noſter, & ea tantum, quæ in Menæis Actisque extabant, dare potuit, ſed propter membrorum disjectorum collectionem additamque interpretationem uſui magis accommodata. Dedit tamen & corollaria, Ephemerides nempe Græcas & Chriſtophori Mitylenæi Menologium.

In hæc dum præfatur Rev. Siberus, fruſtra fere de autoribus quæri horum Epigrammatum, indicat. Plures ſaltem fuiſſe, res ipſa loquitur. Non enim ſolum tempore diverſo ſcripta eſſe probabili ratione conſtat, ſi perpendas homines hic celebrari multis ſeculis disjunctos, ſed &, ſi hoc non ſufficiat, & dici forte poſſit, eum, qui recentiſſimos inſcriptionibus ſuis decoraverit, antiquiorum quoque memorias recoluiſſe, ſtyli diverſitas rem omnem conficit. Sunt enim inter hæc Poematia, quæ nobili ſimplicitate ſe commendant & decorum inſcriptionum ejusmodi ſervant. Sunt alia, luxuriantis ingenii luſibus prognata, haud inſcita tamen & ſaltem tolerabilia. Sunt etiam ſterilis venæ fœtus, hyperborea nive frigidiora, quæ nulli ſe probant, niſi qui Bavium non odit. Facile profecto fluunt, nec aſcititium ornatum habent, quæ p. 121 in Amphianum & Ædeſium ſcribuntur:

Τὸν Ἀμφιανὸν ὁρῶν λαβόντα τέφ@
Ἔσπευδεν Αἰδέσιος θανεῖν προθύμως.

It. quæ p. 397 in Phædrum:

Πολλὲς πρὸς ἄλλα. Πρὸς δὲ ξυτίνης ζέσιν
Στερρῶς ἀθλεῦντα Φαίδρον ἔγνωμεν μένειν.

Calamiſtrata magis ſunt hæc in Arſenium p. 165:

Λαθεῖν βιώσας Ἀρσέν@ ἠγάπα,
Ὃς δὲ πάντως ἐκβιώσας λανθάνει.

& in Melanium p. 450:

Οὐχ ὑλακὴ σε κύων μελάνη καὶ μέλαν,
Θεὸς δὲ, κἂν τέθνηκας, ἐν ζώσι γράφει.

Ecquis autem non nauſeet ad frigidum in Syllaba φρε luſum p. 397?

Φρενεύμενος χάριτι σεπτῆς τριάδος
Φρυμέντιος δέδεγχε φρεῦδον τὴν πλάνην.

Neque

Neque minus febriculosa sunt, quæ in Philippum p.280 extant:

Ἵππον ταχὺν, Φίλιππος, τὴν τομὴν ἔχων,
Πρὸς τὸν φιλῆντα θᾶττον ἦλθε δεσπότην.

Demonstrat porro hanc temporum & Poetarum diversitatem illud, quod in eosdem Sanctos variæ nec iisdem diebus reperiuntur Inscriptiones. Ita ad Januarii XXXI offert se memoria SS. Martyrum, Victorini, Victoris, Nicephori, Claudii, Diodori, Sarapini & Papiæ. Ex his quinque priores ad April. V repetuntur, quanquam in Jambis lemmati subjectis solius Claudii fiat mentio. Ita Jonas & Baracheſius primum d. XXVII Martii, deinde iterum die XXIX ejusdem mensis celebrantur, & plures alii eadem ratione. Id vero aliunde accidere non potuit, quam quod aliis in locis alia dies eidem Sancto esset dicata. Sed & idem in eosdem Epigramma variis diebus occurrit, ut in S. Rabulam d. XIX Febr. & XVI Aug. in S. Polycarpum d. XXVI Januar. & XXIII Febr. in Aquilam & Priscillam d. XIII Febr. & d. VIII Jul. De his dicendum putamus, vel Ecclesias, quæ serius Sancti cujusdam cultum recipiebant, elogium ejus alibi jam extans ad suos usus transtulisse, & suæ quoque imagini adscripsisse, vel collectores harum Inscriptionum operæ parcentes, eosdem versus diversis diebus repetiisse, cum ante factos non invenirent. Desidiosos enim quandoque fuisse, inde etiam apparet, quod aliquoties diversarum personarum præconia ex eodem fonte sumserint.

p. 45. 125. 116. 117. 67 & 260. 33 & 71. 59 & 231.

Sed nunc de diverticulo in viam. Rectius enim hæ quoque conjecturæ nostræ intelligentur, si, quæ Rev. Autor de collectione horum Epigrammatum erudite disserit, repræsentaverimus. Deducit ille versus hosce continua serie Synaxariis adjectos ex more antiquissimo, statuas & imagines bene meritorum tabellis ἐπισήμοις ornandi, quibus eorum elogia continebantur. Illum inter Christianos etiam viguisse, nullus dubitat, & obiter ex ista consuetudine, vel pectora vel femora imaginum inscribendi, locum Apoc. XIX, 16 illustrat. Merito quidem explodendos censet illos, qui amorem imaginum Christo & Apostolis æqualem faciunt, & de Servatoris picturis lepide multa fabulantur. Relictis igitur fabulis, antiquiorem tamen imaginum usum asserit Noster, quam Dallæus persuadere voluit, qui primordia ejus ad seculi quarti finem

rejecit. Cum enim jam ſeculo ſecundo in lararíis Principum gentilium effigiem Chriſti aſſervatam (ut de Alexandro Severo Lampridius c. 29 narrat) & eandem ab ejus ævi hæreticis cultam, gravibus autoribus conſtet, ſeculo ſaltem tertio, inter orthodoxos etiam dilectas fuiſſe imagines, non venerationis quidem & cultus, ſed recordationis tantum cauſa, profitetur. Provocat ideo ad Concilii Eliberitani can. 36, quo ſub ipſa ſeculi quarti initia abrogari imagines non potuiſſent, niſi frequens jam antea fuiſſet illarum uſus. Non diſſimulat tamen, canonem hunc de profanis gentilium imaginibus explicari poſſe, quarum Chriſtiani nonnullas in ædibus ad Eccleſiarum uſum receptis eo usque retinuerint. Verum, an iſta interpretatio verbis Concilii conveniat, quibus ſtatuitur, *picturas in Eccleſia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*; alii viderint. Poſt impetratam autem a Conſtantino M. pacem indubia occurrunt teſtimonia de imaginibus cum affectu receptis, qui quidem brevi ſic augebatur, ut ſeculo quinto ædium ſacrarum parietes & porticus obtectæ iisdem & involutæ cernerentur. Ne autem minus prodeſſent umbræ hujusmodi mutæ, eloquentes reddebantur per Inſcriptiones illas metricas, quas additas omnino ab initio fuiſſe, ex Paulini Nolani Epiſtola 32 ad Severum Noſter confirmat, & certum eſſe aſſerit, nullam imaginem, niſi Epigraphe addita, aſtitiſſe. Id adeo verum putamus, ut videantur etiam grandiores picturæ, & plura vel πρόσωπα vel facta referentes, pluribus etiam ſui partibus literatæ fuiſſe. Hinc enim derivamus Inſcriptiones in Martyrologio obvias de perſonis a cultu ſacro prorſus alienis, quales p. 109 in proditionem Servatoris, & p. 112 in cuſtodes Chriſti ſepulchro appoſitos extant, quas quidem fragmenta ex pictura Chriſti paſſionem repræſentante eſſe oportet. Novem autem Epigrammata in Photinæ, Samaritanæ illius, cujus Joh. IV fit mentio, ſororumque & filiorum neces, una ſerie p. 75 ſqq. collocata, quidni tabulam integram ſpectaculis iſtis perpictam exhibere dicamus?

Jam ſi de collectionis tempore ratio reddenda ſit, illi tum operam datam ſtatuit Rev. Siberus, cum Iconomachi disjectas & deletas vellent omnes imagines. Earum cultores contra, quidvis facientes pro conſervandis ſuis cimeliis, cum adverſariorum poten-

Digitized by Google

tentia coarctati, aliud non poterant, id saltem agebant, ut Epigrammata picturarum & cum illis memoriæ servarentur Sanctorum & Martyrum. Illud studium adeo in illis servebat, ut, cum vetera non suppeterent, sive præter nomen Sancti nihil extaret, sive jam combustæ essent ejus effigies, ipsi novas suopte ingenio substituerent inscriptiones, quin canones etiam & hymnos exararent, sicubi ab historia non desererentur. Pertinet ad ista confirmanda, quod aliquoties Epigrammata collectioni huic inserta videas, in cultores imaginum & Martyres ejus cultus elaborata, vid. pagg. 58, 306, 334, 394. Difficilius est, collectores ipsos nominare. Non caret tamen probabilitate, quod Rev. Autor dicit, Theodorum & Josephum fratres Studitas in ea re studium suum collocasse, qui, Codino teste, persecutionis tempore in Xerocepio latentes, hymnos & canones in sanctos composuerunt. Quidni & Epigrammata? præsertim cum Jambi quidam eorum ejusdem argumenti a Sirmondo T. II Opp. p. 753 sqq. referantur. Observatur præterea, sub Theodori auspiciis in Monasterio Studitarum multos extitisse Monachos, qui Inscriptiones ejusmodi componerent. Porro cum alium Theodorum & Theophanem γραπτέας dictos ob inustos frontibus eorum Jambos invenisset, existimat, illos hoc supplicio affici potuisse, propterea, quod vel componendis vel colligendis Sanctorum elogiis, una cum aliis operam navarint. Et ista profecto conjectura tempori pulchre respondet, quo supplicium isti sunt passi, sub Theophilo scilicet Imperatore, aspero iconomacho. Du Cangius in Glossario Græco v. γραπτοί asserit equidem, in Menæis bis mille γραπτέας commemorari & ex Nicephori Xanthopuli Synopsi Sanctorum anni, Mens. Decembr. hunc versum adducit:

Πρωτοσέφανον σὺν γραπτοῖς δυσμυρίοις,

unde numerus collectorum hujus Martyrologii immensum quantum augeretur, quos tamen Rev. Autor, haud præter rem, paucos fuisse statuit. Sed, cum Nicephorum ipsum inspiceremus in collectione quadam sacrorum ejusmodi πεμπτίων Basil. 1536, 8. facta, apparuit legi apud eum σὺν γραπτοῖς, Δυσμυρίοις, & consulentes præterea Martyrologium nostrum, deprehendimus p. 446 elogium Theodori Grapti, d. XXVII Decembr. extremo collocatum, excipi sequentis diei initio ab alio bis mille Martyrum Ni-

Digitized by Google

comediæ combuſtorum, quod plane confirmabat, δυσμενῶς veram eſſe lectionem & Nicephorum horum Nicomedienſium mentionem facere, quibus cum γεαπτοῖς nil aliud commune, quam quod cultus ſerie, altero tamen die, illis jungantur. Cum vero apud Nicephorum γεαπτοῖς legatur, & in Martyrologio unius Theodori mentio fiat, ſuſpicamur, aut γεαπτῷ legendum apud illum, aut Nicephorum ſynopſin ſuam feciſſe ex Diptychis, in quibus Theodorus & Theophanes conjuncti fuerint. Sed quicquid ſit de collectoribus iſtis antiquioribus, certum ſaltem eſt recentiores etiam Syllogæ ſemel factæ addidiſſe ſua, quod nunc
p. 261. quidem vel ſolo Epigrammate in imaginem Chriſti Edeſſa allatam, quod ſeculo undecimo Græci factum narrant, confirmare ſufficiat. Venit nobis in mentem, cum hæc tractaremus, num forte Nicephorus ille Xanthopulus, quem modo allegavimus, cuique ob ſynaxaria erroribus, ut putat, contaminata tantopere infeſtum ſe præbet paſſim Allatius, manum operi admoverit, quoniam eum in memoriis Sanctorum commendandis occupatum fuiſſe, & Jambis etiam ſcribendis aſſueviſſe, conſtat. Dubios tamen nos reddidit partim, quod Nicephorus in Synopſi ſua ab ordine Sanctorum in Martyrologio ſæpius abeat, partim quod eos Schismaticos, uti Latini vocant, quibus faviſſe in Synaxario dicitur ab Allatio, hic non videas commemoratos, niſi forte, quæ in Siſinnium & Germanum Patriarchas ſcripta ſunt, huc trahere velis. Sed modus eſto conjecturarum. Feramus tantiſper hanc incertitudinem noſtram, donec Rev. Autor in Commentario præſentis Martyrologii, cujus nonnulla ſpecimina correctionibus aliquot Græci textus nunc quidem dedit, certius omnia hæc & alia, quæ lucem deſiderant, expediverit. Perſuaſum penitus habemus, neminem id melius Noſtro poſſe. Quapropter magnum in nobis deſiderium accenſum fatemur, cum polliceri eum luculentam & Martyrum & cruciatuum notitiam legeremus. Præcipimus animo jucundiſſimam & plane διδακτικὴν lectionem, & ne diu ſpem noſtram moretur, rogamus.

MELETEMATA THORUNENSIA, SEU Diſſertationes varii argumenti, ad hiſtoriam maxime Poloni-

Digitized by Google

lonicam, & Prussicam, politicam, physicam, rem nummariam ac literariam spectantes, jam collectæ curante
PETRO JÆNICHIO.

Tomus I.

Thorunii, sumtu Jo. Nicolai, 1727, 8.
Plag. 18.

CL. *Jænichius*, Rector Gymnasii Thorunensis optime merens, cum antecessoris sui, Georgii Wendii, Dissertationes separatim editas avide expetita compluribus intelligeret, in animum induxit edere eas iterum per vices & communi usui exponere. Sistit igitur hic *Tomum primum*, cui de suo nonnihil annexuit, non imparem haud dubie initurus gratiam. Primum tenet locum Wendii Diss. *de notabilibus & curiosis quibusdam Thorunensibus*, exhibens tribus verbis complura commemorabilia hujus urbis monumenta, quorum tamen pleraque nunc subtracta esse curiosis oculit, ultimo loco monetur. *Diss. II* agit *de curiosis nonnullis, sed immerito in dubium vocatis, hujus seculi inventis*, e. p. 3.
g. speculis causticis e ligno formatis, vino fortissimo ex aquis simplicibus producto. *Diss. III* & *IV* quatuor Imperatorum 9.
Romanorum, Domitiani, Antonini Philosophi, Commodi, & Constantini M. nummi, *in memoriam victoriæ de Sarmatis* cusi, illustrantur ex historicis idoneis, simulque, quæ Sarmatiæ pars ibi significetur, ostenditur. *Diss. V* nummus Bretislai, Bohemiæ 21.
Ducis, pariter erudite illustratur. *Diss. VI* de lapidibus quibus- 28.
dam selectioribus & curiosis disserit ex historia naturali, inter alia modum exponens, quo Cleopatra unionem dissolvit affundens acetum. Quod vero initio Dissertationis istius judicavit de mirabili illo lapide, quem Thuanus memoravit, & e Thuano Morhofius, id *Diss. VII* emendat, vocans hunc lapidem ænigmaticum, docensque, eo ænigmate nihil aliud designari, quam 34.
Chymicorum lapidem Lydium, *ignem & flammam*. Ac meminimus, eandem hujus ænigmatis analysin tradi duce Conringio ac Thomasio in *Actis Philosophorum* Heumannianis T. I p. 226 sq. *Diss. VIII* de Vendæ, antiquissimæ Poloniæ ducis, fato finali 47.
agitur, quam Cl. Autor concedit, victoria de Germanis reportata,

Digitized by Google

ne scilicet felicitatem ejus adversus forte casus corrumperet, præcipitem se abjecisse in Vistulam: at eorum ratiunculas diluit, qui defendere vel excusare Vendæ mortem voluntariam sustinuerunt. *Diss. IX* est de satis finalibus trium antiquissimorum Ducum Poloniæ, Lechi II, Lesci II & Popielii II. Postremi exitus præcipue memorabilis est, quem ferunt a muribus comesum fuisse atque consumtum. Cumque uno ore omnes Poloniæ historici ejus rei se testes præbeant, Wendius noster pro indubie vera habendam censet illam historiam. *Diss. X* Elisabethæ, Reginæ Poloniæ, schema genealogicum repræsentatur & illustratur. *Diss. XI* de literatis ac figuratis lapidibus doctissimæ disseritur, doceturque, non temere fidem habendam narrationibus prodigiosis, quæ de iis ad nos perferuntur e regionibus exteris, idque probatur exemplo cujusdam lapidis, falso dicti præferre figuram Caroli XII Sueciæ Regis, & figuram Papæ, figurasque alias plures. *Diss. XII* & *XIII* de primis Polonorum nummis argenteis sive grossis Pragensibus agitur. *Diss. XIV* ostenditur, non naturæ, sed arti deberi notabilem illam lapidis Rostochiensis inscriptionem: *Vivant Gedanenses:* ac plura hac occasione proferuntur lectu jucundissima de literatis lapidibus. *Diss. XV* de Prosperi Aldorisii, Romani, ideagraphia sive Graphimantia agitur, hoc est, de arte ex scriptura alicujus judicandi de ejus animo & moribus. Arti huic nec nihil, nec nimis tribuendum esse, docet, ac recte ita colligi putat: Hic minutos pingit apices, E. vix altos gerit Spiritus, & e contrario: Hic majores format characteres, E. est indolis generosæ. *Diss. XVI* de figuratis lapillis prope Thorunium collectis agitur. Denique *Diss. XVII de passione Christi in regno mineralium repræsentata* inscribitur. Memorat hic Autor lapides cruce insignes, vel calice eucharistico, vel literarum I. N. R. I. vel agni figura, vel figura pendentis e cruce Christi: quas quidem figuras tribuit singulari Dei providentiæ.

p. 53. 63. 76 101. 139. 189. 166. 172.

Hactenus Dissertationes Wendianæ. Nunc sequuntur aliquot *Jænichianæ*, & *prima* quidem ad primam Wendianam supplementa exhibet, inter alia docens p. 183, primum in Prussia A. 1335 cudi cœpisse monetæ illud genus, quod *Schilling* vocatur a cive quodam Thorunensi, Bernhardo Schillingio. *Secun-*

183.

Digitized by Google

da theſes aliquot geographicas ſiſtens, *On, Geneſ. XLI, 45*, Heliopolin eſſe contendit, item veriſimile cenſet, *Matth. XI, 21* non χοραζὶν, ſed diviſe χὼρα ζὶν ſcribendum eſſe. *Tertia* eſt de ſalutatione veſpertina ad accenſa lumina, in Pruſſia uſitata. Docet, jam Græcos olim & Romanos ſalutaſſe lumen veſperi illatum hoc modo: *Salve, lux;* hodie in Italia multisque Galliæ locis allatam veſperi lucem hoc verbo excipi: *Bonus veſper*, eundemque morem vigere in Pruſſia, delatum huc e Græcia ab equitibus ordinis Teutonici. *Quarto* eodemque ultimo loco exſtat Cl. *Jænichii* Oratio auſpicalis *de cognatione artium ac ſororio ſcientiarum vinculo*, A. 1706 d. 31 Aug. habita, cum Rectoratum iniret celeberrimi hujus Gymnaſii. p. 186. 190. 193. 226.

ACTA PHILOSOPHORUM,

das iſt:

Gründliche Nachrichten ꝛc.

hoc eſt,

ACCURATÆ COMMENTATIONES, QUIbus Hiſtoria Philoſophica exponitur. Accedunt Recenſiones librorum veterum pariter ac recentiorum, ad iſtam Hiſtoriam pertinentium, ſubjuncta ſemper

ἐπικρίσει.

Partes, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII.

Halæ, in officina Rengeriana, 1723–1727, 8. Alph. 2 pl. 15.

OPeris hujus Heumanniani, cujus Tomum *primum* A. 1716, p. 463 ſqq. *ſecundum* Suppl. T. VII p. 473 ſqq. recenſuimus, *tertius* hicce Tomus itidem ſelecta exhibet Hiſtoriæ Philoſophicæ capita. Horum alia Hiſtoriam Philoſophiæ exponunt, alia Hiſtoriam Philoſophorum perſequuntur, alia denique recenſiones exhibent librorum de hac hiſtoriæ literariæ parte editorum.

In

In prima harum Dissertationum classe occurrit p. 159–209, *Historia Philosophiæ Ionicæ*, ubi docetur, Thaletem primum fuisse Græciæ Philosophum, Anaximandrum vero primum in Græcia Philosophiæ Professorem, & simul origo pariter ac imperfectio Philosophiæ Ionicæ exponitur. De primo cujusque principio physico cum non conveniant eruditorum sententiæ, hic verum a falso accurate discernitur: & vita cujusque simul describitur, illustrato subinde Diogene Laertio. *P. 210–241*, duce *Chrysostomo Javello*, cum moralis, tum politica Platonis philosophia describitur: juxtaque *p. 241–249 Nicolai Securi* sententia de Platone exhibetur, contendentis, eum a Deo receptum esse in concilium hominum æterna beatitudine fruentium. Platonicos etiam fuisse *Therapeutas* Philonis, hic docetur, ac *p. 503–529* copiose de iis agitur, nec ii solum refutantur, qui Christianis eos aggregarunt, sed etiam Cl. Jo. Joach. Langius, qui eos habuerat pro ethnicis Judaizantibus. Aliorum Platonicorum Catalogus exhibetur *p. 900 seqq.* cui jungi potest Catalogus Stoicorum fictitiorum *p. 109–124*, e. g. Agathoclis a Luciano, Crispini ab Horatio memorati. De Stoicorum paradoxis Ciceronianis sententia fertur philosophica *p. 694–711*. Philosophiæ Aristotelico-Scholasticæ facies, prout eam Satyrico suo stylo depinxit Boilæus, exhibetur *p. 32–3*; prout eam Gassendus descripsit, *p. 23–48*; prout eam Schmirius repræsentavit, *p. 49–70*. Profertur quoque *p. 74* nummus, Aristotelis vultum referens & singulari Dissertatione illustratus a Corn. Diet. Kochio, Professore Helmstadiensi: cujus tamen error coarguitur, ac, nummum hunc nuper demum effictum fuisse, ostenditur. Inseritur hic *p. 345–374* carmen veteris Scholastici longe rarissimum de vita & philosophia Aristotelis, cujus autor Aristotelem non solum inter beatos retulit, sed etiam diserte judicavit, Joannem Baptistam in spiritualibus, Aristotelem in naturalibus fuisse præcursorem Christi. Libri sententiæque hujus mentionem adhuc fecerant eruditi ex Cornelii Agrippæ libro *de vanitate scientiarum*. At nunc ipsum hic cernimus librum, in quo id scriptum legitur. Exhibetur & hic *p. 921–929* Jac. Thomasii Dissertatio primum nunc edita *de titulis Scholasticorum honorariis*. Ipsius vero Aristotelis Philosophiam, maxime

Digitized by Google

xime Physicam, quomodo impugnavit Sebastianus Basso, videre est *p. 939 sqq.* Cumque Scholasticorum ævo creari cœperint *Magistri Philosophiæ*, de hoc instituto, ejusque origine ac nævis, disseritur *p. 592—630.* Vixerunt magnoque nomine usi sunt Scholasticorum temporibus Petrus de Abano, & Joannes Scotus Erigena. De illius philosophandi ratione exponitur *p. 374—400*; de hujus *p. 858-900.* In universum *de philosophico ingenio* disputatur, & singularum gentium in Philosophiam merita æstimantur *p. 817—858.* De ficto quodam Philosopho, cui nomen *Lindorachi*, legas licet *p. 85-88.* Cum vero philosophicarum doctrinarum professio permultis damnum attulerit vel etiam mortem, *p. 88-109* exhibetur specimen Martyrologii Philosophici. De Pauli Apostoli philosophia *p. 124—149* disseritur, erroresque vulgi literati rejiciuntur breviter ac nervose. De *Elpisticorum* secta, Plutarcho laudata, cum adhuc nihil definierint eruditi, probabile hic *p. 912—921* censetur, innui eo Plutarchi loco Christianos, quippe quos ab ethnicis vocitatos fuisse *præsumtores* sive *sperantios*, testis est Tertullianus. De *lapide Philosophorum* agitur *p. 249—261*, & appellationis hujus origo ac vera notio e libris Rabbinorum eruitur. Quis primus Germanico sermone composuerit Logicam, vulgo ignorabatur. Cl. Heumannus noster *p. 586 sqq.* Buttnerum quendam hac laude affecit, de ejusque Logica, quæ cognitu digna videbantur, memoriæ prodidit. Postea vero a Cl. Feuerlino edoctus est, jam antea Fuchspergerum quendam patrio sermone publicasse Logicam Melanchthonianam. Vid. *p. 745 sqq.*

Ad vitas Philosophorum ut procedamus, *p. 261—282; 400—425, 467—484; 803—814* & *938* exhibetur vita Galilæi a discipulo ejus Vincentio Viviano bona fide exposita: adjunctis non paucis annotationibus. Italica quidem lingua usus Vivianus ille fuerat: sed hic reperitur versio ejus Germanica. *P. 434—439*, Thomæ Burnetii vita publicatur, composita nuper, rogatu Heumanni nostri, a Guil. Wottono. Vita Abælardi, qui princeps & patriarcha Scholasticorum fuit, copiose descripta exstat *p. 529-586.* Vita percelebris Aristotelici, Theophrasti, *p. 661—681* exhibetur, ac simul inter fabulas refertur, cum traditur vulgo, 1) eum Tyrtamum antea dictum, nomen Theophrasti accepisse ab Aristotele; 2) eum

morti proximum, Theophraſtum præ Eudemo elegiſſe ſucceſſorem, afferri juſſo vino & Lesbio & Rhodio; 3) eum centenario majorem vita exceſſiſſe. Hac occaſione cenſuræ actiori ſubjiciuntur, *p. 681-694*, ejus *Characteres ethici*, doceturque, libellum hunc adjungendum eſſe non philoſophicis Theophraſti libris, ſed rhetoricis. De Potamonis Alexandrini, Philoſophi eclectici, ætate diſputatur *p. 711—743*. De Samuelis Pufendorfii vita & controverſiis e MSS. monumentis hauſta quædam occurrunt *p. 641-659; 770—789 & 949-957*. Præterimus Epitaphia clariorum Philoſophorum, Platonis, Alberti Magni, Helenæ Cornaræ, Galilæi, Gaſſendi, Joach. Jungii, Petri Rami, Auguſtini Niphi, Antonii Galatei, *p. 755-769*, exhibita & illuſtrata. Nec minus prætermittimus Jordani Bruni Metaphyſicam, *p. 424 ſqq.* recenſitam, itemque novas acceſſiones ad Catalogum ſcriptorum de Philoſophia barbarica, *p. 485 ſqq.*

Convertimus nos ad librorum Hiſtoriam Philoſophicam tractantium recenſiones criticas, paucisque docemus lectores noſtros, hic *p. 149---158* deſcribi *Launoji* librum *de varia fortuna Ariſtotelis*, & *Elswichii* Diſſertationem *de fortuna Ariſtotelis in Scholis Proteſtantium*; *p. 282 ſqq. Gualteri Burlæi* opus *de vita & moribus Philoſophorum veterum*; *p. 298---341*, Thomæ Burnetii *Archæologias philoſophicas*; *p. 439 ſqq. Guil. Morellii Compendium Hiſtoriæ philoſophicæ* una cum *Davidis Chytræi* libello *de ſectis Philoſophorum*, & *Deſiderii Jacotii Vandoperani* libro *de Philoſophorum doctrina ex Cicerone*; *p. 450-467 Gautierii Bibliothecam Philoſophorum*; *p. 630 Anonymi* librum *de Philoſophia paganorum*; *p. 631 ſqq. Paganini Gaudentii* opus *de Philoſophia apud Romanos initio & progreſſu*; *p. 789 Danielis Heinſii Peplum Philoſophorum Græciæ*; *p. 791 ſq. Bartholdi Feindii & Henningi Wittenii Compendia Hiſtoriæ philoſophicæ*; *p. 793---802. Theophili Galei Philoſophiam generalem* deſcriptionemque totius Philoſophiæ veteris, maxime Platonicæ.

LECTIONES CHYMICÆ DE SALIBUS Alcalino-fixis & de Camphora, Autore CASPARE NEUMANNO, Chymiæ Pract. Prof. P.

Bero-

Berolini, typis Gotthardi Schlechtigeri viduæ, 1727, 4. Plag. 22 ½.

DUæ potiſſimum ſunt cauſæ, ob quas Clariſſimus *Neumannus* Lectiones has juris publici fieri voluit. Ex quo enim a Sereniſſimo atque Potentiſſimo Rege Boruſſiæ Berolini Collegium Medico-Chirurgicum publice ſtabilitum, & inter alios Profeſſores ipſe Chymiæ Practicæ tractandæ præpoſitus fuit clementiſſime, varia, eaque ſiniſtra quandoque de Chymicis Lectionibus hinc inde lata ſunt judicia. Accedebant amicorum deſideria & adhortationes, ut ſibi Lectionum ſuarum documentum aliquod exhibeat. Quorum precibus ſatisfacturus Noſter, Lectionem de Sale alcalico fixo Ambroſio Godofredo Hanckwizio, Chymico apud Londinenſes expertiſſimo, transmiſit, quam dignam hic judicavit, ut in Regia Scientiarum Societate prælegeretur non ſolum publice, verum etiam Transactionibus Anglicanis inſereretur. Imo eandem cum altera de Camphora ſpeciminis loco nunc idiomate vernaculo publice exhibet, ut ex eo judicare poſſint non minus oſores quam amici, in quo ipſius induſtria verſetur, & quomodo reliquæ materiæ Chymicæ tractentur & demonſtrentur. Lectionem de Camphora jam brevibus excerptam dabimus. De Camphora quanquam Mœbius, Wedelius, Hoffmannus, Gronovius, Lemery, aliique Diſſertationes conſcripſerint, nondum tamen plenarie conſtat, quomodo camphora ab Indis colligatur, & depuretur, multo minus, quid camphora depurata officinarum ſit? Hoc novimus, quod ſit uſitatum regni vegetabilis ſubjectum, ſed adeo peculiare, ut in tribus naturæ regnis ſibi ſimile haud inveniat. Originem habet a duabus arborum ſpeciebus in India Orientali provenientibus, quarum altera Arbor Camphorifera Sumatrana Grimmii, altera Japonica Breynii audit, ex quarum radicibus potiſſimum camphora colligitur. Verum dantur & aliæ plantæ, ut radix arboris cinamomi, zedoaria & mentha Zeylanica, ſchœnanthum, abrotanum, millefolium, bellis, cardamomum, juniperus, roſmarinus, ſalvia, camphorata, hyſſopus, lavendula, horminum, ageratum, majorana, thymus &c. ex quibus camphora, quæ tamen oleo cujusvis vegetabilis eſſentiali ebria ejusdem odorem ſimul refert, extrahi poteſt. In India igitur Arboris camphoriferæ trun-

co, ramis, & foliis, potiſſimum vero radicibus groſſo modo conſciſſis affuſa aqua ex aheno ferreo deſtillatur; ſub qua operatione ſtramini, quo capitellum refertum eſt, in forma cryſtallorum adhæret, vel ex deſtillato colligitur camphora cruda, ſal commune referens, olim Venetias, hodie Amſtelodamum mittenda, ut ibidem mediante ſublimatione depuretur. Errant itaque illi, qui camphoram vel minerale, vel gummi, vel ſuccum vel lacrymam eſſe contendunt. Gummi non eſt vel ſuccus gummoſus, nec ſal, quia in aqua non ſolvitur; nec reſina, quia per deſtillationem nullum phlegma, oleum & ſpiritum acidum ſuppeditat, multo minus caput mortuum vel cineres poſt ſe relinquit, in aere tota evaneſcit, in aqua calida funditur, & exhalat, ac in ſpiritu nitri vel vitrioli ſolvi & integra præcipitari poteſt; nec eſt oleum, quia non eſt unctuoſa, ſed cryſtalliſata, in tepido aere exhalat ſine remanentia, ſub deſtillatione non ſub forma fluida ſed ſicca aſcendit, nihil relinquit, nulli ſeparationi ſubjecta eſt, nec quicquam empyreumatici ſuppeditat, cum ſpiritu nitri concentrato miſcetur quidem, ſed placido motu, absque incaleſcentia & exhalatione, cum eodem ſpiritu non in ſoli ſam reſinam, ſed liquidum oleum abit, alium denique edit effectum, ſiquidem olei cinamomi e. g. gutta plus calefacit, quam dimidius ſcrupulus camphoræ. Eſt igitur camphora arte ſeparatum, ſublimatum, ſiccum, album, diaphanum, cryſtalliſatum, acre, aromaticum, fragrantiſſimum, ponderoſum, fragile, in igne & aere tepido fugitivum, & peculiare mixtum inflammabile. Ad hæc nullas monſtrat maculas, digitis fracta glabrum quid inſtar ſaponis, ſed non unctuoſum præ ſe fert, per ſe in alcohol ſe redigi non patitur, & facile flammam concipit. Conſtat ex principio inflammabili copioſo, pauca aqua, & terra ſubtiliſſima, intime inter ſe miſtis. Præſervatur ab exhalatione & conſumtione, non tam quando ſemine milii, lini, ſinapi albo, pipere &c. tegitur, quam quando liber & quidem tepidus aer ab ea arcetur, hinc ſufficit, eam charta vel veſica involutam in pyxide plumbea, ſtannea, vitrea vel terrea aſſervare, aut charta tectam in dolio vel ciſta in cellam reponere. Quoniam ſubtile & bene unitum eſt mixtum, nulla pro uſu Medico indiget præparatione, & admiſceri poteſt omnibus oleis & ſpiritibus ar-

den-

dentibus absque metu exhalationis. Solvitur a ſpiritu nitri in ſubſtantiam oleoſam absque coloris immutatione, niſi quod ſolutum ad luteum aliquatenus tendat, ab oleo vitrioli vero in magis exaltatum colorem, qui tandem in fuſcum & obſcure rubicundum abit; utraque ſolutio per affuſionem aquæ præcipitatur & reducitur camphora. Reſolvi vero penitus poteſt, ſi cum alterutro dictorum menſtruorum aliquandiu digeratur, & frequentius per retortam abſtrahatur. Inter alia præparata pharmaceutico-chymica prævalet ſpiritus vini camphoratus & oleum camphoræ. Ille, cujus præparatio nota eſt, non indiget deſtillatione, ſive ſal tartari addatur, ſive minus, quia nihil vel parum de camphora ſupra alembicum fertur. Oleum vel per ſolutionem vel per ſublimationem paratur. Priori modo, quando camphora in oleo quodam expreſſo ſolvitur, vel quando oleum, quod ſupra camphoram in ſpiritu nitri ſolutam natat, ſeparatur; poſteriori vero, quando camphoræ pars una cum partibus tribus boli rubræ mixta per retortam igne aperto deſtillatur, ſublimata camphora cum nova bolo miſcetur, & iterum deſtillatur, isque labor toties repetitur, donec nihil de camphora amplius ſublimetur; hinc liquida deſtillata per retortam vitream rectificantur, & oleum ſeparatur. Aut miſcetur camphora cum oleo terebinthinæ vel ſapone Veneto, digeritur, deſtillatur, cohobatur, & rectificatur. Conveniunt tria hæc olea in eo, quod empyreuma ſpirant, hinc præſtaret omnino camphoram pro intentione Medico-Chirurgica absque ullo artificio adhibere: quam cenſuram etiam merentur aqua & flores camphoræ, tam ſimplices quam compoſiti. Quando camphora in forma pulveris aliis medicamentis addenda venit, irroranda cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, pro aquoſis vero cum amygdalis excorticatis contundenda vel cum vitello ovi ſubigenda eſt.

METHODUS NOVA PRÆSERVANDI ET curandi Atrophiam ſeu Maciem Infantum, Autore D. CHRISTIANO FRIEDERICO CHUDEN, Phyſico Provinciali in Veteri Marchia & Collegii Medici Berolinenſis Adjuncto.

Lipſiæ, ſumptibus Erneſti Henr. Campen, Bibliopolæ Vet. March. Soltquellæ excudebat Chriſtianus Schuſter, 1726, 4. Plag. 3.

Digitized by Google

IN cauſas atrophiæ infantilis ante inquirit Autor Clariſſ. quam novam ſuam eidem medendi methodum exponat. Silentio autem præterit nimiam voracitatem, panem calidum, potum nocturnum & alia eſculenta ac fœculenta, quæ infantibus obtruduntur vel conceduntur, quæque concoctionem & aſſumptorum reſolutionem impediunt, utpote quæ ablactatis nutritionem retardant vel abolent, in eo ſolum occupatus, ut inquirat, quare infantes ſtatim primis menſibus a partu nullum incrementum capiant, ſed potius marceſcant. Flocci etiam pendit cauſam ſupranaturalem, incantationem ſcilicet, cum iſta opinio multis tenebris adhuc ſit involuta. Pro genuina potius allegat cauſa primario inſenſibilem tranſpirationem in utero cohibitam, & collectam inde in poris cutis materiam mucido - viſcidam, quæ quo diutius ibidem ſtagnat, eo magis tenellum corpus deſtruere & ad obſtructiones glandularum & infimi ventris cruditates coacervandas apta eſt; ſecundario vero glandularum meſenterii occluſionem. Hasque viſcidas impuritates idem eſſe putat, quod alii per vermes, crinones vel comedones dictos explicare malunt. Hinc in Therapia tam præſervatoria quam curatoria unicum atque præcipuum remedium erit, ut ſordes iſtæ in poris cutis hærentes removeantur, motusque transpiratorius liber reſtituatur, ac ut infarctus glandularum ductuumque lacteorum quantocyus tollatur, chyloque alibili liber tranſitus concedatur. Præſervatio obtinetur ſimpliciſſima methodo, Autori per quinque luſtra nullo non tempore probata, atque conſiſtit in balneorum uſu repetito, imprimis tertia, quarta, ſexta hebdomade a partu inſtituendo. Novam hanc vocat methodum. Quanquam enim Autores tantum non omnes balnea commendent, faciunt tamen hoc non tam præſervationis quam curationis gratia, alio etiam & a Noſtri methodo alieno eadem adornant modo. Suadent ſcilicet iſti balnea aquæ dulcis, cui parum mellis additum, ut crinones, ſeu vermiculi, quos credunt, dulcedine allecti capita per poros cutis exerant, & vel cultro, vel novacula vel cruſta panis extrahantur & abradantur. Adornatur vero illa ſequenti modo: Paratur balneum ex herbis nervinis & emollientibus, v. g. meliſſæ, chamomillæ, ana Manip. iij. & rosmarini Manip. j. Aqua virtute harum herbarum impræg nata tepido- calida vaſi ligneo oblongo infunditur,

Digitized by Google

ditur, tunc obſtetrix pedetentim dimittit in hoc balneum infantem nudum, & provide ſiniſtra illum tenens manu, ita ut caput ab alia perſona ſimul ſuffulciatur, manu dextra optime hac aqua totum lavat infantis corpuſculum, imprimis in dorſo, femoribus, brachiis, circa regionem ſcapulæ, imo & in facie & temporibus, hinc eadem loca palma manus, farina triticea imbuta, optime fricat, denuo abluit, & iterum fricat, idque toties repetit, donec ſordes ex poris cutis ſub forma ſetarum craſſiorum prodire viderit. Infans tum mappula involvitur, optime calefacta, & leniter corpuſculo apprimenda, ut ei ſordes viſcoſæ implicentur; nec refert, an de his cuti aliquid adhæreſcat, cum exarefactæ ſponte decidant. Quo facto mammæ apponitur alumnus, novis linteis involvitur, & cunis committitur. Interim balneum citius in uſum vocandum non eſt, niſi de umbilico exſiccato certi fuerimus; nec aqua ſit nimis calida, ne lædat infantem, nec nimis frigida, ne pori claudantur; frictio non juxta longitudinem & digitis, ſed palma & in circulos eſt inſtituenda, quia alias pori rotundi comprimerentur, nec ſordes foras prodirent. Sed amplior eſt uſus ejusmodi balneorum; inquieti enim per hæc ad ſomnum componuntur, ac ab achoribus, tinea, & aliis cutis deſœdationibus præſervantur. Solet etiam Autor Clariſſ. primis ſeptimanis unà cum balneis pulv. Jalappæ gr. j. vel ij. cum pulv. Marchion. gr. iij. ad cruditates primarum viarum eliminandas exhibere. Sed pergimus ad therapiam curatoriam, quæ locum habet, quando ipſa atrophia ob neglectum balneorum jam in ſenſus incurrit, id eſt, quando unà cum pororum cutis obſtructione fere plenaria glandularum quoque adeſt infimi ventris & vaſorum lacteorum infarctus. Abſolvitur vero eadem præter repetita balnea per interna medicamenta, quæ viſciditati acidæ ex abdomine educendæ, obſtructioni tollendæ, ventriculi actioni juvandæ & chyli diſtributioni promovendæ apta ſunt, uno verbo, aperientia, laxantia, temperantia, corrigentia & roborantia; inter quæ potiſſimum tinctura vitrioli martis tartariſata Ludovici cum interpolatis laxantibus commendatur. De cætero cum Rachitis transpirationem impeditam itidem pro cauſa agnoſcat, nullus dubitat Autor aſſerere, ab eo morbo infantes præſcripta methodo pariter præſervatum iri. HERM.

Digitized by Google

HERM. CONRINGII DE HABITUS CORPORUM Germanicorum antiqui ac novi cauſis Liber ſingularis, cum annotationibus JO. PHILIPPI BURGGRAVII, Med. D.

Francof. ad Mœn. 1727, 8.
Alph. 1 pl. 9.

CUm liber hic Conringianus, jam pridem editus, & phyſicus ſit & medicus, tum & hiſtoricus, moralis item atque Philoſophicus, bene utique fecit Experientiſſimus Editor, quod denuo eum multis annotationibus inſignibusque auctum additamentis evulgavit. Qua re ut inſerviret imprimis voluit Medicinæ expertibus; ita ſimul in præfatione eorum morem maxime deteſtatur, qui morborum curationes vernacula lingua exſcriptas plebis etiam captui accommodare allaborant. Præterea vero Muſarum alumnos, qui ultra vulgus ſapere geſtiunt, ad cognitionem ſui, quantum ad corpus ejusque vel imbecillitatem præcavendam vel robur comparandum attinet, propoſito exemplo veterum Germanorum provocat. Quod qua ratione facere potuerit, ex generaliori ſaltem opuſculi Conringiani deſcriptione luculenter apparebit. Dividitur illud in ſectiones duas, quarum priori documenta hiſtorica de antiquo corporum Germanicorum habitu una cum principiis phyſicis ac medicis ad ejusdem cauſas eruendas exhibentur. Atque in has ipſas cauſas deinde ſectione poſteriori inquiritur, ita quidem, ut quemadmodum antea ſingulare quid atque excellens in proceritate, in colore cutis, in oculis, & in capillis veterum Germanorum demonſtratum eſt, ſic poſtea ſingularum harum corporis qualitatum cauſæ exponantur. Quo poſteriori loco multa ſane iterum antiquitatis Germanicæ monumenta indagata reperias; utpote de liberorum educatione, de ſera parentum venere, de cibi potuſque ratione, de exercitiis corporis ejusque indurationibus ac lotionibus, de exercitatione bellica, & quæ ſunt his ſimilia. Cumque ſub finem primæ partis peculiare caput de habitu corporis Germanorum hodie immutato ſit annexum, in ſecunda quoque parte mutationis hujus cauſæ recenſentur. Connubia nimirum cum brevioris ſtaturæ gentibus brevitatem corporum in Germaniam introduxerunt, eorundemque proceritatem priſtinam deminuerunt, & nunc adhuc incrementum impediunt ſtudium aeris calidioris, cibi uſui venientes, abuſus potuum, qui dicuntur, Théo Caffée & Chocolade, cerevisia lupulosa, vini ac ſpiritus vini itemque fumi Tabacini frequentior uſus, præmatura venus, primæ ætatis morbi, totiusque vitæ præſentis ratio. Atque hoc eodem modo deinceps cauſas etiam mutati candoris in cute priſtinusque oculorum & pilorum in Germanis habitus inveſtigavit autor; Clariſſ. Burggravius autem ex hiſce omnibus occaſionem nactus eſt excurrendi in ampliſſimum campum obſervationum plurimarum omne genus eruditionis illuſtrantium; adeo, ut non ſolum Medici, ſed etiam Philoſophi, Hiſtorici, omnesque elegantiorum literarum amantes, hic inveniant, quo delectentur pariter ac informentur.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXVII.

ISTORIA DIPLOMATICA, CHE SERVE D'INtroduzione all'arte Critica in tal materia, &c.

h. e.

HISTORIA DIPLOMATICA, QUÆ INTRODUCTIONIS LOCO ESSE POTEST AD ARTEM CRITICAM IN HOC ARGUMENTO, CUM VARIIS APPENDICIBUS.

Mantuæ, apud Albertum Tumermanum, 1727, 4. Alphab. 2.

QUam bene celeberrimus *Mabillonius* vulgato præſtantiſſimo *de re diplomatica* volumine de univerſa litterarum re, hiſtoriæ præſertim ſtudio meritus ſit, nemo facile, niſi qui omnia neſciat, ignorat. Interim tamen ipſi non pauca adhuc ad conſummationis operis gloriam deeſſe & periti, pridem eſt, quod judicaverint, & præſens illuſtris *Scipionis Maffei* liber corrigendo partim, partim ſupplendo labori *Mabilloniano* conſcriptus abunde commonſtrat. Facile prævidemus fore, ut lectores noſtri, vel ſolo celeberrimo *Maffeji* nomine conſpecto, præſtantiſſima ſibi quævis de ſummi viri, cujus in palæſtra antiquaria præclara virtus dudum perſpecta eſt, doctrina polliceantur, vehementique illius penitius cognoſcendi deſiderio inflammentur. Neque diu illorum gaudia morabimur, quin potius decerptis hinc inde utiliſſimis obſervationibus, non falſas aut vanas ſpes eorundem fuiſſe, hac ipſa, quam dare aggredimur, operis idea luculentiori oſtendemus; ſi prius generatim monuerimus, hunc ſibi ſcopum præfixiſſe autorem doctiſſimum, ut, viam minus aliis tritam incedens, *origines diplomatum* (qua voce, non quod vulgo ſit, publi-

ea *rescripta* & *concessiones Principum* tantum, sed omnis generis *acta*, *documenta* aut *instrumenta*, inter privatos etiam confici solita intelligit) sagaciter investigaret, eorundem *historiam* per varias gentes atque ætates enarraret, & denique, quantum in illis conservandis, explicandis & ad historiæ usum referendis studii atque industriæ posuerint eruditi, traderet. *Duobus libris* integrum opus absolvitur: *primo historia diplomatum critica* exhibetur, &, quantum id genus *instrumentorum* a temporis injuria conservatorum *quinto* post Christum natum *seculo* antiquiorum superest, recensetur. *Secundo* illa enarrantur *diplomata ex quinto*, & quæ sequuntur seculis, quorum autographa hodie superant, de *Papyro Ægyptio* cui inscripta fuerant disputatur, & *Bibliotheca diplomaticæ* conspectus describitur.

Hoc extra omnis dubitationis aleam positum videtur, antiquissimis temporibus omnes illos populos, penes quos litterarum usus invaluit, quique scriptis legibus quasi repagulis societatem civilem continuerunt, non ignoravisse actus illos juridicos & sollennes, quibus in una quavis legitima dispositione, publicis etiam atque privatis contractibus fides secura conservaretur. Ita terræ Canaaniticæ civitatem קריית ספר *Kiriath Sepher*, *Josuæ XV*, *15*, memoratam, quam *Chaldæus* interpres *civitas Archivorum* vertit, inde nomen suum accepisse credibile est, quod in illa commune totius regionis *Archivum* asservaretur. Et cum inter *Ebræos* institutorum antiquissimorum origines atque fontes merito requirantur, quis hanc consuetudinem caput *Jeremiæ XXXII*, *10*, *11*, legens non agnoscat? Emerat Propheta agrum, *instrumentum* super hac re conficitur, obsignatur, testes advocantur, aliud exemplum contractus scribitur, & omnes adeo observantur mores, aliis etiam gentibus in simili occasione solennes. De *diplomatum* usu libri *Esthers cap. VIII*, itidem testatur, ubi Judæis a *Persarum* rege datum privilegium in epistolas regio annulo, quem non ornamenti, sed obsignationis causa gestatum antiquis fuisse *Macrobius Sat.* L. VII, c. 13 tradidit, obsignatas transscriptum fuisse dicitur. *Græcorum* mores in condendis *testamentis* atque sanciendis *contractibus* præterquam quod passim apud historiæ Græcæ autores innuantur, ex secundo *Platonis de legibus* libro optime cognos-

gnoſcuntur. Quid? quod tantam *inſtrumentorum* iſtius generis curam habuerint *Græci*, ut non chartæ ſolum, ſed metallo atque marmoribus etiam eadem mandaverint, & columnis quandoque ſive æneis ſive lapideis inſcripſerint? frequens horum pacis pariter bellique tempore uſus, ut hinc ab hiſtoriarum conditoribus, ſummo ſtudio tanquam certiſſima rerum geſtarum monumenta & conquiſita, & in annales ſuos, quod vel unius *Thucydidis*, ſummæ fidei ſcriptoris, exemplo claret, relata fuerint. Privatorum *inſtrumentorum* exempla famigeratiſſima illa quinque philoſophorum *Epicuri*, *Platonis*, *Ariſtotelis*, *Theophraſti* & *Lyconis teſtamenta*, a *Diogene Laertio* integra exhibita, ſuggerent. Jam ad *Romanos* deſcendendum eſſet; ſed mentionem prius faciendam ſibi putavit *illuſtris autor* noſter conſuetudinis *antiquiſſimorum Italæ telluris incolarum*, ignoti plurimis populi, &, ubi de antiquitatibus ſermo eſt, penitus neglecti, qui ſcilicet præter *Græcos* & *Romanos* nullos agnoſcunt alios, in quorum mores inquirere, operæ pretium illi judicent. Illius ſcilicet gentis, quæ Italiam occupavit antequam Romæ & Romanorum nomen auditum fuit; & de qua novam plane peculiaremque ſibi ſententiam *ſingulari diſſertatione* ad calcem hujus operis cum aliis, poſtea nobis recenſendis, rejecta expoſuit vir celeberrimus. *Etruſcos* puta, quos *Tertulliano* & *Minucio Felice* teſtibus, *Saturnus ſcribere, monetas cudere, & inſtrumenta* (*tabulas Tertullianus* appellat) *conficere docuit*. Ex quo apparet, illo jam, quod fabuloſa, incerta (ut *Varro* vocat) & obſcura ſecula proxime inſecutum eſt, tempore, adeoque pridem ante *Græcos*, & characterum & legum & *diplomatum* uſum *Etruſcis* cognitum fuiſſe: qua de re plura utique dici poſſent, ſi, quem *Athenæus* laudat libr. I *Ariſtotelis* cujusdam *de inſtitutis veterum Etruſcorum* Commentarius adhuc ſupereſſet. Superant interim famoſæ illæ *tabulæ æreæ Eugubii* conſervatæ & *Etruſcis* inſcriptionibus inſignes, quas deſcriptas jam ærique inciſas Florentiæ proxime vulgatum iri ſpem facit autor doctiſſimus. De *Romanis* omnes ſatis norunt tanto majorem frequentioremque apud illos *inſtrumentorum* publicorum privatorumque conſuetudinem obtinuiſſe, quanto frequentiorem latiſſime patens imperium, &, quæ cum aliis gentibus ipſis interceſſe-

Digitized by Google

ceſſerunt, commercia illa conficiendi occaſionem ſuggerebat; ubi ſimul circa *inſtrumenta privata* tenendum hoc eſt, certis antiquitus perſonis publica autoritate illa formandi provinciam demandatam, illosque, *Cicerone* teſte, *Tabellionum* nomine vocitatos, & a *Suida* v. ταβελλίων ita deſcriptos fuiſſe, quod ἅπαντα τὰ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα ἐπιτελῶσι, ἕκαστον αὐτῶν ἐπισφραγίζοντες οἰκείοις γράμμασιν, eosdemque eſſe cum illis, quos græca voce συμβολαιογράφους *ſcriptores contractuum Novell.* 44 appellavit Imperator *Juſtinianus*. Nullum vero inter omnia iſtius generis *inſtrumenta* ſive *publica* ſive *privata*, propria quævis voce inſignita, frequentius apud ſcriptores memorari videas, quam *diplomata*. Qua voce, a græcis repetita, antequam ſumma in republica poteſtas ad Imperatores devoluta eſſet, denotabantur *litteræ commeatus* alicui a Provinciarum præſidibus datæ. Ita *Cicero Orat. in L. Piſonem* ipſum præter alia crimina arguit, quod, dum Præſes Macedoniam regeret, *diplomata paſſim dediſſet*; quæ vendidit forſitan aut in alterius damnum nimis liberaliter elargitus eſt. Conf. & *Epiſt. ad Attic.* lib. X, Ep. penult. & *ad familiares* lib. VII, Ep. XII, & *Plin.* Ep. l. X, Ep. 14 & 121. *Sueton. Auguſt.* C. 50. Idem autor in *Nerone* Cap. 12. *Diplomata civitatis Romanæ ſingulis* ab Imperatore *oblata* memorat, & in *Caligula* c. 38, *Julii & Auguſti diplomata ut vetera & obſoleta* ipſum *diffiaſſe* narrat. Quæ & plura alia veterum loca, huc non fuſius tranſcribenda, docent, commune poſt hoc nomen *diplomatum* evaſiſſe, quibuscunque Imperatorum beneficiis, ſcriptis litteris civibus conceſſis, quin & ſcriptis privatis, uti ex quodam *Senecæ* loco *de benefic. l.* 7. c. 10 conſtat; ita tamen, ut illa ſignificatio, qua proprie *litteras commeatus* deſignavit, ſimul remanſerit. Ceterum licet origo vocis illius ex Græcia repetenda ſit omnino, & *rem duplicatam* innuat, ipſis tamen Græcis incognitam plane & inuſitatam fuiſſe *Plutarchi* aliquis locus *in Galba* manifeſtum facit, qui de decretis quibusdam conſulum loquens, diſerte addidit τὰ καλούμενα αὐτοῖς (Romanis) δίπλώματα. Rarius equidem ſive in ſcriptoribus Romanis, ſive in lapidibus ejusmodi *diplomata* integre conſervata deprehenduntur, ut inde quibus proprie formulis eadem conſignata fuerint colligi ſatis non poſſit: interim tamen legi-

tur

tur apud *Gruterum* n. 1081, *epistola* aliqua *Domitiani*, quæ proxime ad formam *diplomaticam* accedere Autori nostro visa, atque hinc transcripta inde specíminis loco data est, cum alia *Trajani* ex *Sponii Miscellaneis* p. 278 excerpta. Comparari jubet, cum illis vir illustris *decreta Imperatorum Romana & Asiatica* Judaicæ genti concessa, partim in *Josepho*, sed minus integre, obvia, partim a *Jac. Gronovio* cum commentariis vulgata, quæ & recentissimæ *Josephi* editioni inseruit Cl. *Havercampus*. Denique ipse insigne admodum monumentum antiquitatis, nunquam antehac vulgatum, *diploma* scilicet Imp. *Galbæ* authenticum, & omnibus, quæ hactenus edita sunt, vetustius duabus tabulis æneis expressum, quod Museum doctissimi Abbatis *Petri Andreini* Florentiæ ornat, alio a se tempore Commentariis illustrandum, addit. Continet illud *honestam missionem*, ut *Ulpianus* vocat, militibus quibusdam factam, qua simul iidem Romanæ civitatis jura adipiscuntur. Non ingratum fore putavimus lectoribus nostris, si paullo accuratius eandem describamus. Prima facie illorum nomina & patria transversim scripta leguntur, quorum in gratiam *diploma* concinnatum fuit; tubulo in medio perforato cum in finem addito ut acu per illum transmissa in *Archivis* affigi potuerit: altera vero exteriori facie exhibetur verbotenus idem ipsum *diplomatis* argumentum, concise magis descriptum, quod interiore diplomatis parte iisdem verbis largius spatium occupantibus positum est. Utraque peculiari primum laminæ insculpta est, quæ ligaminibus posthac tribus invicem conjunguntur; ut adeo *diplomatis* nomen, quasi *duplicatum* dicas, optime illi conveniat. Intelligitur hinc etiam cur *Themistius orat.* IV *diplomata* Imperatorum δίλτους σφυρηλάτους *libellos malleo factos* nuncupet, quod præter chartam æri etiam haud raro insculpta fuerint; loca itidem scripturæ sacræ *Exod. XXXII, 15*, ubi *tabulæ Mosis lapideæ*, *Ezech. II, 9*, ubi *Epistola* prophetæ oblata, & *Apocalyps. V, 1*, ubi *liber* Joanni ostensus, *ab utraque sui parte* scriptas litteras exhibentes memorantur, egregiam inde fœnerantur lucem. Hoc *diploma Galbæ* sequitur *formula pacti cum juramento* in tabula ænea, ex *Fabretti Inscriptionibus* p. 674, duo porro *instrumenta Patronatus & clientelæ* ex museo comitis *Moscardi*, *instrumentum donationis* anno Chri-

Digitized by Google

sti 252, ex *Grutero* n. 1081, aliud ex *Reinesio Inscr.* p 486, ejusdem seculi, denique ex 4 seculo de *Gregorii Nazianzeni testamento*, quod frustra *Andr. Rivetus* ὑθείας suspectum reddere laboraverit, pauca quædam disseruntur.

Libro *secundo* docetur, quod, quæ *seculo quinto* universæ Italiæ funesta maxime fuit barbarorum facta invasionibus catastrophe, quamvis una cum Romano Imperio, linguam pariter, mores atque instituta priscæ gentis vel prorsus aboluerit vel mutarit minimum insigniter, *diplomatum* tamen atque *instrumentorum* usus neutiquam cessaverit, sed servatus potius *Gothis* etiam fuerit iisdem fere modis atque formulis retentis; hac saltim cum differentia, ut, cum olim æri quoque atque *lapidibus* illa inscripta fuissent, in ipsorum locum tenuis illa *chartæ Ægyptiacæ* species, quam *Papyrum* dicunt, successerit. Fidem huic asserto conciliant, quæ ex *quinto*, *sexto*, *septimoque* seculo in plurimis Italiæ Bibliothecis, Musæis, monasteriis adhuc superant documenta, omnia *Papyro* inscripta. Fusam hac occasione celeberrimus Autor noster de *Papyro* illa instituit παρέκβασιν, & de variis illius penes antiquos nominibus, de planta Ægyptiaca ex qua, & de modo quo confici consuevit non proletaria affert; *Melchioris* etiam *Guilandi* librum rariorem *de Papyro ad Plinii hist. nat. lib. XIII, cap. 11–13, Venet.* 1572 excusum contra *Josephi Scaligeri animadversiones* operose vindicat. Sub seculi *octavi* finem, usu Papyri istius paullatim obsolescente, *membranas* ex pecorum pellibus scite elaboratas adhibere cœperunt, quas ad præsens usque tempus posteri conservarunt. Nimis prolixum foret, Catalogum *diplomatum*, quæ & *annotationes*, *autoritates* atque *beneficia* illo tempore dicta sunt, ab Imperatoribus Græcis, Pontificibus Romanis ac Regibus, Italiæ maxime, conditorum huc transscribere, quem Cel. *Maffejus* texuit; nolumus etiam quæ is de *Archivis*, *Regestis*, sive *Cartulariis*, *Cancellariis*, *Referendariis* atque similibus argumentis erudite disseruit, aliis quippe scriptoribus etiam exposita, repetere: paucis potius adhuc de *Bibliotheca diplomatica*, sive *notitia collectionum* præstantissimarum, quas eruditi viri de omnis generis *diplomatibus* instituerunt, bonoque publico vulgarunt, dicemus, qua simul *historia* ac variæ *studii diplomatici* vissitudines mirifice illustrantur.

Digitized by Google

tur. Inter inferioris ævi Scriptores, primi fuisse deprehenduntur, qui *instrumenta*, ad quorum fidem provocarunt, integra sive historiæ, sive Chronici, sive vitæ, sive quocunque alio nomine veniat, contextui inseruerunt, adeoque una cum ingenii sui monumentis ad posteros transmiserunt, *Flodoardus*, qui *S. Remigii*, *Aimonius*, qui *Regis Dagoberti*, & *Eginhardus* qui *Caroli Magni testamentum* conservavit. Secuti horum exemplum *Guilielmus Malmesburiensis*, *Andreas Dandolus*, *Albertinus Mussatus*, *Gerardus Mauriſius*, *Romualdus Salernitanus*, *Otto Frisingensis*, pluresque alii. Neque defuerunt etiam istis temporibus, in Italia maxime, qui omnia documenta, hujus vel illius ecclesiæ, diœceseos aut monasterii laudabili studio congesserunt, quorum numerum vix ineas. Renascente sub typographiæ auspicia artium excolendarum ardore, prius de vetustis *lapidibus* conquirendis cogitarunt eruditi, quam de *chartaceis monumentis* sollicite essent: ac prima gloria *Benvenuto Sangiorgio Chronici Montferratensis* ad annum usque 1519 producti autori hac in re debetur, qui sexaginta plus minus *diplomata* operi suo, hodie rarissimo, interserendo docuit, non minorem illa lapidibus usum in conficiendis rerum gestarum commentariis præstare. Agnoverunt sequenti tempore eundem, *Sigonius*, *Baronius* ejusque continuator *Raynaldus*, & ultra montes *Joachimus Vadianus*, *Cuspinianus*, *Miræus*, *Andreas & Franciscus Duchesnii*, *Sammarthani* fratres, *Baluzius*, *Dacherius*, *Marshamus Monastici Anglicani* editor, centumque alii seculo decimo sexto ac septimo *diplomatici studii* instauratores, ut, qui *Bullaria Romana* & *acta Sanctorum* compilaverunt, viros celeberrimos, jam transeamus; quorum scripta, quantum diplomatis adjuti fuerint, cuilibet inspicienti facile ostendunt. Recentiori ævo *Joannes Mabillonius* edito *de re diplomatica* opere, haud vulgarem sibi præ aliis famam conciliavit. In cujus societatem jam veniunt *Leibnitius*, *Bacchinius*, *Muratorius*, *Pezius*, *Martene*, *Joannes Petrus a Ludewig*, & *Joannes Christianus Lunigius*; quorum opera hujus doctrinæ Antiquariæ partis termini mirifice sunt amplificati. Ceterum universalem Diplomatum Criticam, quæ adhuc desideratur, mente jam agitat Celeb. Maffejus. Promulsidis locum obtinere voluit librum hunc, cujus præcipua momenta

Digitized by Google

menta jam exhibuimus, *historiam* partim ipsorummet *diplomatum*, partim *studii*, quod in illis posuerunt hucusque eruditi, complexum. Hunc si vitam Deus, quod precamur, largitus fuerit, ipsa *ars diplomatum critica universalis* olim vulganda excipiet, hac methodo elaboranda, ut primo *Systema* quoddam *Characterum omnes scribendi modos* antiquitus receptos sistens proponat, *criteria* porro, quibus vera a falsis instrumenta cognosci atque dijudicari debeant, regulis aliquot universalibus comprehensa tradat, *fontes* etiam *errorum* in interpretandis illis, a *Mabillonio* quoque, haud raro commissorum, ostendat, *scriptionis compendia* sollicite explicet, genuinum denique eorundem *usum*, non sufficienter hactenus agnitum, commonstret. Impatienter, confidimus, ab eruditis immortale hoc opus exspectatum iri, atque publico hinc nomine illustrissimum Virum precamur, ut maturare opus, neque diu morari velit eruditæ civitatis gaudia.

Jam vero & dicendum aliquid esse existimamus, de variis *appendicibus*, quæ dimidia parte libri hujus molem ac pretium adaugent. Primo loco *sedecim antiquissima monumenta* exhibentur *Papyro* inscripta, eademque nondum publicata; quibus interdum egregia lux affunditur. Sequitur *dissertatio de versibus Rhythmicis antiquorum* occasione monumenti illius Rhythmis vulgaribus *in laudem civitatis Veronæ* Pipini regis tempore conscripti, quod & novæ *Ughelli* editioni, & *Cassiodorii Complexionibus* adjici pridem curavit vir eruditissimus, a *Mabillonio* etiam in *Analectis* exhibitum est. Docetur ibi duplicem versus conscribendi modum adhibuisse veteres Latinos; unum ad certas metri alicujus leges pedumque numerum definitum compositum, quem *metricam Poesin* salutarunt, Poetis atque eruditis hominibus familiarem; alterum vero *rhythmicum* dictum, quo de plebe homines usi sunt, qui penes habiti, severis illis metri legibus liberiori musa carmina suderunt. *Saturnium* alias *metrum* vocitabant, quod illius originem ad *Saturni* tempora referrent. Parum tamen illud ad eorum palatum fuisse Augusti ætate, qui cultiori ingenio pollere sibi videbantur, ex *Horatio* lib. II, Ep. I, qui *horridum metrum*, & *Livio*, qui *inconditos versus* vocat, edocemur. Excipit hanc dissertationem alia, *de Italis primitivis*, in ipso opere promissa, qua

in

in primorum Italiæ habitatorum, quos Latini *Etruſcos*, Græci autem ſcriptores *Tyrrhenos* nuncupant, origines erudite inquiritur, eosdemque ex Terra Canaan prodeuntes illuc primum conſedisſe, non absque omni veri ſimilitudine aſſeritur. Ita nomen civitatis terræ Canaanitice עטרות *Hatroth*, *Numer. XXXII, 34*, *Hetruſcorum* appellatio facile prodit; ut de pretio, quod utraque gens ſuperſtitioſiſſima, auguriis ſtatuit, fuſius ab autore, præter morum inſignem convenientiam, argumenti loco allata nihil dicamus. Poſt hanc famigeratiſſima illa *Joannis Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum epiſtola*, quam una cum *litteris* humaniſſimis ad Vir. Cel. *Jacobum Baſnagium*, *Florentiæ* A. 1721, exſcribi typis primum curaverat, recuſa hic legitur. Optaviſſet quidem Vir illuſtris, ut, cum *primo lectionum antiquarum Tomo*, quædam regereret ad ſuas litteras Cl. *Baſnagius*, non illarum fragmenta tantum excitaviſſet, ſed integre inſertas lectoribus ſuis propoſuiſſet, quo melius ipſis de totius controverſiæ conſtitiſſet momento; cum tamen facere illud omiſerit *Baſnagius*, denuo illam vulgare neceſſarium duxit, *obſervationibus* quibusdam *apologeticis* adauctam. Ultimo denique loco occurrunt *Acta ſanctorum Martyrum Firmi & Ruſtici*, ex Codice quodam ſeculi duodecimi bonæ notæ fideliter deſcripta, ut ſatis fieret voluminoſi *Actorum Sanctorum* operis conditorum deſideriis jam publicata, quibus coronidis loco *Vita S. Zenonis* itidem ex MSto additur.

Atque ſic quidem officio noſtro defuncti eſſe brevemque elaboratiſſimi hujus operis conſpectum dediſſe nobis videmur, digniſſimi certe, quod in Latinum ſermonem converſum, plurium uſibus inſerviat, ut adeo calamum jam ponere poſſemus. Antequam vero id fiat, lubet Catalogum ingenii monumentorum omnium contexere, quibus præclara *Marchionis* virtus cognoſcendam ſeſe, poſterisque olim deprædicandam præbuit. Quam *ſcriptorum Maffeianorum* notitiam, benevole nobiſcum communicatam, gratiſſimam lectoribus accidere minime dubitamus. Sunt vero hæc: I *La Merope* Tragœdia, Venetiis olim incredibili cum plauſu recitata, & in Gallicam, Anglicam, Germanicam atque Hiſpanicam linguam translata. II *Della Scienza chiamata Cavalereſca libri tre*; ſive de ſcientia tuendæ exiſtimationis, quæ vulgo

ſcientia nobilium dicitur. De hoc libro in *Actis noſtris Supplement. Tom. VI p. 265* dictum eſt. III *Rime e Proſe, raccolte e publicate dal Dottor Colleti, in Venezia.* Leguntur in hac collectione duæ illæ diſſertationes famigeratiſſimæ, una, *de generatione fulminum*, altera *de fragmentis Irenæi anecdotis adverſus Cel. Paſſium.* IV *Traduttori Italiani*, ſeu notitia de verſionibus ſcriptorum veterum latinorum & græcorum Italicis. Vide *Acta noſtra*, A. 1723 p. 227. V *Dell' antica conditione di Verona*, viginti dierum opuſculum, conſutandæ eruditi cujusdam Brixienſis, autori amici, ſententiæ, qui Brixiam metropolim olim fuiſſe agri Veronenſis contenderat, conſcriptum. Prodromus illud tantum eſt operis elaborationis, titulo *Veronæ illuſtratæ* proxime publicandi. Interim duo in hoc libello maxime conſideranda veniunt momenta. Primum, quod nunquam in Provinciis Romanis conſtituta aliqua fuerit metropolis, reliquis præferenda: quam obſervationem peculiari commentatione poſt *Veronam illuſtratam* imprimenda uberius illuſtrabit. Alterum, quod ſuppoſititium ſit illud diſtichon *Catulli* Eleg. III verſ. 17:

Brixia quam molli percurrit flumine Mello
Brixia Verona, Mater amata mea.

Præterquam enim, quod *Melli* fluminis hic mentio fiat, nominis *Catulli* ævo plane inauditi, pridem eſt, quod Critici obſervarunt, hanc Elegiam alio adhuc diſticho a recentiori quadam manu adauctam fuiſſe; & ipſe paullo poſt illuſtris *Maffei* adverſarius, in duos Codices *Catulli* optimæ notæ MStos incidit, ne unicam quidem litterulam ex diſticho allegato exhibentes. VI *De Fabula equeſtris ordinis Conſtantiniani. Pariſiis* typis exſcripta fuit hæc commentatio, latino idiomate ſtiloque terſiſſimo exarata, qua vaniſſimum eſſe illorum commentum evincitur, qui, neſcio quem, ordinem equeſtrem ab Imperatore Conſtantino M. inſtitutum, & ab ejus ſucceſſoribus diſpenſatum fuiſſe tradiderunt. Quo quidem libro, in Italia valde raro, parum gratiæ optimum Autorem retuliſſe ab Aula Romana, non ignoramus. VII *Caſſiodorii Complexiones in Epiſtolas, & acta Apoſtolorum, & Apocalypſin.* Dedimus illarum recenſum in *Actis noſtris* A. 1723 p. 21, jamque id tantum notamus, *Londini* easdem paullo poſt quam prelo liberatæ

Italico

Italico prodierunt, cura *Samuelis Chandleri* recusas fuisse. Unum adhuc memorandum succurrit, in prolixa historiæ hujus diplomaticæ ad Sereniss. *Sardiniæ Regem atque Ducem Sabaudiæ* præfatione exspectari a se jussisse etiam Virum Celeb. *collectionem lapidum ineditorum*, cui comitem dabit dissertationem *de usu atque valore Inscriptionum*; atque hujus promissi in fidem, quasi arrhæ loco exhibere typum *Arcus Susani*, famigeratissimi a tribus inde seculis antiquitatis monumenti, *inscriptione* superbientis, quam frustra hactenus explicare tentaverint, *Andreas Naugerius*, *Lucas Holstenius*, *Joannes Mabillonius* & *Petrus Godofredus Nizzardus*: ipse vero jam feliciter restituerit, uberiori olim illam luce collustraturus.

BURCARDI GOTTHELFF STRUVII Bibliotheca philosophica Recensuit & largissimis accessionibus instruxit M. JOANNES GEORG. LOTTERUS, Augustanus.

Jenæ, apud Ernestum Claudium Bailliar, 1727, 8. Alph. 1 pl. 6.

NOva hæc est, eademque quarta, *Bibliothecæ philosophicæ Struvianæ* editio, nova fere jam facie conspicua, atque studiosorum usibus magis accommodata. Etenim, a Bibliopola rogatus Cl. Editor, Collega noster perindustrius, ut illam curandam susciperet, id ante omnia negotii datum sibi recte putavit, ut errores præcipue, qui prioribus editionibus fere sine numero irrepserant, sollicite tolleret. Præter hæc variis accessionibus opellam auxit, integros partim paragraphos adjiciendo, quibus a Cel. Struvio omissa suppleret, quorum in præfatione Syllabum dedit; partim vero additis passim hypomnematis largioribus, illa scripta commemorando, quæ post editam Bibliothecam Struvianam in lucem publicam exiissent. In librorum editionibus annotandis illarum rationem habuit potissimum, quæ vel primæ omnium fuissent, vel inter sæpius exscriptas optimæ judicarentur. Sedula hic etiam industria Academicæ dissertationes excitatæ deprehenduntur, & ubi præstantiorum philosophorum vitæ legi possint, tradi-

Digitized by Google

tur; usus vero opellæ, adjecto triplici indice perquam commodus studiosis redditur. Interim cum Academici libelli cancellos præfixerit bibliopola, & non nisi quadrimestre spatium editori concessum fuerit huic operi perficiendo; si alia aliquando paranda fuerit libri editio, operam se daturum is promittit, ut ornatior illa atque perfectior appareat.

GEORG. ERH. HAMBERGERI, PHILOS. & Med. Doct. & Prof. P. Elementa Physices, methodo mathematica in usum Auditorii conscripta, cum figuris æneis atque Indice.

Jenæ, sumtibus viduæ Meyerianæ, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 10.

QUam parum abundemus compendiis Physicis satis aptis atque concinnis, ii minime ignorant, qui, quod Auditoribus suis, in scholis Academicis, potissimum interpretandum sumant, plerumque difficulter reperiunt. Novum & perelegans est, quod nunc in lucem edidit Cl. *Georg. Erh. Hambergerus*, B. *Georgii Alberti* filius, & *Weigelii* nepos dignissimus. Qui, quanquam negat, alium sibi propositum fuisse finem, nisi ut Auditoribus inserviret suis, complura tamen affert, quæ magnorum etiam Physicorum meditatione non indigna judicamus. Methodo usus mathematica, quicquid pronuntiat cum prioribus, quas perpetuo allegat, sententiis ac thesibus concatenare, atque ita rite demonstrare conatur. Quod sine dubio magnopere probabunt ii omnes, qui, nihil impediente scientiæ naturalis imperfectione, propter quam multi Systema physicum satis perfectum & cohærens etiamnum condi posse negant, methodum mathematicam accommodatissimam arbitrantur, ad hanc ipsam scientiam tyronibus tradendam atque explicandam. Quæ in plerisque libellis physicis initio statim proponi solent de corporum naturalium principiis, materia, forma, causa efficiente, qualitatibus sensibilibus &c. hæc omnia prætermittit Noster: *Neque enim video*, inquit, *quid ei, qui nihil scit de materia corporum propria, de communi omnium corporum materia demonstrari queat, vel de causa efficiente, forma, principio*

Digitized by Google

cipio intrinseco &c. ei qui ne quidem ullum effectum, figuram, & ejus proprietates scit vel intelligit; aut quæ certitudine isti, qui structuram corporis humani nescit, de qualitatibus tactibilibus, odorabilibus &c. sermonem facere valeam. Hinc *primo* statim *capite* de motu agit, de *vi insita* corporum, de generatione & mensura motus cum simplicis tum compositi, itemque de legibus impulsus corporum perfecte elasticorum sive perfecte durorum, quippe quæ plane pro iisdem habet. *Vim insitam* sive concreatam ita concipit, quod corpus quodlibet, quolibet momento, versus omnes plagas extra se, & ab omnibus plagis in se ipsum tendere sive agere debeat. Quod si harum virium quælibet suæ oppositæ sit æqualis, etiam quoad causas occasionales motus, hoc est, quoad resistentias corporum externorum, tum quidem corpus quiescere pronuntiat: sin una harum virium, sua opposita, quoad causas motus occasionales, sit major, sequi motum, secundum directionem majoris; nec motum, nec vim transire ex uno corpore in aliud, sed resistentiam dare æquilibrium quoddam corpori impellenti, & auferre æquilibrium corpori quiescenti. Quantitatem motus, sive impetum corporum, prodire dicit, si massa per celeritatem multiplicetur; hanc tamen regulam de corporibus quiescentibus, i. e. in æquilibrio constitutis, tantum valere; quippe cum infra, experimento globuli ænei vel eburnei, ex diversa altitudine in argillam delabentis, demonstret, corporum in motu constitutorum impetum inveniri, si massa per quadratum celeritatis, juxta regulam *Leibnitianam*, multiplicetur. Corpus *perfecte elasticum* hoc modo definit: quod vi externæ agenti perfecte resistit, hinc non mutatur, nec sese restituit. Quare determinationes motuum, in corporibus perfecte duris & perfecte elasticis, post conflictum, juxta principia Cl. Autoris nostri, plane sunt eædem; & quidem tales, quos præstantissimi inter recentiores Mathematicos & Physicos solis corporibus elasticis adscribunt. Nostrum non est, hac de re judicare; quanquam naturam *vis insitæ* & supra allatam ejus descriptionem non parum nobis comprehensu difficilem adhuc videri, pace Viri Clarissimi, ingenue fatemur. *Caput alterum* de actione corporum ex gravitate, ac de æquilibrio solidorum & fluidorum, agit. *Gravitatem* a vi insita dependere, nec,

ſine petitione principii, a motu alicujus fluidi circulari derivari poſſe contendit. Corpus *fluidum*, juxta ejus definitionem eſt congeries particularum minimarum, ſigillatim haud ſenſibilium, quæ adeo leviter inter ſe cohærent, ut pondus quantitatis, ad ſummum piſo æqualis, majus ſit cohæſione partium inter ſe: *Solidum* vero eſt congeries particularum, quarum cohæſio tanta eſt, ut major vis requiratur, ad corpus in duas partes circiter æquales dividendum, quam ad corpus uno actu elevandum. *Capite tertio* de actione corporum ex vi inſita absque motu, ſive de *cohæſione* diſquiritur. Cohæſionem a preſſione fluidi externi non dependere duobus potiſſimum argumentis probat Cl. Hambergerus. Fluida aut ambiunt tantum corpus, inquit, nec ejus poros penetrant, niſi ad ſummum ſucceſſive, aut penetrant liberrime per omnes poros, aut difficulter penetrant, ſaltim in anguſtiores poros, ideoque in corpore ſubſiſtunt & in interiores ejus partes agunt. *Fluida* craſſiora, in ſuperficie corporum tantum prementia, e. g. aer & aqua, comprimunt quidem corpora, & quandam partium cohæſionem præſtant; minime vero ſufficientem eſſe iſtam preſſionem, vel ſola marmora polita loquuntur. Ea enim, quæ poſſidet Cl. Autor (diameter baſeos eſt 25 lineis Pariſ. æqualis) a 580 libris hieme vix divelli poſſunt, cum aer eadem marmora ad ſummum comprimat vi æquali 50 libris. A fluido, quod omnes poros libere permeat, non poſſe comprimi corpus, demonſtratione haud eget. De fluido ſubtili vero, quatenus in interſtitiis particularum ſubſiſtit, demonſtratur, quod majorem vim exerceat ad diſſolvenda quam comprimenda corpora. Alterum argumentum deſumitur a figura guttularum ſphærica. Quam ut pateat a fluidorum preſſione obtineri haud poſſe: *ponamus*, inquit, *aliquot fluidi cujusdam particulas, in figura quadrata vel cubica poſitas; premat baſce particulas fluidum quoddam externum; preſſio in omnes particulas erit perpendicularis & æqualis; aut ergo omnes ſimul, æquali celeritate, aut plane nulla particula, verſus interiora cubi moventur; atqui ex neutro effectu guttula fit rotunda;* ergo patet propoſitum. Juxta ſententiam Cl. Autoris a vi inſita elementorum vel corpuſculorum minimorum omnis deducenda cohæſio eſt, quam eo fortiorem cenſet, quo major ſit illa vis,

Digitized by Google

vis, & quo plura sint puncta contactus. Leges adhæsionis fluidorum & solidorum per experimenta simplicissima invenit tales: 1) *fluidum specifice levius adhærere omni corpori gravitate specifica æquali, vel etiam specifice graviori*; 2) *nullum fluidum specifice gravius, paulo majori quantitate collectum, adhærere corpori specifice leviori*. Et his legibus, ad quas etiam reducit cohæsionem solidorum, quamplurimos naturæ effectus, hoc & sequentibus capitibus, ingeniosissime interpretatur. *Caput quartum*, velut consectarium tertii, de mixtione & separatione agit. Ubi, contra receptam opinionem, salia alcalia intrare Autor docet in interstitia salium acidorum; hoc potissimum experimento nixus, quod affuso leniter & guttatim spiritu quocunque acido ad oleum tartari per deliquium, hujus altitudinem, diligenter antea notatam, continuo decrescentem vidit. Qua de re novissime singularem ac doctissimam Dissertationem conscripsit. *Caput quintum* est de igne; *sextum* de aere; *septimum* de aqua; *octavum* de terra & in eadem contentis, ubi etiam acus magneticæ fit mentio, cujus peculiare aliquod phænomenon primus observavit Cl. Autor, quod *Partialitatem acus magneticæ* appellavit, atque erudito Programmate huic libello præfixo uberius persecutus est. Consistit autem illa partialitas in ejusmodi statu acus magneticæ, quo utraque sua extremitate ad alterutrum magnetis polum accedit, & ab altero recedit; atque istud fit, cum ab alterutra extremitate, non ad alteram extremitatem, sed tantum ad medium seu centrum usque, quolibet magnetis polo acus stricta est. *Capite nono* phænomena explicantur, quæ oriri solent, si ignis concurrit vel cum aere, vel cum aqua, vel cum terra; ubi totam doctrinam Newtonianam, de radiorum refractione, reflexione, & coloribus, ex principio adhæsionis Nobilissimus Autor demonstravit. *Caput decimum* ea complectitur phænomena, quæ oriuntur ex concursu, vel ignis, aeris, & aquæ, vel ignis, aeris, & terræ; quo loco de vaporibus, de ventis, de frigore, de rore, pruina, nebulis, pluvia & grandine, itemque de meteoris emphaticis; porro de modo quo corpora fiunt candentia, de corporibus malleabilibus & ductibilibus, de fulmine, de electricitate, de phosphoris &c. disquiritur. *Capite undecimo* specialia quædam recensentur phænomena, quæ

ex

ex concursu ignis, aeris, aquæ & terræ oriuntur. *Caput duodecimum* atque ultimum agit de Systemate mundi. Tota doctrina de plantis, animatis, atque homine, tanquam ad Medicinam pertinens, in hoc compendio Physices omissa est. Ceterum præter Programma supra laudatum adhuc aliud addere placuit Cl. Autori, de *camphora per spiritum nitri fusa*.

Des Heil. Röm. Reichs vollständige Staats-Rechts-Lehre, Fünffter Theil ꝛc. ꝛc. Sechster Theil ꝛc. ꝛc.

hoc est,

JACOBI CAROLI SPENERI PLENIOR doctrina Juris Publici Imperii Romano-Germanici.

Tomus V.

Francofurti & Lipsiæ, impensis Georgii Marci Knochii, 1726, 4 Alph. 2 pl. 4.

Tomus VI.

Ibidem, sumtibus ejusdem, 1727, 4. Alph. 2 pl. 3.

POstquam Tomo IV, de quo in Actis A. 1725, Mense Decembri nos dicere meminimus, duo libri quarti capita priora, unum *de summa Imperatoris Romano-Germanici dignitate, titulis & insignibus*, alterum *de Electione Imperatoris*, executus est Vir Celeberrimus, jam Tomis his duobus omnem *de Augustis Imperatoris nostri juribus* tractationem, simulque librum quartum doctrinæ suæ Juris publici Romano-Germanici absolvit. Tertio itaque *capite coronationem Imperatoriam* exponit non minore studio apparatuque, quam præcedente electionem illustraverat: imprimis vero solennia novissimæ coronationis, & eorum quædam singularia, solicitius expendit. Quarto capite *Majestaticum Imperatoris munus, ejusque jura & officia universim* describit, Majestatis Imperatoriæ fundamentum in novissimis statuum cum Imperatore pactis constituit, eamque docet a supremo capitis Imperii nostri munere inseparabilem, omnibus coruscare, quibus doctrina civilis

Maje-

Majestatem definit, requisitis, ut sit summa, plena, independens, legibus humanis soluta potestas. Jurium vero Augustorum idem fundamentum, quod Majestatis Imperatoriæ, eandemque normam, pacta scilicet novissima esse, quibus quicquid Imperatori noviter delatum, quicquid iisdem observantiæ Imperii veteri ac juribus, quibus Prædecessores Augusti usi, minime derogatum, id citra controversiam Imperatori competere, demonstrat. Inde *jura Imperatoris singularia & reservata* plenius enarrantur capite quarto, facta eorum partitione secundum triplex objectum, communia Imperii negotia, Status Imperii, territoria & subditos Statuum singulorum: in qua difficili utique pertractatione Noster sese ita gerit, ut ad Statuum jura & ad superioritatem eorum territorialem, in postremi generis reservatis Imperatoriis, debita cum cura respiciat, utque reservata certiora ab aliis non omnem extra dubitationem positis, vel per pacta recentiora abrogatis, rite discernat. Pergit hinc Capite VI ad *jura Imperatoris cum consensu Collegii Electorum in Imperio Romano exercenda*, &, quæ circa illa evenerunt hodie, mutationes expendit. Capite VII contemplatur *Imperatoris Curiam, ejusque, ut & redituum ac compendiorum ad Cameram Aulæ Imperialis spectantium habitum & ordinationem.* Capite VIII *de supremo Imperii regimine per Imperatoris mortem, resignationem, depositionem vacante*, deque juribus, imprimis circa postremum longe difficillimum, quo Imperio vacare capite suo possit contingere, observandis, disputatur. Et hactenus pertingit Tomus V. Qui succedit, Tomus VI justa methodo pergit Capite IX ad tractationem de Vicariis Imperii eorumque juribus, quæ distincta causarum, ob quas Vicariatus exercetur, mortis scilicet, absentiæ, infirmitatis, vel minorennitatis Imperatoris, contemplatione aliter atque aliter, ut res poscit, intelligenda perhibentur. Caput X Regis Romani electionem, coronationem, eminentias, jura & officia, denique Caput XI Augustæ Romano-Germaniæ coronationem, eminentias, jura, describit. Accedit huic Tomo Appendix de *Origine Comitum Palatinorum Imperialium, horumque juribus.* Cum enim Noster alia inter reservata Imperatoris jus constituendi ejusmodi comites enarraret libro IV cap. 5, novam de genuina istius reser-

Digitized by Google

vati Imperatorii origine ſententiam ſimul propoſuit, nimirum juris Romani Juſtinianei in Italia reſtitutionem effeciſſe, ut primum Imperatori in Italia, mox & in Germania ea jura per Legiſtas vindicarentur, quæ ſunt Auguſti ſecundum legem Romanam, eaque de cauſa conſtitutos fuiſſe ab Imperatoribus Comites, qui jura iſta nomine Imperatorum exercerent, ac titulum quidem Lateranenſium Comitum inde coortum, quod Ludovicus Bavarus Caſtruccio, Lucæ Duci, Comiti Palatii Lateranenſis, ut inaugurationi aſſiſteret, a ſe creato facultatem ſingularibus codicillis dederit *milites conſtituendi, & militari cingulo decorandi, & judices ordinarios ac notarios publicos creandi & ordinandi, filios naturales, tam ſpurios, quam vulgo quæſitos, ex damnabili coitu natos, legitimandi, & cum ipſis ſuper natalium defectu, & alio quolibet, diſpenſandi.* Hæc, ut publico programmate nuper latino executus eſt Noſter, ita hac Appendice ipſius programmatis contextum Latinum, addita interpretatione Germanica, repetiit quidem, ſed luculentis annotationibus, quæ vel Scriptorum & rerum teſtimoniis argumentisque ſententiam Autoris fulciant, vel illuſtrent, eundem inſtruxit.

PAULINI A S. JOSEPHO, LUCENSIS, CLERICI Reg. Scholarum piarum, & in Archi-Gymnaſio Romanæ Sapientiæ Eloquentiæ Profeſſoris Orationes, habitæ in eodem Archi-Gymnaſio.

Romæ, ex typographia Bernabò, 1727, 8. Alph. 1 pl. 1.

SYlloge hæc eſt Orationum undecim, quas Cl. Autor variis occaſionibus differendi materiam ſuppeditantibus, in Romanæ Sapientiæ Archi-Gymnaſio recitavit. Aliquot ex illis jam in lucem prodierant, Pontificum partim, partim Cardinalium nominibus inſcriptæ; erga quos ſuæ pietatis ut & poſteris conſtaret monumentum, junctim illas denuo vulgare, adjectis quibusdam nondum editis, conſtituit. Præter vero hanc cauſam, quæ Profeſſori doctiſſimo propria eſt, dignas easdem utique fuiſſe, quæ, publicæ luci commiſſæ, cum pluribus communicari pluribusque legi poſſent,

illi

illi fatebuntur, quibus intelligere datum eſt, quantum veræ laudis habeat oratio, naturali ſua florens pulchritudine, caſta, gravis, concinna & æquabiliter decurrens, & quæ a ſucis atque frigore longiſſime abſit. Ipſe etiam argumentorum delectus atque dignitas pretium illis haud leve addit atque ornamentum. *Prima* ſcilicet *de litterarum humaniorum neglectu atque corruptela* agit: *Secunda* vulgare præjudicium confutat noſtræ ætatis hominum, qui *Mecænatum penuriæ* minus recte tribuunt, quod pauci admodum hodie ultra mediocritatem in literarum ſtudiis aſſurgant: *quarta*, quanta ſit *illiteratorum infelicitas*, commonſtrat: *quinta de forenſi latinitate expurganda* graviſſima conſilia ſubminiſtrat: *ſexta de uſu & neceſſitate eloquentiæ in foro & hodiernis judiciis* diſſerit: *ſeptima in optimis ſtudiis lente feſtinandum eſſe* ſaluberrimis monitis inculcat: *octava, quæ* maxime *ſit expedita diſcendi ratio* docet: *decima ingeniorum delectum ad ſtudia litterarum habendum eſſe* demonſtrat, quo neglecto, quod plerumque fieri videas, nihil eximii enaſci poſſe: *tertia* denique, *nona* atque *undecima in laudibus Leonis X. P. M.* decantandis occupantur, & in anniverſariis parentalibus memoriæ hujus Pontificis, Archi-Gymnaſii inſtauratoris, dicatis habitæ ſunt.

GLI ABITI SACRI DEL SOMMO PONTEFICE Paonazzi e neri giuſtificati.

h. e.

VESTIUM SACRARUM S. PONTIFICIS violacei ac nigri coloris, in quibusdam ſolennioribus eccleſiæ officiis, uſus vindicatus ac antiquorum Ritualium & ſcriptorum liturgicorum autoritate defenſus a DOMINICO GEORGI.

Romæ, apud Hieronymum Mainardum, 1724, 4. Plag. 9.

JUſſerat Benedictus XIII P. M. Autorem diſſertationis hujus, quo præcipue veſtium colore in exſequiis Principum celebrandis Pontifices Anteceſſores ſui uſi fuiſſent hactenus, inquirere. Paruit ille mandatis, & hunc libellum, Benedicti nomini inſcriptum com-

posuit, ostensurus ex Romanæ ecclesiæ ritibus antiquissimis, quibus potissimum vestibus induti illi non Principum tantum demortuorum parentalibus officiis interesse, sed & jejunii tempore ac publicarum precum statis diebus incedere consueverint. Postquam igitur docuisset, ad exemplum summi sacerdotis *Exod. XXVIII, 5*, quatuor maxime coloribus, albo scilicet, rubro, nigro sive violaceo atque viridi Pontificum vestes distingui solitas, & nigrum præcipue seu puniceum semper adhibitum fuisse ex *Guil. Durandi, Speculatoris* titulo ab alio ejusdem nominis distincti, *Rationali divinorum officiorum* l. 3 cap. 18 §. 6, probavisset, tempora ipsa curate designat, quibus nigra, vel ejus loco violacea, veste in publicum prodire Pontificem mores ac veterum instituta postulent. Sunt hæc Adventus ad Vigiliam nativitatis, Septuagesima ad Sabbatum Paschæ, & Dominica Rogationum. Præter hæc ordinaria tempora illius usus in anniversariis Pontificum atque Cardinalium, in celebratione missarum pro mortuis, aliisque adhuc occasionibus invaluit. Prolixe hi ritus ex antiquitatis monumentis illustrantur; quibus vero fusius recensendis non detinebimur.

INDEX AUTORUM,
quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

ACtorum *Sanctorum Julii Tomi V. Synopsis.* 323.
Alberti (*Jo.*) *Periculum Criticum in loca quædam V. & N. T.* 492
Anastasii *Bibliothecarii gesta Pontif. Roman. ex edit. Jo.* Vignolii. 55
Anonymi *Historia MS. primorum XLVI Patriarcharum Alexandrinorum, e lingua Coptica in Arabicam versa.* 28.
Ara

Digitized by Google

Arachiel, (*Cacciaturi*) *ſumma Theologiæ univerſalis.* 420
Berkeleji (*Georgii*) *Dialogi tres contra Atheos & Scepticos.* 339
Buddei (*Jo.Franc.*) *Iſagoge hiſt. theol. ad Theologiam univerſam ſingulasque ejus partes.* 433
a Cattenburg (*Adriani*) *Spicilegium Theologiæ Chriſtianæ Philippi a* Limborch. 150
Clementis XI *Pont.Max. Epiſtolæ ac Brevia ſelectiora.* 193
Dart (*Joannis*) *Hiſtoria & Antiquit. Abbatiæ & Templi Weſtmonaſterienſis. Tomi II.* 241
Fabricii (*Jo.Alb.*) *Delectus argumentorum & Syllabus Scriptorum, qui veritatem religionis Chriſtianæ lucubrationibus ſuis aſſeruerunt.* 266
Georgi (*Dominici*) *uſus veſtium ſacrar. S. Pontificis violacei ac nigri coloris defenſus.* 547
Grotius (*Hugo*) *de veritate relig. ex edit. Jo. Chriſtoph.* Kœcheri. 87
von der Hardt (*Herm.*) *Hiſt. Regni Babyl. per Cyrum everſi ex Geneſ. XI, 1–9.* 93
Haſæi (*Theod.*) *Diſſ. Hiſt. Theol. de monumento Paneadenſi.* 424
Hoffmanni (*Godofr.*) *Comment. in Aug. Conf. ceteroſque libros ſymbolicos.* 422
Joſephi (*Flavii*) *opera omnia cum verſ. Jo.* Hudſoni, *ex edit. Sigeb.* Havercampi. 385
Langii (*Joach.*) *Cauſa Dei adverſus Judæos, Socinianos & Pontificios aſſerta.* 528
Lewis (*Thomæ*) *Antiquitates Reipubl. Hebraicæ.* 81
Moshemii (*Jo.Laur.*) *Inſtitutiones Hiſt. Eccleſ. N. T.* 261
Pezii (*Bernardi*) *Bibliotheca aſcetica antiquo-nova. Tom. IX.* 84
Richardſon (*Jo.*) *Prælectiones Eccleſiaſticæ XXXIX.* 111
Schannat (*Jo.Frid.*) *Dioceſis & Hierarchia Fuldenſis.* 396
Schrœdelii (*Phil. Dav.*) *Quæſt. & Reſp. de exiſtentia & virtutibus Dei.* 227
Siberi (*Urb. Godofr.*) *Eccleſiæ Græcæ Martyrologium.* 511
Wollaſton (*Wilh.*) *Religio naturalis delineata.* 339

II. Libri Juridici.

Anonymi *Bibliotheca Juris imperantium.* 356
Auguſtini (*Ant.*) *Index Chronol. ad Jus Juſtin.* 359
Brunnquell (*Jo.Sal.*) *Hiſtoria Juris Rom. Germ.* 234
Conradi (*Franc.Car.*) *Obſerv. de vera ætate Caji JCti & de ſcriptis ejus ad juſta tempora revocandis.* 59
Cypriani (*Ern.Sal.*) *Inſtructio de Jure primogenitorum in illuſtribus familiis.* 179

Digitized by Google

Freymonnii (*Wolfg.*) *Index Chronol. ad Jus Justin.* 359
Gratiani *Decreta secundum Decretalia Gregoriana distincta a Joanne a* Turrecremata, *ex ed. Justi* Fontanini. 211
Grupen (*Christ. Ulr.*) *Uxor Romana.* 362
Hoffmanni (*Chr. Godofr.*) *Historia Juris Rom. Justinianei. Tomus II.* 237
Labitti (*Jac.*) *Index Chronol. ad Jus Justin.* 359
Leyseri (*Augustini*) *Meditationes ad Pandectas. Vol. III & IV.* 305
Vol. V & VI. 315
Ottonis (*Everardi*) *Thesaurus Juris Rom. Tom. II.* 55
de Rampach (*Jo. Jac.*) *Palæstra S. R. G. Imperii Architribunalium.* 124
Schannat (*Jo. Frid.*) *Tr. hist. jurid. de Clientela Fuldensi.* 24
Schultingii (*A.*) *Exercitatio ad Val. Max. Lib. VII Cap. VII de Testamentis rescissis.* 159
Schwederi (*Christoph. Herm.*) *Theatrum prætensionum illustrium suppletum a D. Ad. Frid.* Glafey. 476
Speneri (*Jac. Car.*) *Doctrina Juris Publici Imperii Romano-Germanici.* 544
a Turrecremata (*Jo.*) *vide* Gratian.
Wieling (*Abr.*) *Jurisprudentia restituta.* 359

III. Libri Medici & Physici.

Acta *Physico-Medica Academiæ Cæsareæ Naturæ Curiosi. Volumen I.* 398
Adolphi (*Chr. Mich.*) *Trias Diss. Medic. ad Dieteticam spectantium.* 71
Anonymi *de veteri lapide porphyrio notis hieroglyph. decorato.* 144
Boyle (*Roberti*) *Opera Philosophica in compendium missa a Petro* Shaw. 130
Bruckmanni (*F. E.*) *Historia natur. lapidis τῦ ἀσβέςυ.* 407
Burggravii (*Jo. Phil.*) *Notæ ad H. Conring. de habitus corporum German. causis.* 528
Chuden (*Christ. Frid.*) *Methodus nova præservandi & curandi Atrophiam, seu maciem infantum.* 525
Fürstenau (*Jo. Herman.*) *desiderata Medica.* 275
Hambergeri (*Ge. Erh.*) *Elementa Physices.* 549
Harenbergi (*Jo. Christoph.*) *Observ. physicæ de generatione lapidum figuratorum.* 136
Hooke (*Roberti*) *Experimenta & Observata Philosophica, ex edit. Guil.* Derham. 168
Lucretii Cari *de rerum natura Libri VI, ex edit. Sigeb.* Havercampi *& Abrah.* Preigeri. 162.

Digitized by Google

Middleton (*Congeri*) *de Medicorum apud Vet. Rom. conditione Diss.* 126
Neumanni (*Casp.*) *Lect. Chym. de salibus Alcalinis & de camphora.* 521
Ode (*Jacobi*) *Principia Philosophiæ Naturalis.* 460
Ruffi (*Salvat.*) *Historia terræ motus, qui accidit Panormi 1 Sept. 1726.* 39
Shaw (*Petri*) *Praxis Medica nova.* 125
Opera Philos. Boyliana in compendium missa. 130
Tilli (*Mich. Angeli*) *Catalogus Plantarum horti Pisani.* 218
Transactiones *Philos. Anglicanæ. Vol. XXXI.* 270
Vallisneri (*Ant.*) *Epist. de usu & abusu balneorum & potuum frigidorum vel calidorum.* 221
Vulpini (*Jos.*) *Opera Medico-Practica & Philosophica.* 175
Waltheri (*August. Frid.*) *additamenta ad Observat. de ductibus salivalibus sublingualium Glandularum.* 472
Winteri (*Jo.*) *Tentamen circa morbos chronicos.* 67
Woodward (*Jo.*) *Historia naturalis Tellurit illustrata, aucta, defensa.* 312

IV. Libri Mathematici.

Eulerii (*Leonh.*) *Methodus inveniendi trajectorias reciprocas Algebraicas.* 408
Flamstedii (*Jo.*) *Historiæ cœlestis Britannicæ Voll. III.* 337
Gregorii (*Dav.*) *Astronomiæ Physicæ & Geometricæ Elementa, Tomi II. Editio 2.* 310
Hasii (*Jo. Matthiæ*) *Progr. de eclipsibus Solis & Lunæ binis anni 1726.* 177
de la Hire (*Phil.*) *Tabulæ Astronomicæ. Editio II.* 475
Leupoldi (*Jac.*) *Theatrum pontificiale.* 309
Theatrum Arithmetico-Geometricum. 468
de Lisle *Observ. Astronomicæ Berolini 1726 institutæ.* 178
Neutoni (*Is.*) *Philosophia Natur. Principia Mathem. Ed. III.* 73
Rostii (*Jo. Leonh.*) *Astronomus ingenuus.* 224
Schübleri (*Joh. Jac.*) *nova Introductio ad praxin Gnomonicam.* 470
Transactiones *Philosophicæ Angl. Vol. XXXI.* 270
Wegneri (*Ge. Wilh.*) *Observatio Parhelii d. 28 Aug. 1722.* 37

V. Libri Historici, Geographici &c.

Com. de Alegrete *vid.* Sylva.
Anonymi *Historia nummi Britannici.* 90
Commentarii ad Historiam civitatis Urbinatis spectantes. 244.

Digitized by Google

Anonymi *Relatio de ſtatua equeſtri Caroli M. poſita.* 247
Commentarii Hiſtoriæ celebrium in Rep. Litter. Virorum inſervientes. 488
Breval (*Jo.*) *Obſervationes hiſt. antiquariæ & Geogr. in variis Europæ partibus factæ.* 90
de Brito (*Franc. Bern.*) *Elogia Regum Luſitaniæ cum Supplem.* Joſ. Barboſæ *ex edit. Dioci de* Mendonza. 319
Coſtii (*Ant. Roderici*) *de rebus geſtis Nonni Alvateſii Pyreriæ Libri II.* 200
Crugeri (*Theod.*) *Origines Luſaticæ.* 277
Deſing (*Anſelmi*) *Methodus contracta Hiſtoriæ.* 184
Fontanæ (*Caroli*) *Deſcriptio Amphitheatri Flavii.* 9
Gordoni (*Alexandri*) *Itinerarium Scotiæ curioſum.* 108
von der Hardt (*Herm.*) *Hiſtoria Regni Babyl. per Cyrum everſi.* 53
Heumanni (*Chr. Aug.*) *Acta Philoſophorum. Pars XIII.-XVIII.* 519
Hornii (*Jo. Gottlob*) *Princeps domus Saxon. Henricus illuſtris deſcriptus.* 77
Knight (*Sam.*) *vita Eraſmi.* 34
Lewis (*Th.*) *antiquitates Reip. Hebr.* 81
Lucchefinii (*Jo. Vinc.*) *Hiſtoriæ ſui temporis Tom. I.* 477
De Ludewig (*Jo. Petri*) *Reliquiæ MStorum & c. Tom. VIII.* 181
Maffeji (*Scipion.*) *Hiſtoria diplomatica.* 519
Com. Marſilii (*Aloyſii Ferd.*) *Danubius Pannonico-Myſicus. Tomi VI.* 239
Maximus *vide* Valerius.
Des Maizeaux *vita & ſcripta Guil.* Chillingworthi. 426
Mori (*Thomæ*) *vita Thomæ Mori.* 31
Muratorii (*Lud. Ant.*) *Rerum Italicarum Scriptores. Tom. VIII.* 268
Tomi II Pars II. 430
Naramowski (*Adami Ign.*) *facies rerum Sarmaticarum.* 486
Papadopoli (*Nic. Comneni*) *Hiſtoria Gymnaſii Patavini.* 49
Ruffi (*Salv.*) *Hiſtoriæ Terræ motus, qui accidit Panormi 1726.* 339
Schannat (*Jo. Frid.*) *Tr. de Clientela Fuldenſi.* 24
Schœpflini (*Jo. Dan.*) *Comm. de ſacris Galliæ Regum in Orientem expeditionibus.* 265
Stukeley (*Wilh.*) *Itinerarium Britannicum curioſum.* 103
De Sylva (*Em. Tellez March. de* Alegrete) *Collectio docum. ſtatut. & Commentariorum Academiæ R. Luſitan. hiſtoricæ Tomi V.* 1
Valerii Maximi *Libri IX Factorum dictorumque memorab. cum obſerv. Jac.* Perizonii, *ex ed. Abrah.* Torrenii. 159
Com. de Villarmajor *Collectio Documentorum, ſtatutorum & Commentationum Academiæ Regiæ Hiſtoricæ Luſitan. Tomi V.* 1

Whiſto-

Whistoni (*Guil.*) *Tract. de Legione fulminatrice.* 258

VI. Libri Miscellanei.

Anonymi *Epistola Critica, in qua Bentleji in Phædrum notæ examinantur.* 22. 434
Historia nummi Britannici. 90
Arpe (*Petri Frid.*) *Feriæ æstivales.* 262
Chishull (*Edmundi*) *Notarum ad Inscript. Sigeam appendicula.* 506
Ciceronis (*M. Tull.*) *Academica, ex recens. Jo.* Davisii. 216
Conringii (*Herm.*) *de habitus Corporum German. antiqui & novi causis liber, cum not. J. P.* Burggravii. 528
Cypriani (*Ern. Sal.*) *Institutio de jure primogenitura in illustribus familiis.* 179
Dionysii Longini *de Sublimitate Comment. ex edit. Zachariæ* Pearce. 157
Dornavii (*Casp.*) *Ulysses Scholasticus.* 285
Hare (*Franc.*) *Diss. de metris comicis.* 14
Hephæstionis *Alexandrini Enchiridion de metris & poemate ex edit. Jo. Corn. de* Pauw. 95
Heumanni (*Chr. Aug.*) *Pœcile seu Epistolæ Miscell. T. II. Lib. III.* 411
Hofmanni (*Casp.*) *Or. de barbarie imminente.* 283
Horapollinis *Hieroglyphica Gr. & Lat. ex edit. Jo. Corn. de* Pauw. 505
Hutchefon (*Franc.*) *Disquis. de origine idearum, quas de pulchritudine & virtute habemus.* 349
Jænichii (*Petri*) *Meletemata Thorunensia.* 517
A S. Josepho (*Paulini*) *Orationes.* 546
Laderchii (*Jac.*) *Diss. de abusu Criticæ hodiernæ.* 238
Liebknecht (*Jo. Ge.*) *Observat. de antiquitatibus quibusdam Solmensibus.* 373
Lipsii (*Justi*) *Orationes VIII, ex ed. Jo. Henr.* Kromayeri. 96
Lœscheri (*Val. Ern.*) *Literator Celta, ex edit. Jo. Augustini* Egenolf. 89

Longinus *vide* Dionysius.
De Lüdewig (*Jo. Petri*) *Reliquiæ MStorum omnis ævi Diplom. &c. Tom. IIX.* 181
Lyseri (*Polyc.*) *Comment. de Contrasigillis medii ævi.* 280
Maffeji (*Scip.*) *Historia Diplomatica.* 529
Maimonidis (*Mosis*) *Constitutiones de Siclis, cum notis Jo.* Esgers. 432

Michaelis (*Chr. Bened.*) *Commentatio Apologetica, qua origo linguæ Hebraæ ex Græca convellitur, &c.* 500

Digitized by Google

Miſcellanea *Berolinenſia ex ſcriptis Societatis Regiæ Scient. Berol. edita. Continuatio II.* 452
Moylii (*Gualteri*) *Opera poſthuma.* 253
Negelini (*Joach.*) *Ulyſſes literarius.* 285
Ovidii Naſ. (*Publii*) *Opera omnia, ex edit. Petri* Burmanni. 247
Phædri *Fabulæ, cum Comm. P.* Burmanni. 434
Propertii (*Sex. Aur.*) *Elegiæ, ex edit. Jani* Broukhuſii. 213
Pufendorffii (*Sam.*) *liber de officio hominis & civis, cum notis Gerſchomi* Carmichaelis. 45
Rollini (*Car.*) *Methodus docendi & diſcendi literas elegantiores.* 117
Schelhornii (*Jo.Ge.*) *Amœnitates Literariæ. Tomus VI.* 28
Schilteri (*Jo.*) *Theſaurus Antiquitatum Teutonicar. ex edit. Jo.Georgii* Scherzii, *c. Præf. Jo.* Frickii. *Tom. I.* 145
Schwarzi (*J. C.*) *Explanatio Inſcriptionis cujusdam veteris.* 332
Interpretatio nummi cujusdam veteris. 359
A Seelen (*Jo.Henr.*) *Selecta Literaria.* 412
Selecta nummaria. 416
Struvii (*Burc.Gotth.*) *Bibliotheca philoſophica, ex ed. Jo.Ge.* Lotteri. 539
Terentii (*P.*) *Comœdiæ, ex edit. Franc.* Hare. 13
cum notis Rich. Bentleji. 18
Tibullus *Corvinianus ex edit. Sam.* Kœleſerii a Keres-eer. 451
Walchii (*Jo.Georgii*) *Lexicon Philoſophicum.* 166
Wendii (*Georgi*) *Diſſertationes variæ.* 517
Wolfii (*Jo. Chriſtoph.*) *Bibliothecæ Hebraicæ Volumen III.* 490
Zincke (*Jo.Jac.*) *Quies Europæ modernæ ſeu Collectio inſtrum. pacis ſub Carolo VI. Pars I--IV.* 371

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

ABgari & *Christi Epistolæ num vera?* 261
Abrahami Wormat. *de vero usu Magiæ Tractatus MS.* 164
Abstinentia *a cibo diuturna singularis.* 272
Abyssus *in terra latens.* 314
Academia *cur Ulyssipone translata Conimbriam?* 322
- - - - *Scientiarum Parisina plagii accusatur.* 173
Academiæ *Regiæ Lusitan. histor. Acta ab A.* 1721 *ad* 1725. 1 *sq.*
Institutio. 2. 323
insignia & moneta in eam cusa. 2. 4
origo, leges & finis. 2
Accentus *an ad integritatem N. T. pertineant?* 152
Acetosæ & *Lapathi differentia.* 220
Acherontis *pulvis ab aere flammam concipiens.* 400
Acrostichis *olim denotata Autorum nomina.* 482
Actio *ex sponsu, novum nomen.* 318
Actionum *virtuosarum motivum.* 353
moralitas quomodo computanda. 354. 355
unde pendeat. 353
Acus *magnetica declinatio.* 172. 274
peculiare phænomenon. 543
Adamas *in tenebris lucens.* 134
Addison (*Josephi*) *sepultura.* 243
Adspirationem *simplicia in compositione amittunt.* 506
Advocati *requisitæ.* 123
De Advocatia *opus promissum.* 281
Ægri *ab amicis non turbandi.* 72
Ægrorum *conclave quale sit?* 71
Ægyptiorum *sapientia.* 314
Ælia Lælia Crispis, *inscriptionis, explicatio nova.* 332
Ælianus *de varia hist. & de natura animalium promissus.* 192
Aer *quomodo ab Hookio ponderatur.* 169
Aeris *historia generalis.* 133
mutatio ut fiat? 69
qualitates latentes. 133
raritas in altitudine 200 *millarium supra terram.* 76
resistentia in motu corporum quomodo examinanda. 169
salubritas & insalubritas. 134
variationis Tabulæ. 307
Ab Aere *flammam concipiens pulvis Acherontis.* 400
Ætatem *provectiorem quando habuerint Romani?* 66
Ætheris *resistentia exigua.* 76
Æthiopis *mineralis efficacia.* 404
In Affinitatis *primo gradu dispensatio a Papa negata.* 197
Agallochum *præstantissimum Bauhini.* 220
Agaricum *supra balanæ ossa natum.* 219
Agedum, age, *cum plurali construitur.* 215
Agobardus *cur scripserit contra Judæos?* 445
Agriæ *elevatio Poli.* 292 *sq.*
Agricolæ *vita a Tacito scripta commendata.* 120
De Albano (*Petrus*) *Philosophus.* 521

Alchymisticum *MS. recensitum.* 416
Aldrichii (*Henr.*) *merita in Josephum.* 391
Alexandri *M. iter Hierosol. fictum.* 257
somnium duplex explosum. 257
Alexandriæ *altitudo Poli.* 172
Alexandrinorum *Patriarch. Historia MS.* 285
Alexius *Imp. Or. defensus.* 265
Algarbiæ, *nominis, origo Arabica.* 6
Algebra *ad philosophiam moralem applicata.* 354
De Alidosii (*Prosperi*) *Ideagraphia Diss.* 518
Alphabeti *literæ respondent durationi mundi.* 414
Altaria *post victoriam disponendi ritus.* 251
Altitudines *in mari dimetiendi modus.* 172
Altranstedensia *pacta a Papa irrita reddita.* 199
Per Alvum *rejecta materia polyposa.* 402
Amavrosis *cum epilepsia hysterica.* 401
curata. 403
Amavrosi *denati anatome.* 404
Ambustio *pedis a sebo.* 402
America *num insula, an terra continens?* 5
Americanarum *gentium origines.* 314
Amici *Principum variæ conditionis.* 128
Ammani (*Casp.*) *versio Psalterii Germ. recensita.* 416
Ammonius *Grammaticus, a Duckero promissus.* 190
Amor *inimicorum cur summa virtus.* 354
sui ordinatus unde oriatur. 354
Amphionis *statua.* 105
Amphitheatrum *Flavium descriptum.* 9
Veronense pulcherrimum. 12
in Anglia detectum 106
Anasarca *post convulsiones curata.* 402
Anastasii Bibl. *nova editio.* 53
Anatomica *desiderata.* 276
Anaximander, *primus in Græcia Professor Philos.* 520
Anemoscopium *Hookianum.* 170
Anevrisma *verminosum in equa.* 402
Angeli (*Mich.*) *pictoris, invidia.* 102
Anglorum *conversio quando facta?* 115
Anguis *in nummo quid notet?* 129
Anima *brutorum, qualis?* 465
Animæ *immortalitatis defensores.* 268
Animalium *formatio ut fiat?* 315
Annulorum *usus apud antiquos.* 530
Anomaliæ *planetarum explicata.* 312
In Anserum *intestinis taniæ.* 454
Antimonii *tinctura per spiritum vini tartarisatum parari non potest.* 401
Antiocho *Syriæ Regi positum monumentum.* 507 *sq.*
Antiquariorum *Collegium Londini.* 90. 103
Antonii (*M.*) *statua.* 104
Antonii (*Nic.*) *Bibl. Hisp. recensita.* 412
nativitas & mors. 412
Antonini *Itinerarium promissum.* 191
Aphonia *ex variolis.* 401
Apinula (*Julia*) *quænam?* 99
Apollinaris, *S. Petri discipulus.* 324

Apol-

Digitized by Google

Apollinis *ſtatua coloſſiformis.* 104
Apologiæ *pro Chriſtianis recenſitæ.* 444
Appetitus *geneſis.* 349
De Aprigii *Pacenſ. Comm. in Apocal. judicium.* 262
Aqua *igne admoto ardens.* 299
per putrefactionem ſanguinea. 457
Aquæ *ad Mercurium gravitas ſpecifica.* 171
pluvialis dimetiendæ ratio. 170
minerales ut uſurpandæ? 68
Freibergenſes. 399
Aquarum *mineralium hiſtoria.* 134
præſtantia. 68
Circa Aquas *Danubii obſervationes.* 305
D. Vincentii experimenta. 70
Aquila *duplex, inſigne Magiſtratus apud Romanos.* 110
De Aquilarum *Rom. materia Diſſ.* 255
Ara *Deo primogenito & Auguſto poſita.* 114
S. Arbogaſtus *quis fuerit?* 325
Arborum *cordicem renovandi methodus nova.* 453
Archimedis *ſtatua.* 104
Argenti *in aurum converſio.* 135
Arcani *diſciplina duplex.* 261
Ardeæ *ſtellaris anatome.* 399
Arena *Danubii examinata.* 298
Aries *luxuriam denotat.* 460
Ariſtoteles *inter beatos relatus.* 520
præcurſor Chriſti in natural. 520
Ariſtotelis *nummus.* 417. 520
Philoſophiæ facies. 520
Arithmetica *Infinitorum Walliſii laudata.* 455
Armillæ *Eratoſthenis & Arabum.* 338
Arpe (*Petr. Frid.*) *ſcripta recenſita?* 263 *ſq.*
Arthurs-Oon *in Anglia quid?* 108
Arthritis *ex dyſſenteria.* 481
a lumbricorum terreſtrium uſu aucta. 403
a ſuccumbente catello mitigata. 403
Asbeſti *hiſtoria naturalis.* 407
Aſſis *triplex in coemtione uxoris.* 366
Aſthma *ex obeſitate lætale.* 401
cum hernia umbilicali. 402
curatum. 403
In Aſthmate *decocti paparum vis* 404
Aſtronomiæ *hiſtoria.* 338
ortus & progreſſus. 338
Aſtronomica *Aſcenſionum rectarum differentias obſervandi methodus perfecta.* 274
Inſtrumenta. 457
Aſtronomicæ *obſervationes in Anglia.* 337
in Hungaria. 293
De Athanaſio *judicium.* 445
Athei *num dentur?* 231
De Atheis *pſeudomartyribus Diſſ.* 277
Atheiſmus *haud tolerabilior ſuperſtitione.* 268
Atmoſphæræ *corporum conſiſtentium.* 132
Atrophia *infantum ut præſervanda & curandæ?* 525
Atterbury (*Franc.*) *laudatus.* 242
Atticiſmi *ratio qualis?* 120
Attractio *quid?* 463
Averſationis *geneſis.* 349
Auguſti *thermæ repertæ & deſtructæ* 102
De Auguſtini *ſententia de gratia liter.* 445
Aurantium *Hierichunticum.* 219
Aureos *quis primus in Anglia cuderit?* 91
Aureus *quid ſignificet?* 255
Auri *quantitas a fluvio Gambay.* 172

Auroræ *borealis non absimile phænomenon.* 272
Axiomata *cur minus pulchra.* 350

Babylonici *regni a Cyro eversi historia per confusionem linguar. in turri Babyl. designata* 93 *sq.* 503
Bojæ *elevatio Poli.* 292
Baldi (*Bernardini*) *elogium Urbinatis,* 245 *sq.*
descriptio palatii Urbinat. 246
Balnea *particularia.* 71
infantum ut paranda? 526
infantibus proficua. 526
Balnei *Romani delineatio.* 110
frigidi usus. 69. 221
abusus. 221
Barbaroſſæ (*Frid.*) *Imper. obitus.* 266
Barbayraci *& Cellieris liter.* 441
Barometri *divisiones quomodo ampliandæ.* 172
inventio Boyleo vindicatur. 169
mutationes. 314
Barometra *cum tubis inflexis inæqualis amplitudinis.* 274
in quibus usus scalæ ampliatæ commendatur. 274
De Barometris *observationes.* 307
Baronius (*Cæs.*) *refutatus.* 114
Baſſo (*Seb.*) *Physicam Aristot. impugnat.* 521
Battereau (*Renati*) *Hadrianus Legislator recusus.* 238
Bayeri *error in Uranometria.* 339
Bekkerus (*Balth.*) *refutatus.* 154
Behn (*Apharæ*) *Poetriæ obitus.* 244
Belemnitarum *generatio.* 143
Belgas *ut sibi A. 1676 conciliavit Ludovicus XIV R. G.* 478
Bellicæ *machinæ variæ in opere anaglypho repræsentatæ.* 246
artis Romanorum reliquiæ in Ungaria. 297 *sq.*
vocum Latinarum Index. 480
Belutucadrus, *Mars Scotorum.* 109
Benthemii (*Henr. Ludolphi*) *obitus.* 267
Bentleji (*Rich.*) *in Phædrum merita.* 21 *sq.*
in Publ. Syrum merita. 22
in Terentium merita. 18 *sq.*
Oratio in creatione doctorum Theol. habita. 21
Benzonis (*Fr.*) *de rebus Henrici IV liber MS.* 264
S. Bernardus, *Episc. Hildesiensis.* 325
Bernardi *R. Ital. epitaphium.* 100
Bernardi (*Eduardi*) *in Josephum merita.* 390
(*Jo.*) *Casaurienſe Chron.* 484
Biblia *dial. Saxon. scripta examinata.* 414. 415
Lutherana Sigismundo Aug. R. Pol. dedicata, suppressa. 487
Bibliorum *interpretii requisita.* 152
Bibliographia *physiologica promissa.* 264
Bibliotheca *Chr. Theoph. Ungeri ad J.C. Wolfium pervenit.* 491
Dav. Oppenheimii. 491
Fr. Leycestrii in Angl. 104
Hebraica 490
Judaica Hanoveram translata. 491
Juris imperantium. 356
Leidensis a quibus libris Hebraicis instructa? 491

Digitized by Google

Bibliotheca *Manconii in Anglia.* 105
monaſterii S. Mariæ de
Acobat a in Luſitania optima. 7
Philoſophica. 539
Vigorniæ, capellæ Henrici VII ſuperſtructa. 105
Bibliothecæ *Comitis de Vimieiro*
MSptorum index. 7
Laurentianæ Catalogus promiſſus. 188
Leidenſis Catalogus imperfectus. 491
Vaticanæ fata. 102
De Bibliotheca *Chriſti adornanda conſilium.* 415
Blanchini (*Franc.*) *explicatio LXXII Tabular. marmor. Urbinat.* &c. 246
promiſſa in ſepulchrum Liviæ. 187
In Blumii *Proceſſum Cameræ Imperial. Commentarius.* 125
Bocconius *notatur.* 220
Bochartus *notatur.* 8
Bodini (*Jo.*) *Colloquium de rerum ſublimium arcanis MS.* 164
Circa Bolemnitas *obſervata.* 143
Bonum *morale quid?* 340. 352
Borboniana *MS.* 164
Boyle (*Robert.*) *laudatus.* 130
ejus opera. 130. 131
Brachii *phlegmone ſcarificatione curata.* 405
tumor œdematoſus & ſcirrhoſus. 401
Breti (*Car.*) *Ordo perantiquus Judiciorum recuſus.* 238
Brinch (*Petri*) *examen Chronol. & Hiſt. Joſephi.* 394
Britanniæ *converſio quando facta?* 114. 115
Britones *unde dicti?* 105
Brixia *Mechanicorum ferax.* 100
Brouckhuſii (*Jani*) *Carmina virulenta in Jac. Gronovium edita.* 901
de ejus Propertio judicium. 214
Brown (*Chriſt.*) *emendatus & ſuppletus.* 397
Bruni (*Jordani*) *Metaphyſica.* 522
Brutorum *anima qualis?* 465
Budæ *elevatio Poli.* 292
Buddei (*Aug.*) *Obſervat. Anatom.* 455
Buddens (*Jo. Franc.*) *laudatur.* 447
Buonarotti *Nota in Carpegnæ Obſerv. in numismata.* 189
Burlæus (*Gualt.*) *de vita & moribus Philoſ.* 522
Burmannus (*Petrus*) *laudatus.* 248. 250. 253
Burneti (*Th.*) *error.* 464
vita. 521
Buſta *veterum Eruditorum.* 107
Butler (*Sam.*) *nativitas, mors & epitaphium.* 243

Cachexia *incurabilis.* 401
curata. 403
Ad Cachexiam *a menſium ſuppreſſione remedium.* 175
Caduceus *quid denotet?* 460
Cæſalpinus (*Andr.*) *laudatus.* 219
J. Cæſaris *nummus ſingularis.* 379
In Cæſaris *electione defectus ſupplet Pontifex.* 196
Caffeati *lactis uſus.* 404
Caffée *arbor Lipſiæ florens.* 399
potus in diarrhœa ſalutaris. 404
Cajus *&* Caja, *nomina in nuptiis frequentata.* 168
Caji *in Jure plures.* 60
Inſtitutionum autor Chriſtianus. 61
De Caji (*Titi*) *ætate Diſſ.* 59 *ſq.*
Calanmæ (*Petri*) *Philoſophia ſeniorum recenſita.* 415

Cal-

Calcaria *ſub terra reperta.* 377
Calcis *vivæ cum ſpiritu vini rectifi-catiſſimo phænomena.* 454
Calculus *veſicæ ex ſcroto extractus.* 404
moralitatis actionum. 354. 355
Calculi *renum octaedri.* 401
Calculo *medetur S. Liborius.* 324
A Calculo *veſicæ fiſtula ſcroti.* 401
Caledoniorum *converſio quando facta?* 185
Caloris *origo.* 133
Camera *obſcura portatilis.* 172
Camerarii(*Rud. Jac.*) *vita.* 406
De Camœns (*Lud.*) *Poeta Luſit. laudatus.* 6
Campana *urinatoria Halleji.* 135
Campanæ *urinatoriæ varia genera.* 309
De Camphora *disquiſitio.* 454. 522
Canonum *Collectiones recenſitæ.* 442 *ſq.*
Caput *equinum bellum denotat.* 460
ſenile imago maturi conſilii. 460
vervecinum quid notet? 460
Capitis *vulnus trepanatione curatum.* 405
Ex Capitis *vulnere mania.* 401
Cardinalium *origo.* 116
Carlina *in Haſſia inventa.* 399
De Carmelitarum *ordine deſtruendo conſilia.* 210
Caroli M. *ſtatua ut deſtructa?* 99
equeſtris poſita. 247
Homiliarium excuſſum 414
In Caroli M. *obitum rhythmi.* 484
Caroli *I. R. A. nummorum inſcriptiones.* 91
Caroli V *Imp. vitæ periculum Bononiæ.* 101
De Caroli Calvi *in Reg. Ital. electione acta.* 483
Carpegnæ *Obſerv. in Numiſm. recuſæ.* 189
Carteſii *vortices rejecti.* 465
de Magnete hypotheſis rejecta. 465
Carvilii *tumulus.* 106
Caſauboni (*Iſ.*) *Tr. de Satyr. Græc. poeſi &c. editio nova promiſſa.* 187
Caſſianus(*Jo.*)*inter Sanctos celebrit.* 325
Cataneæ *Ephemerides Liter.* 188 *ſq.*
Catulli *editio promiſſa.* 216. 452
verſus ſuppoſititius. 538
Cauſa *deſtinato conſilio in mundo agens unde arguatur.* 351
C. C. P. P. *literæ in Pharo Angl. explicatæ.* 109
Cellarii (*Chriſt.*) *Diſſ. pro Joſepho contra Harduinum.* 355
Celta *literator.* 89
Celtica *monumenta in Anglia promiſſa.* 106
Centuriarum *Magdeb. hiſtoria.* 443
defenſio. 443
Cephalalgia *æquinoctialis.* 401
quartana. 401
veſicatoriis curata. 403
Certamina *ludicra in Anglia unde?* 105
Ceſtii *pyramis cur deſtructa?* 102
Chalybis *magnetiſmus ſingularis.* 170
Charitonii *Aphrodiſii Erotica promiſſa.* 191
Charta *incombuſtibilis.* 407
Chaucer (*Galfridi*) *nativitas & mors.* 243
Cheirites *coralloides albus Americ.* 399
Chemica *deſiderata.* 276
Chenopodii *in ſcabie vis hydragoga & traumatica.* 404
Chilkias *autor Capitum Geneſ. V. ad X.* 502. Chil-

Digitized by Google

Chillingworthi (*Guil.*) *vita & scripta.* 426 *sq.*
Chinæ *corticis vis adstringens.* 404
usus in tertiana nervos distendit. 403
Chirurgica *desiderata.* 276
Chirurgicus *casus singularis.* 272
Chishull (*Edmundi*) *Antiquitat. Asiaticar. Reliquiæ promissæ.* 384
Christus *an inter sacerdotes receptus* 114
num ultimum Pascha cum Judæis celebraverit? 113
qua ratione ad stirpem Davidicam referatur? 119
Christi *Equitum ordo institutus.* 320
imago quando coli cœperit? 514
Christo *num statua posita?* 424 *sq.*
De Christi *Bibliotheca adornanda consilium.* 415
descensu ad inferos Diss. 154
quid sentiendum? 155
Genealogia Diss. 112
natali Diss. 112
passione in regno minerali repræsentata Diss. 518
De Christo *doctrina exposita.* 330
hæreses examinatæ. 153
num agat Virgilii Ecloga IV? 113
scriptores. 269
testimonium Josephi genuinum? 113
Pro Christianis *Apologiæ recensitæ.* 444
Christianæ *religionis assertorum Catalogus.* 266
probandæ argumenta. 267 *sq.*
Chrysostomi *Operum quæ tomi a Montfauconio editi?* 267
Chrystallisatio *explicata.* 135
Ciceronis *libri de officiis dicti legis Nat. Evangelium.* 48
statuæ superstes. 104
Cicutæ *noxæ per emeticum sublatæ.* 403
Cinamomi *historia.* 406
Cinaræ *species, planta Tunetana.* 219
Circinus *proportionum.* 467
Classis *Anglicæ anni* 1724. 107
Clericus *refutatus.* 229
Clemens XI *ad rescindenda aliorum pacta promptus.* 199
augendæ potestatis papalis perstudiosus. 198
favore Leopoldi Imp. in Pontificem vectus. 195
malam Leopoldo gratiam rependit. 195
statuam posuit Carolo M. 247
Clementis XI *& Petri I Russ. Imp. literarum commercium.* 195
in obtrudenda Bulla Unigenitus ardor. 197
studium in Urbinates. 245
Cleopatra *quo modo unionem dissolverit?* 517
Cocceji (*Jo.*) *in Josephum merita.* 391
De Cochlitis *observata.* 142
Codex *Justin. Lusitanice versus.* 321
Cœcitas *ex impetigine curata.* 403
De Coemtione *nuptiali varia.* 364. 369
Cognomina *qualia medio ævo?* 481
Cœrulei *Borussici descriptio.* 135
Cohæsio *unde pendeat?* 542. 543
Colica *lethalis ex hepatis abscessu rupto.* 435

Digitized by Google

Colica *mire curata.* 403
Colores *experimentis illustrati.* 133
Colorum *in vegetabilibus mutatio.* 274
Columna *Antonini striata.* 259
Cometæ *caput asperum.* 337
orbita elliptica. 73
sunt corpora mundo coæva. 466
Cometarum *calculus.* 225
motus per constructiones geometricas determinandus. 226
theoria illustrata. 225. 226
usus. 136
Comedones *non sunt animalcula.* 526
Comitis *S.R.I. dignitas num modica?* 207
origo. 278
Comitum *Lateranenſium titulus unde?* 546
Palatinorum origo & jura. 545. 546
Communio *ſub utraque cur negata Antonio Ulr. D. Brunſu.* 198
Compitum *quid veteribus?* 365
De Conchis *obſervata.* 142
Conciliorum *Collectio nova promiſſa.* 185
Collectiones recenſitæ. 442
In Concilia *num poteſtas Papæ.* 114 *ſq.*
Concordiæ *liber illuſtratus.* 423
Concubina *quænam in Jure?* 371
Condictioni *ob turpem cauſam an locus in debitis pecuniariis?* 317
Confarreationis *ratio.* 363. 367 *ſq.*
Confeſſionis *Aug. hiſtoria.* 440
In Confeſſ. *Aug. Commentarius novus.* 422
Commentatores. 422
Conimbriam *cur Ulyſſipone tranſlata Academia?* 322
Connubium *quid?* 370
Conringii (*H.*) *& Warmuthi liter.* 437
Conſenſus *ſimpliciter ad nuptias ſufficit.* 318
Conſtantinus M. *non baptizatus Romæ a Sylveſtro.* 114
an ordinem equeſtrem inſtituerit? 538
Conſtantini M. *donatio fictitia.* 114
ſtatua. 242
Conſtitutiones *Apoſtol. cur ſuppoſititiæ?* 113
Contingentium *præſcientia cur poſſibilis.* 232
Contraſigillum *quid & quotuplex?* 280 *ſq.*
De Contraſigillis *medii ævi Diſſ.* 280
Contrayervæ *novæ Mexicanæ radix.* 399
Controverſiarum *illuſtrium Theatrum.* 476 *ſq.*
Conventionis *in manum ratio apud veteres.* 368
uſus apud eoſdem. 369
De Cornu *Ammonis obſervata.* 136
Cornua *Ammonis bodienum in Tellure generantur.* 140 *ſeqq.*
Corpus *num cogitare poſſit?* 229
perfecte elaſticum definitur. 541
Corporis *eſſentia in quo conſiſtat?* 462
fluidi & ſolidi definitio. 542
Cortex *arborum quando renovandus?* 453
Corticis *Chinæ vis adſtringens.* 404
Corticem *arborum renovandi methodus nova.* 453
Coſtarum *caries.* 401. 402

Digitized by Google

Cotesii *Harmonia mensurarum laudata.* 456
Cragii (*Nic.*) *leges Lacedæmon.* 237
Cranium *humanum crusta lapidea circumdatum.* 219
Cranii *sinuum fabrica.* 453
Creationis *explicatio Whistoniana commendata.* 134
finis ultimus. 462
modus definiri nequit. 462
Creatura *quando virtute Deo æqualis.* 355
Creidii (*Hartmanni*) *elogium.* 283
Crinis *structura.* 170
Crinones *non sunt animalcula.* 526
Criticæ *hodiernæ abusus.* 238 *sq.*
veræ commendatio. 239
usus vindicatus. 441
Criticorum *temeritas castigata.* 448
De Crocodilo *terrestri observata.* 506
Cromerus (*Mart.*) *Episc. Varmiensis.* 488
Cromwellii (*Oliv.*) *nummus rarus* 192
De Cruciatis *expeditionibus Diss.* 265
Cruris *tumor monstrosus.* 401.
Della Crusca *vide* Furfurati.
Crystallus *quid?* 301
ejus genesis. 301
Islandica in amethystum mutata. 399
Cuculus *a rubecula enutritus.* 399
Cujacii *Opera promissa.* 191
Cuperus (*Gisb.*) *refutatus.* 255
Cuprum *e vitriolo totam trahit substantiam.* 301
In Cuprum *ut mutetur ferrum.* 301
an revera mutetur ferrum. 302
Cynthia *Propertiana fuit nupta.* 214
Cyrillus, *Patriarcha Antioch.* 324
Cyrilli *Hieros. catecheses.* 439
De Daniele *Propheta in Acts Sanct. Diss.* 323
Danorum *in Scotia reliquiæ.* 109
Danubius *illustratus.* 289 *sq.* 295 *sq.*
Danubii *aqua examinata.* 305 *sq.*
fontes veri. 304
velocitas examinata. 297. 305
Daubuz (*Car.*) *de testimonio Josephi de Christo libri II.* 393
Declinationes *acus magneticæ observatæ.* 274
Declinationum *differentias observandi methodus perfecta.* 274
Decretales *Epistolæ quando publicatæ?* 116
Decuriones *unde dicti?* 57
Detlefi (*Jo.*) *Chron. Dithmarf. MS. recensitum.* 415
E Detmari *Chronico MS. Lubec. excerpta.* 413
Deus *est mens, in qua omnia existunt.* 381
ignotus Act. XVII an sit unus & verus? 418
Dei *attributa ex notione cogitationis illata.* 231
existentia probata. 313. 343 *sq.* 381
nomen Hebr. ejus naturam exprimit. 344
providentia probata. 313. 345
De Dei *existentia & virtutibus quæstiones.* 227 *sq.*
Deo *primogenito ara posita ab Augusto.* 114
Deorum *gentilium nomina non decent Poema christianum.* 121
Diætæ *Lacteæ præstantia.* 69
Diætæticæ *regulæ.* 175
Dianæ *statua.* 105
Diabete *spuria in variolis curata.* 403
Diarrhœa *critica.* 403

Digitized by Google

In Diarrhœa *Coffæ potus salutaris.* 404
Dicendi *genus triplex.* 122
Dies *Ægyptiaci olim quales?* 484
infausti per annum quinam? 485
Diffarreatio *quid?* 368
Digitus *cancrosus resectus.* 405
Diluviana *hypothesis de lapidibus figuratis impugnata.* 138
Diluvium, *imago regni Judaici sub Josia.* 94
per revelationem constat. 313
Diluvii *judicia.* 103
Diluvio *tellus non soluta.* 314
De Diluvio *sententia Hardtiana explosa.* 503
In Diluvio *ut dura corpora dissoluta fuerint, salvis tenerioribus?* 314
Diodorus *Siculus promissus.* 287
Diœcesanum *jus quibus competat?* 396
Diploma *Galbæ Imp. describitur.* 533
rem duplicatam innuit. 532
Diplomata *a quibus scriptoribus integra fuerint conservata?* 535
quibus rebus inscripta fuerint? 531
quid apud Romanos denotarint? 532
Diplomatum *antiquitas.* 530
Critica promissa. 535
vox Græcis incognita. 532
Disciplina *arcani duplex.* 261
De Disciplinæ *Eccl. modernæ cum veteri consensu Diss.* 9
Dispositiones *morales ad virtutem.* 354
Dissidentium *in Polonia libertatis fundamentum.* 487
Dominæ *appellatio unde orta?* 57
Dominus, Domina, *nomina propria.* 419
Domum *qui non habebant, num ducere uxorem potuerint?* 364
Donationes *inter virum & uxorem num valeant?* 65
Dorsi *sarcoma.* 401
ulcus. 401
Dorvillius (*Jac. Phil.*) 449
Draco *cur in nummis Elisabethæ Anglicis?* 91
Dreux (*H.*) *autor Indicis Ovidiani.* 250
Dryden (*Jo.*) *Epitaphium.* 243
Dubitationis *Cartesianæ termini.* 228
Ducere *domum quid sit veteribus?* 364
Ductus *thoracicus ut facile inveniendus?* 400
Ad Dysenteriam *pillulæ.* 404
Ex Dysenteria *arthritis.* 401
Dysuria *ex tumore prostatarum.* 402

EBrietas *ut præcavenda & arcenda?* 175
Ecclesia *inscriptione Æl. Læl. Crispis designata.* 333
Eclectica *methodus philosophandi laudata.* 461
Eclipsium *calculus illustratus.* 226. 227
novus atque facilis. 227
observandarum methodus 227
projectio stereographica polaris & æquatorea. 177
projectiones novæ. 177
stereographicæ quibus defectibus laborent? 177
repræsentatio & projectio absque calculo. 226

Digitized by Google

Eclipticæ *obliquitas.* 172
Edicti *perpetui fragmenta.* 238
Eduardi VI *R. Angl. nummorum inscriptiones.* 91
Educationis *bona commoda.* 118
Effluviorum *natura & effectus.* 132
Egenolf (*Jo. Augustinus*). 89
Elaitarum *generatio.* 143
Elasticitas *a causis mechanicis.* 463
Electio *quænam maxime virtuosa.* 354
Electricitas *variorum corporum* 274
Electricitatis *productio.* 132
Elementa *corporum quæ?* 463
Eleni (*Hier.*) *Observ. ad Jus Civ.* 59
De Elia *Proph. in Actis Sanct. Diss.* 323
Elisabetha *Reg. Angl. notata.* 242
Elisabethæ, *Reg. Pol. Stemma genealogicum.* 518
Elongationes *satellitum Jovis & Saturni.* 75
Eloquentiæ *corruptio apud Athen. & Rom. unde?* 123
forensis præcepta. 123
Ecclesiasticæ requisita. 123 *sq.*
Elpisticorum *secta quænam?* 521
Elswichius *de fortuna Aristotelis in schotis Protestantium.* 522
Emersio *tertii satellitis Jovis observata.* 178
Martis e disci lunaris parte obscura. 178
Empyematici *anatome.* 404
Enema *per os rejectum.* 44
Engelbertus *de statu defunctorum.* 84
Epidemica *Historia Hungariæ.* 406
Epilepsia *hysterica cum amaurosi* 401
In Epilepsia *infantum essentia dulcis efficacia.* 404
Anti-Epileptica *lupinæ carnis vis.* 404
Epimenia *quale festum?* 510
De Episcopali *jure sententia.* 261
Episcopii (*Sim.*) *Institutiones Theol.* 151
Epitaphia *Philosophorum.* 522
Eques *Imperii cognatam ducere potest sine dispensatione.* 318
Equitum *Christi ordo institut.* 320
Erasini (*Des.*) *vita.* 34
testamentum. 36
Ericus (*Jo. Petr.*) *linguas omnes e Græca deduxit.* 501
Eruca *canalicola.* 454
Ex Eryspelate *scirrhus.* 401
Essentiæ *dulcis efficacia in epilepsia infantum.* 404
Evangelii *vox ridicule detorta.* 415
Evaporatio *frigore facta.* 135
Eventuum *necessitas hypothetica a Theologis asserta.* 230
necessitatem hypotheticam qui negent? 230
Eusebii *Cæsar. Capita IV priora Demonstr. Evang. publicata.* 266
De Eustathio *Alex. Politi promissa?* 187. 188
In Eustathium *Salvini notæ promissæ.* 188
Eutropius *promissus.* 190
Existentia *Dei cur demonstranda?* 228
De Expectantiarum *iniquitate & recto usu Diss.* 316
De Expeditionibus *sacris Diss.* 265
Experimentandi *regulæ generales.* 169
Experimentum *singulare.* 171
Experimenta *varia.* 170

FAbii *M. Cunctatoris statua.* 104
Fabri (*Petri*) *Galli duo ut distinguendi?* 217

Fabricii (*Jo. Alb.*) *Appendix ad Josephi opera.* 393
nummus. 417
Ad Fabulæ *constitutionem requisita.* 14
Falco (*Nic. Carminius*) *laudatus.* 483
Farfense *Chronicon.* 483
Farfensis *monasterii opulentia.* 484
Fascinatio. 401
Fatum *Stoicum cur ex essentiis necessariis minime sequatur.* 231
Fata *majora & minora &c.* 251
Febris *epidemica Lipsiensis A.* 1720. 401
furda. 401
Ex Febre *quartana furditas.* 401
In Febre *maligna urina frigida.* 401
Febrium *transformatio.* 402
Feindii (*Bartholdi*) *Hist. Philos. Compendium.* 522
Felicitatis *veræ natura.* 341
A Felis *morsu icterus.* 401
Fellis *folliculus magnus.* 402
folliculi calculus magnus. 402
Ferandi *Adduensis Explicat. Libri II* 58
De Ferrariensi *Chronico judicium.* 209
Ferrum *in cuprum an revera mutetur?* 302
Feudum *quot modis amittatur?* 27 *sq.*
Feuda *Fuldensia natura sua masculina.* 25
ut facta fœminina? 26
investiendi modus. 28
Fibulæ *Romanæ.* 110
Figurarum *pulchritudo.* 350
Finales *rerum naturalium causæ.* 133
Finis *philosophandi.* 462
Firmitatis *origo.* 132
Fischerus (*Jo.*) *S. Jut vero nomine dictus?* 451
Fixarum *altitudines merid. in Hungaria observatæ.* 290
Fixitatis *explicatio.* 135
Flammæ *ponderabilitas experimentis comprobata.* 133
Flamsteedii (*Jo.*) *nativitas, officium & obitus.* 557
Flores *ut conservandi?* 155
Florus *emendatus.* 109
Fluiditatis *origo.* 132
Flumina *trajiciendi modi varii & machinæ.* 399
Fœderum *Collectio nova.* 372 *sq.*
Fœminæ *olim in Polonia curin bona nobilium non successerint?* 487
Fœrsteri (*Val. Guil.*) *Observat. Succif. Libri II.* 59
Interpres. 59
Fœtum *inter & matrem* communicatio *sanguinis.* 399
Foliorum *pedicuti.* 454
Fons *mirabilis Neapolitanus.* 359
Fontaninus (*Justus*) *laudatus.* 212 *sq.*
Fontanini (*Justi*) *Tr. de S. Columba.* 189
Tr. de Eloqu. Ital. recusus, autore invito. 189
Fontis *flammam concientis descriptio.* 299 *sq.*
Fontium *origo unde?* 465
Formarum *origo.* 132
Fornarii (*Rud.*) *rerum quotid. Libri VI.* 58
Fornerii (*Guil.*) *libri tres Selectionum.* 55
Fornicatoris *magni exemplum.* 273
Franci *cur Europæi omnes dicti in Oriente?* 265
Franciscus *de monacho ad exemplum Christi crucifixo.* 84
de vita Sanctimonialium. 84)

Digitized by Google

Franckii (*Bern.*) *Diss. de Notkero.* 148
Freindii *Emmenologia & Prælect. Chymicæ laudatæ.* 135
Frickii (*Jo.*) *in Thesaurum Schilter. merita.* 146
Fristionis *usus Medicus.* 71
Frigus *an a vento?* 308
Frigoris *origo.* 133
Frigore *congelata felis sub fimeto revivisc ent.* 403
Fronti *insti jambi, supplicii genus.* 515
Fructus *ut conservandi?* 135
Fuldensis *diœcesis descriptio.* 396
hierarchiæ descriptio. 397
Abbatis privilegia. 397
De Fuldensi *clientela Tract.* 24. 30
Fuldensia *feuda qualia?* 25. 26
Fuldensium *Annal. Supplementum.* 483
Fungus *typhoides Liburrensis.* 220
non habet fibras. 220
quernus monstrosus. 399
Furfuratorum *Lexicon denuo promissum.* 188

GAlbæ *Imperatoris Diploma describitur.* 533
Gale (*Roger.*) *laudatus.* 107
Galei (*Theoph.*) *Philosophia generalis.* 522
Galilæi *vita.* 521
S. Galli *Abbatis pacificatio a Clemente IX annullata.* 200
De Galliardi *laudatus.* 374
Gallica *lingua ut addiscenda?* 119
Gallicæ *Ecclesiæ libertatis defensores.* 443
Gallinacei *pedes quid in gemma notent?* 460
Gallonius (*Ant.*) *est Cæsar Baronius.* 328
Gassendi (*Petri*) *Opera promissa.* 188
Gaudentius (*Pagan.*) *de Philosophiæ apud Rom. initio & progressu.* 522
Gautierii *Bibliotheca Philos.* 522
Gemellarum *una nigra, altera alba.* 399
Gemmæ *explicationes duæ contrariæ.* 459
Gemmarum *origo & virtus.* 133. 134
Ad Generationem *non concurrunt seminis masculi vermiculi.* 315
Genevenses *an in lacum Genev. jus habeant?* 99
Gentilotti *ab Engelsbrunn* (*Jo. Ben.*) *Supplementa ad Lambecii Bibl. Vind. promissa.* 288
Gentilium *num speranda salus?* 269
Genuam *cur oppugnaverit Ludovicus XIV?* 479
Geometriæ *practicæ theorema.* 455
Ex Geranii *semine hygroscopium.* 454
Gerdesii (*Dan.*) *merita in Theologiam.* 287
Gerenrodensis *cœnobii fundator.* 279
Germani *cur a pristino robore defecerint?* 526
Germanici *statua.* 104
Geronis *historia.* 277
Geta *Britannicus illustratus.* 255
Gingivarum *ulcus ex hæmorrhoidibus consolidatis.* 402
Glaciei *ad aquam gravitas specifica.* 170
in vacuo solutio. 135
Gladiolus *sub terra repertus.* 377
Glandularum *salivalium accurata descriptio.* 271
Glaitmanni (*Gottfr.*) *vita.* 418
Gnomonica *praxis explicata.* 470
Gnosticorum *errores unde derivandi?* 261) Godi

Godi (*Ant.*) *Chronica edita.* 208
Godwini (*Th.*) *Moſes & Aaron commendatus.* 81
Gog & Magog *quid?* 417
Goldaſtus (*Melch.*) *notatus.* 278
Gorallius *caſtigatus.* 215
Gordonii (*Franc. Marſii*) *Prætermiſſa Juris Civ.* 59
Gothicæ *linguæ origo eadem quæ Teutonicæ.* 146
Gouland (*Rich.*) *obitus.* 244
Græcæ *linguæ utilitas & neceſſitas.* 120
pronuntiatio. 120
diſcendæ methodus. 120
Gramen *abſciſſum vegetans.* 399
in pulmonibus ovium inventum. 169
Graminum *catalogus.* 220
Grammatici *Græci a Gallis promiſſi.* 190
Grammii (*Jo.*) *in Joſephum merita.* 387
Grandinis *figuræ ſingulares.* 170
Grapti *quinam dicti?* 515
Gravida *venæ ſectionem, purgationem, acidulas ſine noxa ferens.* 403
Gravidæ *terroris vis in fœtum.* 401
Gravidarum *mortuarum fœtus exſcindendi.* 404
Gravitas *ſpecifica variorum corporum.* 170
unde pendeat? 541
univerſalis pro lege naturæ habenda. 463
Gravitatis *ratio num Deo tribuenda?* 134
Gravium, *quæ cadunt in aere, reſiſtentia, novis experimentis inveſtigata.* 74
cadentium celeritas quanta. 135
Gregorii (*Davidis*) *Aſtronomia commendata.* 311
De Groſſis *Pragenſ. Diſſ.* 518
Grotii (*Hug.*) *Cynegeticon promiſſum.* 190
nummus. 417
vita & ſcripta. 357
vitæ pars edita. 91
De Grotii (*Hug.*) *Jure N. & G. judicia.* 352
Gryphes *plurium gentium ſymbolum.* 279
Guineenſes *quis primus in Anglia cuderit?* 92
Guſtavus Adolphus *R. Succ. Gymnaſii Patav. olim alumnus.* 51
quænam Patavii patraverit? 51 *ſq.*
Guſtus *in literis definitio.* 118
Gymnaſii *Patavini Hiſtoria.* 49 *ſq.*

De HAbitus *corporum German. cauſis Diſſ.* 526
Hadriani *Imp. forma Chriſto ſimilis.* 425
nummi. 425
ſtatua in Anglia. 110
Panegyr. 425
Ad Hadriani VI *Papæ vitam Analecta.* 191
Hæmoptoe *anniverſaria.* 401
Ad Hæmorrhagias *pillulæ.* 176
Hæmorrhoides *menſtruæ in puero.* 402
per emeticæ curata. 403
Ex Hæmorrhoidibus *conſolidatis ulcus gingivarum.* 462
Halcyonis *hiſtoria.* 454
March. de Halifax (*Caroli, Com. de Montagne*) *obitus.* 243
Hamiltoni *liber MS. in ſententias Horatii.* 164
Von der Hardt (*Herm.*) *refutatus.* 500
ejus ſententiæ paradoxæ. 501
character. 504

Hare

Hare (*Franc.*) *in Terentium merita.* 15 *sq.*
Harmonia *mensurarum Rog. Cotesii laudata.* 456
præstabilita qua difficultate laboret. 229
Harmoniæ *idea.* 350
Hatroth, *civitatis nomen, unde?* 537
Havelberg. *Episcoporum Catalogus mutilus.* 183
In Haymii (*N. F.*) *Thesaurum Britann. observationes.* 255
Hebræus *textus an ad versionem V. T. Germanicam necessarius?* 437
Hebraicæ *Reipubl. antiquitates.* 81 *sq.*
linguæ origo e Græca. 93
impugnata. 500 *sq.* 503 *sq.*
Hechtii (*Godofr.*) *de Ducatu Geronis dissertationes edendæ.* 280
Hectica *ex ulcere renum.* 402
Hectici *anatome.* 404
Heineccius (*Jo. Gottlieb*) *refutatus.* 363 *sq.*
Heinecken (*Chr. Henr.*) *pueri præcocis Lubec. elogium.* 415
Heinsii (*Dan.*) *Peplum Philos. Græcæ.* 522
Hemicrania *cortice Chinæ curata.* 403
Henricus V *R. Angl. & Hæres Franciæ dictus in nummis.* 91
Henrici II *R. Gall. iconis inscriptio Metis.* 98
Ab Hepatis *abscessu rupto Colica lethalis.* 453
Heraldi (*Desid.*) *de rerum judicat. autoritate Libri II.* 59
Observat. ac Emendat. liber. 59
Herba *miraculosa num statuæ Christi accreverit?* 425
Hercules *Gaditanus.* 102
Herculis *hydram necantis statua.* 105
statua. 104
Hermapollinis *statua.* 104
Hernia *umbilicalis connata.* 404
Herfanii, *Galli, Rhetorica commendata.* 124
Hesychius *illustratus.* 495. 500
Hevelii (*Jo.*) *nummus.* 417
Heusingerus (*Jo. Mich.*) *laudatus.* 375
Heyden-Köpfe, *nummorum veterum genus.* 377
Hiberniæ *Dominus quis primus in nummis?* 91
Hibernorum *Apostolus & conversio.* 115
Hieroglyphica *in lapide.* 144
Horapollinis quænam? 505
Hierophantes *promissus.* 263
Hippolithus. 399
Hispanorum *conversio.* 116
Historia *Eccl. N. T. nova.* 261
Cœlestis Britannica. 337
Historiæ *sacræ carmine propositæ num constituant justum poema?* 147
Historiæ *scribendæ & legendæ methodus.* 185
literariæ classes tres. 438
Eccl. N. T. intervalla tria. 444
In Historiam *Eccles. Isagoge.* 435
Historici *Lusitanici supposititii.* 3
Historicorum *notitia ut comparanda.* 437 *sq.*
Hobbesii (*Th.*) *vita, scripta, adversarii.* 357
Homeri *Ilias in membrana.* 100
lectio commendata. 121
Homo *cur exstiterit?* 406
naturaliter determinatus ad

Digitized by Google

ad promovendum bonum alio-rum. 353
Hominis *contingens existentia probata.* 228
Honestas *actionum non ex utilitate metienda.* 353
Horneck (*Antonii*) *obitus.* 243
Horologii *oscillatorii inventor.* 173
observationes marinæ. 169
Horologiorum *sciatericorum constructio.* 470
Hosii (*Stanislai*) *diploma indigenatus Polon.* 488
Houttevillius *laudatus.* 367
Hudibras, *poematis, argumentum.* 243
Hudsonus (*Jo.*) *laudatus.* 388
Humanæ *naturæ destinatio & indoles.* 406
Hungariæ *antiquitates.* 207 *sq.*
descriptio topographica. 290
hydrographica. 295
mineralogia. 298 *sq.*
Hydrophobia *tardius enata.* 401
Hydropici *anatome.* 404
Hydrops *abstinentia a potu curatus.* 402
imminens præservatus. 403
pulmonum. 402
sanatus. 404
Hydropis *pectoris dubia diagnosis.* 402
pericardii dubia diagnosis. 402
Ad Hydropem *ulmi corticis vis.* 404
Hydrostatica *ad materiam medicam applicata.* 133
paradoxa. 133
Hygroscopium *ex geranii semine.* 454
flaticum. 133
Hymnus *trisagius.* 54
Hyperius *an Reformatus?* 436
Ex Hypochondriaca *Colica inguinis inflammatio verminosa.* 403
Hypotheses *in philosophia nat. non tollere debent argumentum inductionis.* 75
Hyssopus *e maceria crescens.* 398
Hysterici *affectus urinæ potu curati.* 403

S. Jacobi *Apost. in Hispaniam adventus defensus.* 6
Jacobi I *R. Angl. nummorum inscriptiones.* 91
Jacobi II *R. Angl. nummi æneipro argenteis obtrusi.* 92
Ideæ *arbitrariæ rejectæ.* 231
possibilium Deo essentiales. 231
Idearum *origo unde?* 230
De Jemsilla (*Nic.*) *autor Historiæ de Friderico II Imp.* 209
Ignearum *particularum potentia.* 463
Ignes *subterranei quales?* 465
Ilbachius (*Odoacer*) *explosus.* 327 *sq.*
Imagines *Judæis exosæ.* 425
Imaginum *sacrarum antiquitas.* 513 *seq.*
Imaginibus *elogia inscribendi mos.* 513
Immolare *quid sit?* 363
Imperatoris *majestaticum munus ejusque jura & officia describuntur.* 544-545
De Imperio *Rom. Diss. nova.* 254
Impossibile *quotupliciter spectu quidam dicatur?* 233
Indices *Juris celebriores junctim editi.* 360
Inductiones *hypothesibus præferendæ.* 75
Infantes *nutriendi modus.* 175
Infinitudo *sphæræ fixarum.* 272

Infu-

Influxus *physicus animæ in corpus & vicissim negatur.* 229
De Ingenio *philosophico Diss.* 521
Inguinis *inflammatio verminosa unde?* 403
Inheida *ubi olim sita?* 376
De Innocentio XIII *Pont. Oratio.* 4
Inscriptio *Æl. Læl. Crispi explicata.* 332
antiqua ridicula. 102
Inscriptionis *Martyribus qui fecerint?* 315
Insectorum *Germaniæ index.* 454
Institutionum *Caji autor Christianus.* 61
Instrumenta *Astronomica descripta.* 214. 457
Geometrica. 468
Instrumentorum *publicorum & privatorum antiquitas.* 530
Intellectus *divini objecta.* 231
Intervallum *quid?* 217
Intestinum *colon ex vulnere per 14 annos propendens.* 273
Intestini *Ilei appendix cæca præternaturalis.* 399
Intestina *a lumbricis perforata.* 402
Inventa *astronomica Anglis vindicata.* 172
De Inventis *nostri sæculi Diss.* 517
Johannis III *R. Pol. in Leopoldum Imp. odii causa.* 479
Johannes VIII *pro Papa fœmina habitus.* 413
Johannes Bapt. *an vere locustas comederit?* 154
Johnson (*Guil.*) *mors & epitaphium.* 244
Ionicæ *Philosophiæ historia.* 520
Josephus, *alias Barsabas, Sanctus.* 323
Josephi *codex in physica annorum 1000.* 100
De Josepho, *historico, judicium.* 394 *sq.*
A S. Josepho (*Paulini*) *Orationes.* 546
Jovis *Diameter, densitas, & elongatio satellitum.* 75
statuæ. 104
Iris, *signum fœderis.* 314
Irneriana *schola.* 236
Ischuria *lethalis ex tumore prostatarum.* 402
falsa periodica. 401
ex ulcere renum. 402
Israelitarum *per Jordanum transitus explicatio nova.* 502
Isterus *a morsu felis.* 401
Itaque, *particula, pro* & ita *illustrata.* 418
Itargus *fluvius.* 459
Ittigii (*Th.*) *Prolegomena ad Josephum.* 393
Judæi *confutati.* 331
cur Sec. XIII studia revocaverint? 445
Judæorum *apud Rom. potestas in mancipia Christiana.* 4
artes & scientiæ explicatæ. 53
De Judicio *particulari sententia Sherlockii refutata.* 287
Juramentum *impositum quo casu post mortem pro præstito habendum?* 317
purgatorium quando non adhibendum? 317
suppletorium quando exigendum? 316
Juramenta *Pontifex irrita reddit.* 199
De Jurejurando *Christianorum varia.* 156
Juris *Cimbrici historia.* 264
definitio & divisio. 356

Digitized by Google

Juris *Eccleſ. hiſtoria.* 439
Gentium ſcriptores. 358
Græci conjunctio cum Juſtiniano neceſſaria. 236
Indices junctim editi. 363
Naturæ Scriptores. 358
Syſtema novum. 383
Papiniani fragmenta. 237
Principum particularis Scriptores. 358/ſq.
Publici univ. ſcriptores. 357
Rom. Germ. hiſtoria. 234/ſq.
Rom. Juſtinianei hiſtoria. 237
De Jurisdictione *Conductoris prædii ſingularia.* 317
Cum Jurisprudentia *quæ ſcientiæ jungendæ.* 235
Juſtini *locus emendatus.* 419

KAlendaria *duo vetuſta edita.* 484
Keronis *translatio teutonica regulæ S. Benedicti.* 149
Kirchii (*Chriſtfried*) *Obſervat. Aſtronomicæ.* 455
Knipe (*Thomæ*) *obitus.* 243
Knottus (*Ed.*) *vero nomine Matthias Wilponus.* 431/ſq.
Kochii (*Conr. Dict.*) *nummus Ariſtotelis illuſtratus.* 520
Kœcherus (*Jo. Chriſtoph.*) 87
Korneri (*Henr.*) *Chronicon MS.* 413
Krantzius (*Gottlob*) *laudatus.* 148
Kromayerus (*Jo. Henr.*) 96

LAbii *ſuperioris glandulæ.* 400. 405
Labiorum *coalitus ex variolis.* 401
Lac *puerperarum ut abſumendum?* 175
Lacrymæ *ſanguineæ.* 401
Lactex *diætæ præſtantia.* 69
Lactis *uſus in podagra.* 404
Lacus *quid notet?* 99
Lambecii (*P.*) *Biblioth. Vindob. denuo promiſſa.* 288
De Lancea *Chriſti in Oriente reperta ſententia.* 266
De Langharum *feudis controverſia.* 477
Languidi *motus effectus.* 132
Lanlii (*Thomæ*) *elogium.* 283
Lapathi *& acetoſæ differentia.* 220
Lapis *Philoſ. ex inſcriptione indicatus.* 517
De Lapide *Philoſ. Diſſ.* 521
ſpeculari obſervationes. 136
Lapidum *figurat. generatio.* 136
origo an a diluvio? 138
De Lapidibus *curioſi Diſſ.* 517
figuratis & literatis Diſſ. 518
Lares *matrimonio collocati.* 364
De Larray (*Iſ.*) *vita & ſcripta.* 439. 490
Larva *ſcenica quid denotet?* 400
Laryngis *facies interior & ventriculi.* 400. 405
Latinæ *linguæ diſcendæ methodus.* 120
Latitudo *variorum locorum in Hungaria.* 292
Launojus *de varia fortuna Ariſt.* 522
Laurea *quid denotet?* 466
Lauretum, *veterum Picenorum Capra Montana.* 101
De Lechi II *D. Pol. fato finali Diſſ.* 518
Leges *motus a quibusnam traditæ.* 135
Leges *explicatæ & illuſtratæ: L. 27 §. 9 D. ad L. Aquil.* 56

Leges

Leges 118 §. 1. D. de verb. obl. 33 D. de aur. & arg. leg. 58 D. de leg. 1. 52 §. 10 D. de Obl. & act. 2 C. de manum. in Eccles. 56
1 C. de servit. 57
239 §. 5 de V. S. 57
13 C. de judiciis 59
31 D. de jurejur. 65
1 C. de reb. cred. & jurej. 65
9 §. 1 D. de Condict. ob turp. 317
43 §. 1 D. de Leg. 1. 365
17 D. Comm. præd. 365
195 D. de V. S. 370
13 §. 1 D. ad L. Jul. de adulter. 370. 371
31 D. de donat. 371
5 D. de Concub. 371
144 D. de V. S. 371
Legio fulminatrix vindicata. 114. 259 sq.
impugnata. 258. 262
Legum Atticarum notitia. 237
XII Tabull. ordo. 238
Leibnitius (G. G.) a Spinosismo absolutus. 229
Leodiensis Academia sedi Rom. immediate subjecta. 195
Lepra curata. 402
De Lescil D. Pol. fato finali Diss. 518
Lex simpliciter quid? 58
Lexicon Philosoph. novum. 166
German. quis primus dederit? 521
Libella hydrostatica descripta. 133
Libertas Dei intuitu rerum creatarum qualis? 233
indifferentiæ definitur. 233
spontaneitatis definitur. 233
S. Liborii reliquiæ. 324
Libræ Parisinæ ad Londinensem ratio. 274
Libri Pontificalis editio nova. 52
Libros bonos a malis discernendi criteria. 436
Limborchius (Phil.) refutatus. 232
In Limborchii (Phil.) Theologiam Christian. Spicilegium. 151 sq.
Lindorachus, Philosophus fictus. 521
Lineæ meridianæ inventio. 171
Linguæ septentrion. examinatæ. 89
glandulæ. 400
humanæ glandulæ. 405
Sub-Lingualium glandularum ductus. 472
Linguarum confusio in turre Babyl. quid denotet? 93
Lipsii (Justi) fata in Academia Jenensi. 96
Lisboa, vocis, origo Arabica. 4
Lituaniæ Ducatus res gestæ. 486 sq.
Liviæ statua colossiformis. 105
sepulchrum ineditum. 187
Livius a Drakenborchio promissus. 190
Locustas veras an comederit Johannes Baptista? 154
In Longinum de Sublim. commentariolus. 159
Longitudo maris per horologium oscillatorium determinata. 169
Longitudinis maris inveniendæ methodus. 135
Lotichii (Petri) somnium quale? 419 sq.
De Loubere (Simon) laudatus. 147
De Lubecæ nomine conjectura. 413
Lucernæ sepulchrales amianthum non receperunt. 407
Lucis in opacum & contra conversio. 136
Lucretiæ statua. 104
De Ludewig (Jo. Petri) promissa. 183. 184
Ludovicus VII R. Gall. an in mari captus? 266

Ludovicus *Bavarus non per literas adulteratas legati Woldemari, sed per ipsum Electorem electus.* 459
Ludovici IV *Imp. nummus illustratus.* 184
XII *R. Gall. nummus illustratus.* 184
Luis *veneream antiquitas probata.* 272.273
vindicata. 274
Ad Luitprandi *Historiam variæ lect.* 485
Lumbricorum *humanorum anatome.* 457
Luna *an incolatur?* 466
Lunæ *motus vertiginis inventor.* 76
quantitas. ib.
Lupinæ *carnis vis anti-epileptica.* 404
Lusatia *in provinciæ formam redacta.* 279
Lusatiæ *historia promissa.* 277
insignia an vetusta? 279
Lusaticæ *origines.* 277
Lusitaniæ *historici laudati.* 201
Regum elogia. 319 *sq.*
scriptorum penuria. 200
Lusitanicæ *Academiæ Reg. Hist. vid.* Academia.
leges a quo conditæ? 322
Lusitanici *historici supposititii.* 3
scuti & insignium origo. 320
Lutherus (*Mart.*) *an verus autor libri de nomin. propriis Germ.* 90
ejus Epistola ad Meiningenses. 282
ante Lutheri simum, libri qui autor? 419
Biblia dedicavit Sigism. Augusto R. Pol. 487

MAbillonius (*Jo.*) *de monast. studiorum ratione.* 85
Maceria *quid fuerit?* 365
Machiavellistæ *recensiti.* 357
Machina *asportatoria.* 172
Machinæ *Arithmeticæ.* 467
Maculæ *Solares sunt nubes solares.* 464
Maffæi (*Scipio*) *laudatus.* 100. 529
ejus Historia artis diplom. 335
promissa. 535. 536
scripta recensita. 537. 538
De Magistri *Phil. origine &c. Diss.* 521
Magneticæ *acus declinationes observatæ.* 274
Magnetis *explicatio Cartesiana improbata.* 465
Magnetismi *productio.* 132
Maittaire (*Mich.*) *Annales Typogr. suppleti.* 415
Ex Malabaria *num venerint Reges Bethlehemum profecti?* 5
Malaspina (*Saba*) *Historicus.* 269. 310
Malderi (*Jo.*) *Anti-Synodicorum notitia.* 416
Malespini (*Ricordani*) *Hist. Florent.* 210
Malum *quotuplex?* 153
a Deo permissum intuitu operis redemtionis. 232
num bonitati Dei detrahat? 153
morale quid? 340
Mali *moralis definitio.* 352
Mancipatio *uxoris.* 369
In Manum *convenire quid?* 366
Mania *gelido balneo curata.* 403
ex capitis vulnere. 401
Manumissiones *Christianorum in Ecclesiis unde ortæ?* 56
De Marchia *Orient. duplici observatio.* 279
Marchiones *an plures instituti ab Henr. Auc.* 278
C. Marii *statua.* 104) Marii

Digitized by Google

Maris *fundus quomodo explorandus.* 171
Mars *dictus Deus sanctus.* 109
Scotorum ut dictus? 109
Com. Martilii (*Aloysii Ferd.*) *Observ. cælestes.* 290
Martyres *in amphitheatro Flavii peremti.* 13
Martyrologium *Eccl. Græcæ.* 511
Martyrologii *Philos. specimen.* 521
Martyrum *memoria.* 54
notitia promissa. 516
Massoni (*Jo.*) *vita Ovidii.* 250
Diss. de nummo Veidii Pollionis. 250
Materfamil. *est suæ potestatis.* 366
Materia *subtilis experimentis probata.* 136
In Materia *Medica desiderata.* 276
Materiæ *existentia negata.* 380 *sq.*
Materialissimus *crassus & subtilis periculosus.* 231
Mathesis *animum ad spiritualia non admittit.* 86
Matrimonium *quidnam?* 370
Ad Matrimonium *obligatio Jure Nat.* 47 *sq.*
Matrisfamilias & Matronæ *denominatio ut differat?* 366
De Mauritii (*Ger.*) *vita Eccelini de Romano judicium.* 208
Maxillæ *dolor periodicus curatus* 403
Maximiliani I *Imp. Diploma.* 415
May (*Thomæ*) *obitus.* 244
Meadius (*Rich.*) *refutatus.* 129 *sq.*
Mechanica *quid?* 135
Mechanissimus *sapientiæ divinæ index.* 352
Medica *desiderata.* 275
Medicamentorum *purgantium operationes discussæ.* 273
Medici *Rom. an fuerint servi?* 127
Medici *Græci Romæ civitate donati.* 127
In Medicina *forensi desiderata.* 276
Medicorum *docta ignorantia.* 276
Medicus *Malabaricus.* 406
De Mediolano *opusculum.* 484
Meisterlein (*Sig.*) *Hist. Norib. edita.* 181
notata. 181
Melancholia *hypochondriaca paralysi indicata.* 403
Membrana *tympani foramine pervia.* 464
Memmingensis *Reform. historia.* 282
Memoria *hominis stupidi excellens.* 105
stupenda C. F. Menestrierii. 490
Mendii *Tr. de venenis laudatus.* 135
Menses *nimii ut curati?* 403
Menstruus *fluxus in vetula.* 399
Mensura *universalis.* 173
Mentis & *corporis conjunctio in quo consistat?* 229
Erga Mentem *suam officium hominis.* 47
Mercator *theoriam librationis lunaris ex literis Newtoni exposuit.* 76
Mercerii (*Jo.*) *Opinionum Libri II.* 59
Mercurii *Solem transeuntis observatio.* 293 *sq.*
Meridiana *linea, an quovis tempore duci possit?* 471
Merilli *Synopticæ Tabulæ Institutionum promissæ.* 190
Merlini *versus editi.* 211
Mesenterii *abscessu denatorum Anatome.* 404
Metalla *an transmutari possint?* 302
Metallica *germinatio.* 171
Metallorum *generatio.* 303
Metasyncrisis *quid?* 67

Digitized by Google

Metasyncriticus *cyclus*. 67
Metensium *Annalium Codex antiquiss*. 98
Meteorum *igneum*. 398
ignitum terræ motus comes. 40
Methodus *discendi & docendi literas elegantiores*. 117
Methodi *fluxionum antiquitas probata*. 74.75
Newvtonianæ. 75
De Metris *comicis Diss*. 15
Mevius *notatus*. 316
Mi *Græcum cur pro* Ni *ponatur*? 510
Michelli *nova genera Plantarum*. 188
Micrometri *Lahiriani constructio accurata*. 227
Microscopium *reflectens*. 171.172
Mictus *cruentus curatus*. 403
octo dierum. 401
magicus. 401
Miracula *cur possibilia*. 233.234
Mittnerus (*Matthias*) *de indivisibili & unice uno puncto instituti Cartesiani*. 85
Mixti *magnitudo minor quam miscibilium*. 171
Molæ *falsæ usus quando cæperit*? 363
Monachomachi *recensiti*. 357
Monachis *num studia conveniant*? 436
De Monacis (*Laur*.) *Ezerinus III*. 209
Monastica *vita cum Cruce Christi comparata*. 86
Monasticorum *ordinum historia*. 116
Monetæ *tonsura severe in Anglia prohibita*. 91
De Monetis *Papalibus Tr. novus*. 189
Monophysita *quis*? 285
Montis *Pessulani encomium*. 70
Morborum *chronicorum origo*. 68
cura. 68.69
Morellii (*Guil*.) *Comp. Hist. Philes*. 522
Mors *repentina ex sanguine in thoracem effuso*. 401
Mortoni (*Rich*.) *Opera denuo promissa*. 384
Morus (*Henricus*) *refutatus*. 153
Mori (*Th*.) *biographi*. 31
supplicii causa. 33
vita. 31 *seq*.
Moses *num autor librorum suorum*? 93 *seq*.
Genes. autor assertus. 503
Motus *corporis utilitas*. 69
terraqui in Anglia indicium. 103
musculorum optime explicatus. 136
vertiginis Linnæ. 76
Motuum *ferosorum alternationes*. 402
Moylii (*Gualteri*) *obitus*. 254
Mulleri (*Jo*.) *Chron. Norib. inditum*. 181
Mumia *Persica*. 406
Mundus *non æternus*. 462
Mundi *duratio respondet literis alphabeti*. 414
optimi electio defensa. 232
Muscarum *pediculi seu culices*. 399
Musgravius *notatus*. 106
Mutinæ *descriptio*. 484
Mutus *periodice loquens*. 170

NAamanni (*Ludolph*.) *MSpta recensita*. 415
Nævi *materni hæreditarii*. 402
Narcisso-*Levcoji radicis vis emetica*. 404
Nasonum *sepulchrum cur destructum*? 102

Naturæ

Naturæ *notio explicata.* 133
Navium *Anglic. numerus A.* 1724. 107
usus medicus. 69
Neapolis *encomium.* 70
Negativæ *probatio num in foro imponi possit?* 317 *sq.*
Nephritici *anatome.* 404
Nepotismus *veterum reliquiis noxius.* 101
Nerii (*Jos.*) *Analector. Libri II.* 58
Newton (*Is.*) *laudatus.* 73
Newtoni (*Is.*) *patria.* 105
principiorum editio præstantissima. 73. 76
præceptor. 104
tract. de quadratura curvarum. 456
Nicænum *Concil. an a Papa convocatum?* 114
ejus Canones tantum XX. 114
Nicolaitæ *non fuere hæretici.* 419
Nicolaus de Argentina *de discretione.* 84
Nigellus (*Ermoldus*) *cur exilio multatus?* 482
Nigelli (*Ermoldi*) *Paneg. Ludovici Pii.* 481
Nimrodus *idem cum Semiramide.* 502
Noctiluca *aerea & glacialis.* 134
Nodorum *motus determinandi modus.* 76
Noldii (*Chr.*) *Historia Idumæa.* 395
Nomen *libris per acrosticha inferendi mos veterum.* 209
Benedictini in scriptis suis reticere solent. 210
Notkeri Labeonis *Psalterium Dav. recusum.* 147
cognomen unde? 147
Novi Test. *versiones variæ.* 152
Nuces *e fonte quot annis propullulantes.* 106
Nummaria *selecta.* 416
Nummus *Britannicus vetustissimus.* 106
Severi fundatoris Pacis in Scotia. 110
Ludovici IV Imp. & Ludov. XIII Gall. R. illustratus. 184
M. Antonini Aug. descriptus 259
J. Cæsaris singularis. 379
Bretislai Bob. D. illustratus 517
vultum Aristotelis repræsentans. 520
Nummi *cudendi jus privatis in Anglia indultum.* 92
in Bibliotheca Advocator. Edimburg. 110
in Wetteravia effossi. 377
veteres Gothici seu German. 378
ad Josephum illustrandum pertinentes. 395
eruditorum varii. 417
Lubecenses. 417
Husso & Luthero consecrati. 417
Nummis *conservata religio.* 417
De Nummis *Anglicis Tractatus.* 90
Nuntio *Pontif. an Archiep. Gnesnensi primæ salutationis honor debeatur?* 197
Nuptiæ *tantum quidnam?* 370
In Nuptiis *an domum deductio necessaria?* 363
Nutricum *bonarum requisita.* 175

OBelisci *Romæ & Londini sub terram reconditi.* 101
Danorum in Scotia. 110
Ex Obesitate *asthma lethale.* 401
Obliquitas *ecliptiæ quanta sit.* 172
Obotritarum *Reges.* 459

Digitized by Google

Observatio *altitudinum merid. Solis & fixarum.* 178.290
emersionis tertii Satellitis Jovis. 178
Martis e disco Lun. 178
Mercurii in Sole. 293
Observationes *altitudinum poli in variis locis Hungariæ.* 292
astronomicæ. 178
barometricæ & thermometricæ. 307
Parhelii singularis. 37
Satellitum Jovis. 293
Observatoriæ *Astron. quomodo adornanda?* 457
Octaviani *posteri an imperaverint?* 257
Odorum *productio mechanica.* 133
Olei *terebinthinæ gravitas.* 171
Olivarum *olei vis anodyna.* 404
Operum *naturæ pulchritudo.* 350
Ophir *Salomonis cum Ophura Lusitanica comparata.* 3
Ophthalmia *per urinæ fotum curata.* 403
contagiosa. 403
cum carie orbitæ. 454
De Oraculis *Sibyllinis Diss.* 113 *sq.*
Orationis *Dominicæ usus.* 156
Oratoris *cautelæ.* 123
sacri scientia qualis esse debeat? 124
Orchestra *quid?* 11
Orlandi *Orbis Sacer & Profanus promissus.* 188
Orvietani *præparatio.* 171
D' Orville (*Jac. Phil.*) *in Josephum merita.* 387
Osorius (*Eman.*) *laudatus.* 201
Ossium *observationes singulares.* 273
Osteocolla *figurata?* 399
Otfridi *Evangelia recusa.* 146
Ottii (*J. B.*) *in Josephum notæ.* 395
specimen Lexici Flaviani. 395
Ottonis (*Everh.*) *Jurisprudentia Symbolica promissa.* 190
Ovarium *steatomatoso-pilosum mulieris.* 453
Ovaria *animalium viviparorum defensa.* 178
Ovidius *Lib. IV Fastor. v. 760.* 58
ejus Metamorph. Belgica promissa. 191
Commentatores. 249 *sq.*
In Ovis *gallinaceis natura lusus.* 399
Outram (*Wilh.*) *obitus.* 243

Pacis *species octo.* 87
Pactorum *dotalium natura.* 318
Pædarthrocace *pro laxatione habita.* 202
Paleæ *in Gratiani Decretal. olim nullius valoris.* 212
Palingenesia *rosarum ex acetoroseo.* 399
Palladis *colossiformis statua.* 104
Palpebræ *superioris paralysis ex morbillis.* 403
Pancirollus (*Guido*) *notatus.* 60
De Paneadensi *monumento Diss.* 424 *sq.*
Panormi, *urbis Siciliæ, descriptio.* 39 *sq.*
Panormitani *terræ motus historia.* 39 *sq.*
Panthei *Rom. æra dissipata.* 101
Papyri *usus.* 534
Paracelsi (*Theoph.*) *Magiæ libri IX MS.* 164
Paradisi *descriptio.* 421
Paralaxis *fixarum Cassiniana impugnata.* 270
Solis quanta. 274
Parhelii *singularis observatio.* 37
sine circulo horiz. coronis & arcubus. 39
Paridis *statua.* 104
Parkerus *refutatus.* 113

Digitized by Google

Parmensis *Nummophylacii Volumina XVI promissa.* 101
Ex Parotide *pus per urinam excretum.* 401
Partium *solidorum motus intestinus.* 132
Partus *vesicularis.* 402
Pascha *cur differre Judæi cœperint in diem proximum?* 113
De Paschate *celebrando liter.* 54
Pastorum *secta Lubecæ A. 1251.* 413
Patavini *Gymnasii Historia.* 49 *sq.*
Pathologica *desiderata.* 276
Pauli *Apostoli philosophia.* 521
De Patricio, *Apostolo Hiberniæ, fabulæ explosæ.* 115
Patrum *eruditio qualis?* 440
Philosophia qualis? 440
Pax, *vox, designat Trinitatem.* 85
hominis ad hominem quotuplex? 86
Westphal. bello deterior. 199
Pedum *scirrhus.* 401
œdema a polypo venæ cavæ. 402
Pellex *quid notet in jure?* 371
Penis *scirrhus.* 401
Pennæ *anserinæ duplex caulis.* 399
Perioistei *observationes microscopicæ.* 273
Pescennini Nigri *nummus Parmæ spurius.* 101
Pestis *remedia.* 271
In Peste *quænam vitanda.* 271
Petiti (*P.*) *Leges Atticæ.* 237
Petrefacta *in Ungaria.* 300
Petroselini *vis ad phthiriasin.* 404
Petrus I, *R. Port. an* Crudelis *dicendus?* 6
Petri I *Russor. Czari cum Clemente XI commercium.* 195
Petri *& Pauli corpora e catacumbis eruta.* 54
Petri ab Hartensels (*Ge. Christoph.*) *memoria.* 406
Phædrus *emendatus.* 449
Phænomenon *luminosum auroræ boreali simile.* 272
Phænomenorum *naturalium in voluntatem Numinis resolutio improbata.* 134
Philelphi (*Franc.*) *statua.* 101
Philips (*Jo.*) *Poetæ Angli, nativitas & mors.* 243
De Philopatridos *vera ætate Diss.* 255
sententia Dodwelli. 256
Philosophandi *methodus eclectica laudata.* 461
finis. 462
Philosophia *experimentalis ad religionem ducens.* 133
mechanica commendata. 132
Philosophiæ *mechanicæ notio.* 135
In Philosophia *ut progrediendum, regulæ.* 438
Philosophorum *epitaphia.* 522
Ex Philtro *noxæ prostratæ.* 403
Phocæ *anatome.* 399
Phosphori *conficiendi modus.* 171
explicatio. 136
naturales. 134
Phthisis *post hæmoptysin ut præcaveatur?* 175
acidulis curata. 403
Physica *cur Patribus displicuerit?* 440
Physiologica *desiderata.* 276
Piasecius (*Paul.*) *Episc. Premisliensis.* 488
Pictores *Belgici cur naturam non sequantur?* 98
Pictorum *conversio quando facta?* 115
origo. 115
Pindari *statua.* 104

Planetarum *densitates.* 75
Plantarum *horti Pisani catalogus.* 218
pollen. 453
Plato *Philos. an beatus?* 520
ejus Philosophia descripta. 520
S. Platonis, *Ancyrani, sepulchrum miserorum perfugium.* 326
Plautus *a Fr. Hare promissus.* 18
Podagræ *præservatio.* 70
Poema *an constituant Historiæ Sacræ carmine propositæ?* 147
Pœnæ *spirituales quatuor.* 86
Poeseos *discendæ methodus.* 121
origo. 121
Poetæ *cautæ legendi in scholis.* 121
Poiretus (*Petr.*) *notatus.* 232
refutatus. 231
Poli *altitudo Alexandriæ.* 172
in variis locis Hungariæ. 292
Politi (*Alex.*) *promissa de Eustathio.* 187. 188
De Polline *plantarum Diss.* 453
Polonia *Germaniæ tributaria.* 279
Poloniæ *res gestæ.* 486 *sq.*
Polygamia *Jure Nat. repugnat.* 48
Polyposa *materia per alvum rejecta.* 402
Polypus *pendulus cum urina excretus.* 401
vasis in vena cava. 402
Ex Polypo *cordis cachexia.* 401
Polyporum *narium rara species curata.* 405
Ponderum *Parisiensium & Londin. proportio.* 274
Pons penfilis. 310
Pontificale *Theatrum.* 309
Pontificii *refutati.* 831
Pontificis *potestas temporalis.* 116
Pontis *Trajani in Hungaria reliquiæ.* 298
Pontium *genera & structura.* 309. 310
De Popielii *D. Pol. fato finali Diss.* 518
Porositatis *demonstratio.* 135
Possibilium *cognitio in Deo unde oriatur?* 231
Potentia *Dei quotuplex.* 233
Potamonis *Philos. ætas.* 522
Potus *frigidus an calidus conducat?* 175
frigidi & calidi usus & abusus. 221
calidus frigido præferendus. 222
Præcipitationis *explicatio.* 135
Præcordialis *humor internus.* 401
Præfecti *arcendis latronibus.* 99
Præscientia *Dei ex scientia divina altitudine non repetenda.* 232
futurorum contingentium qualis sit? 152
Praxis *Medica nova.* 125
Pressio *aquæ a gravi in ea descendente.* 169
Preces *ad Deum num sint frustraneæ?* 345 *sq.*
Pricæus *defensus.* 499
Prideaux (*Humphr.*) *obitus.* 258
cum Moylio disceptatio. 256
Primariarum *precum jus.* 105
Primogenitorum *jura in familiis defensa.* 179
Principiorum *chymicorum producibilitas.* 134
Prioris (*Matth.*) *promissa & mors.* 243
Problema *ad Quadraturam curvarum spectans.* 456
Progressus *in infinitum Wolfii & Leibnitii falso imputatus.* 230
Projectio *Eclipsium sol. & lun. stereographica æquatorea.* 177
polaris quod habeat incommodum? 177

Digitized by Google

Propertius *Corvinianus promiſſus.* 452
Ptolemæi, *Aſtronomi, error.* 338
Pufendorfius(*Sam.*)*emendatus.* 46 *ſq.*
ejus vita, ſcripta & adverſarii. 357. 522
Pulchritudo *comparativa qualis?* 351
moralis qualis ſit? 354
Pulchritudinis *diviſio.* 350
idea. 350
phantaſtica exempla. 351
ſubjecta. 350
Pulmo *fœtus natans vel ſubmerſus incertum præbet ſignum.* 405
Pulvis *Acherontis ab aere flammam concipit.* 400
fuſorius. 400
Purgatorium *ubi?* 116
De Purgatorio *varia.* 86
Putredinis *expers manus in ſepulchro.* 399
Pyreriæ (*Nonni Alphareſii*)*vita.* 200 *ſq.*
Pyrrho *hiſtoricus promiſſus.* 164

Quadratura *Curvarum Newtoniana.* 456
Qualitates *corporum aliæ præter manifeſtas.* 463
Qualitatum *origo.* 132
Quartana *febris per purgantia curata.* 403
Quercus, *in quæ ſe condidit Carolus II R. Angl. inſcriptio.* 104. 105
De Quintiis (*Camillus Eucher.*) *laudatur.* 383
Quintilianus *in præceptis nimius.* 122
Theologis commendatur. 437
Quintiliani *editio Rollini.* 124

Racinii *ſermones commendati.* 123
Raparum *decocti vis in aſthmate* 404
Ratio *quid ſit?* 341
Refractio *in glacie & cryſtallo.* 169
Refractionis *in diverſis mediis diverſitas.* 169
ſtellarum variatio. 271
Regaliæ *jus a Papa impugnatum.* 195
Regularitas *Syſtematis an arguat cauſam ſapientem?* 351
De Regulio (*Jo.*) *argum. abſurdum de S. Cœna ſub utraque.* 446
Relandi (*Hadr.*) *in Joſephum merita.* 391
Religio *quid ſit?* 341
naturalis an detur? 342
delineata. 339
quid ſit? 342
unde manet? 353
Religionis *Chriſtianæ aſſertorum Catalogus.* 266
defenſio contra Judæos, Socin. & Pontific. 328 *ſq.*
divinitas. 329
harmonia cum doctrina V. T. 329. 330
præſtantia. 329
probandæ argumenta. 267 *ſq.*
Remediorum *ſimplicium collectio* 134
Res *in mundo quomodo a Deo ordinata?* 233
rationis ſphæram tranſcendentes? 133
Reſiſtentia *gravium experimentis comprobata.* 74
in fluido unde oriatur. 73 74
medii in ſphæra Jovis. 76
Reſtitutoris *nomen in nummis Hadriani Imp.* 425
Reſurrectio *mortuorum a difficultatibus liberata.* 133

Rhachitici *cum alba offium carie anatome.* 404
Rhachitis *per balnea ut curanda?* 527
Rhea *cum Acad. Luſit. Hiſt. comparata.* 7
Rhetores *Latini promiſſi.* 287
Rhetoricæ *ſtudium quibus abſolvatur?* 12
De Rhythmicis *verſibus antiquorum* 536
Ricciardi *Com. S. Boniface. vita.* 208 *ſq.*
Riccii (*Chriſtoph.*) *Vindic. Juris Præmiſſa.* 59
Rite-Lehen *quid?* 27
Rolandius *de factis in Marchia Tarviſina libri.* 209
Romanorum *arma ad Albim perlata.* 459
Roſarum *palingeneſia ex aceto roſaceo.* 399
Reg. 399
Roſtgardi (*Fred.*) *in Joſephum merita.* 387
Rudbecki (*Olai*) *Apologia Atlanticæ MS.* 164
Rufinus *de bono pacis.* 84
Ruptura *internorum arnica curata.* 403
Ruſſiæ *Literatæ ſtatus.* 406
Rutilius (*B.*) *notatus.* 60

SAcelli *Rom. reliquiæ in Scotia.* 108
Sagittæ *ſub terra repertæ.* 377
Sal *alcali ex ligno putrido extractum* 274
Salia *alcalia intrare ſalia acida probatur.* 543
Salium *eſſentialium eductio.* 454
De Salibus *alcalinis fixis Diſquiſ.* 522
Saladinus, *heros maximus.* 266
Ex Salamandræ *pilis non oritur amianthus.* 407
Salivales *ductus novi.* 400. 472
Sallierii *in Joſephum merita.* 388
Salſodo *maris.* 334
Salvinii *obſervat. in Euſtathium præmiſſæ.* 188
De Salutatione *veſpertina ad accenſa lumina Diſſ.* 519
Samaritanorum *ſchiſma.* 82
De Sanctâ Maria (*Honoratus*) *refutatus.* 441
Sanctius II *R. Port. cur* C ucllus *dictus?* 320
Sanderſon (*Guil.*) *obitus.* 243
Sanguinis *hiſtoria.* 134
circulatio veteribus cognita. 399
De Sanguine *Diſſertatio.* 319
In Sanguine *an vita conſiſtat?* 314
Sanitas *ut conſervanda?* 223
Sannazarii *Carmina cum novis notis* 191
Sapientia *Dei in locandis planetis circa Solem.* 136
Numinis unde in natura rerum elucescat? 352
quomodo probetur? 352
Sapientiæ *notio.* 352
Saponis *efficacia in partu difficili.* 404
Saporum *productio mechanica.* 133
Satellitum *Jovis elongationes.* 75
obſervationes in Hungaria. 293
& Saturni elongationes. 75
motus vertiginis aſſertus. 75
Saturni *diameter, denſitas.* 75
Saturnium *metrum unde ſic dictum?* 536
Savelli (*Chryſoſt.*) *deſcriptio Philoſophiæ Platonicæ.* 520
Saxanus, *Herculis epitheton.* 68
Saxonum *in Anglia converſio quando facta?* 115
Scabies *manuum menſium probatus.* 402
In Scabie *clenopodii vis hydragoga & traumatica.* 404 Scala-

Digitized by Google

Scaligeri (*Jul. Cæs.*) *Epistolæ.* 233
Scenæ *usus.* 10
ab Orchestræ diversitas. 10
Scepperi (*Corn. Duplicii*) *Epistolæ MS.* 264
Schadii (*Jo. Casp.*) *nummus.* 417
Schadwœili (*Wilb.*) *obitus.* 242
Scharffius (*Gottfr. Balth.*) *laudat.* 494
Scherzii (*Jo. Ge.*) *de Thesauro Schilteriano merita.* 146 *sq.*
Schilling *moneta ubi primum cusa?* 518
a quo nomen? 518
Schilteri (*Jo.*) *obitus.* 146
Schmidii (*Jo. Phil.*) *in Otfridum merita.* 147
Scholarum *corruptionis causæ.* 284
Scholasticæ *Theologiæ ratio.* 439
De Scholasticorum *Titulis honorariis Diss.* 520
Schott (*J. C.*) *notatur.* 460
Schuppii (*J. B.*) *vita elogium.* 283
Schüze-Lehn *quid?* 27
Sciateriorum *umbra retrograda.* 171
Scientia *media impugnata.* 232
De Scientiarum *cognatione Or.* 519
Scipionum *Asr. & Asiat. statuæ.* 104
Scotorum *Academiæ an verum sectentur?* 45
conversio quando facta? 115
origo. 115
Scotus Erigena (*Jo.*) 521
Scribentes *minuto charactere vix altos gerunt spiritus.* 518
Scripturæ S. *Commentatores.* 447
Scripturæ S. *loca explicata:*
Genes. I, 314
III, 16. 414
IV, 7. 180
23, 24. 419
X, 25. 503
X, 1--9. 93. 501. 504
XXII, 53. 415
XXX, 14. 414
Genes. XXXII, 25. 502
XXXIV, 25. 415
XLI, 45. 519
Exod. XXXII, 15. 533
Levit. II, 21, 22. 154
XVI, 29. 414
Num. XXXII, 34. 537
Deut. XXXII, 39. 495
Jos. XV, 15. 530
Esthera II, 18. 510
Psal. I, 2. 416
II, 7. 416
XVI, 10. 155
CXXI, 4. 495
Jes. VII, 14. 495
Jer. XII, 6. 414
XV, 10. 414
XXXII, 10. 11. 530
Ezech. XXXVIII. 415
1 Maccab. XII, 43. 510
Matth. IV, 11. 498
V, 33. 156
IX, 5. 496
XI, 21. 519
XVI, 22. 496
Marc. IV, 40. 498
Luc. I, 78. 497
II, 32. 496
III, 18. 496. 497
IV, 16, 17. 497
Joh. X, 8. 418
XI, 35. 418
Act. II, 3. 418
27. 155
XIII, 40. 497
XVII, 23. 418
28. 345
Rom. IX, 15. 419
1 Petr. II, 13. 496
III, 10. 155
Hebr. XII, 27. 498
Judæ 12. 496
Apoc. V, 1. 533
De Scripturæ S. *veritate Scriptores.* 268.

Digitized by Google

Scroti *fistula a calculo vesicæ.* 401
scirrhus. 401
Sediliorum *ratio in amphitheatris.* 11
Seldeni (*Jo.*) *vita &c.* 357
Seminis *humani vermes non sunt principia generationis.* 175
Semiotica *desiderata.* 276
Semiramis *eadem cum Nimrodo.* 502
totam nationem designat 502
Sensationum *definitio.* 349
Sensibilium *rerum realitas ut demonstranda?* 389 *sq.*
Sensus *internus pulchritudinis assertus.* 350) *vindicatus.* 352
moralis assertus. 353
vindicatus. 355
universalitas asserta. 355
utilitas. 355
omnes ad tactum referendi. 469
Sepulchrum *Nasonum cur destructum?* 102
Serpens *diadematicus.* 389
De Serpente *paradisiaco quæstiones.* 418
Serveti (*Mich.*) *libri recensiti.* 413
sententia de Spiritu S. 413
supplicium. 413
Serum *lacteum.* 399
Severus (*Septim.*) *& Livia in lapide.* 111
Severi *Fundatoris pacis in Scotia, nummus.* 119
vallum non in Scotia, sed in Anglia. 109
Sherlockius (*Guil.*) *refutatus.* 287
Sibbaldus (*Rob.*) *notatus.* 109
Sibrandæ (*Jo.*) *in Josephum merita.* 393
De Sibyllinis *oraculis Diss.* 113 *sq.*
Sigeum, *oppidum ignobile.* 506
Sigismundi *Aug. R. Pol. in Lutheranos affectus.* 487
Simonis (*Jo. Christoph.*) *in Thesaurum Schilter. merita.* 146
Magi fata. 114
Sirii *diameter Cassiniana rejecta.* 271
stellæ magnitudo. 271
Smeregi (*Nic.*) *Chronica.* 268
Sociniani *refutati.* 331
Sol *fixarum una.* 272
Solis *altitudines mered. observatæ.* 178. 193
eclipsis d. 10 Maj. 1724. 167
maculæ sunt nubes. 464
parallaxis quanta? 274
S. Solanus (*Franc.*) *Americæ Apostolus.* 326
Solmenses *antiquitates.* 373 *sq.*
Solutio *salium explicata.* 135
Soni *augendi in theatro olim ratio.* 11
velocitas quanta? 135
Sophocles *in bombyce.* 100
Σωτὴρ *cur Christus toties appellatus a Paulo?* 510
Soteris *appellatio explicata.* 510
Spanhemii (*Ez.*) *in Josephum merita.* 392
Spatium *non est attributum causæ primæ.* 462
Specifica *remedia philosophiæ corpusculari consona.* 134
Spenceri (*Edm.*) *nativitas & mors.* 241
Speneri (*Phil. Jac.*) *Epistolæ.* 285
Sperlingii (*Ott.*) *Comm. MS. de antiquit. Stadæ.* 415
Sphæræ *fixarum infinitudo asserta.* 272
Sphærica *Astronomiæ pars illustrata.* 224. 225
Spinæ *dorsi abscessus.* 464
Spiritus *S. divinitas asserta.* 310
vini Gallici probatio falsa 454) Spi-

Digitized by Google

Spiritus *vini gravitas.* 171
urinosus causticus. 454
In Spiritum *S. peccatum quid & quotuplex?* 156
De Spiritu *S. hæreses examinatæ.* 153
Spirituum *existentia probata.* 340
Spizelii (*Theoph.*) *elogia quædam.* 283
Sponius (*Car.*) *notatus.* 99
refutatus. 128
Spotswood (*Jo.*) *abitus.* 243
Sprat (*Th.*) *patris & filii, obitus.* 243
Stapylton (*Rob.*) *obitus.* 243
Statua *Caroli M. ut destructa Genevæ?* 99
Francisci Philelfi. 101
C. Corn. Taciti. 101
num Christo posita? 424 *sq.*
Statuæ *Caroli M. & Constantini M.* 247
cur Gadibus ab Anglis destructæ? 102
dirui jussæ sæpe servatæ & restauratæ. 255
Liviæ colossiformis, Dianæ &c. 105
Mercurialis Phanodici inscriptio explicata. 506
num positæ in Pritanæo. 506
plures a plebe Protestantium cur destructæ? 90
veteres in horto Pomfretano in Anglia conspicuæ. 104
Stellarum *fixarum magnitudo.* 271
marinarum lapidearum generatio. 142
Sternutatio *continua in febre tertiana lethalis.* 401
Stilus *Romanus.* 110
Stoici *fictitii.* 520
Stuhl-Lehn *quid?* 27
Substantia *materialis negata.* 380 *sq.*
Substantiarum *ideæ quales sint.* 349
Sudorii (*Nic.*) *Disputatt. civiles.* 59
Suffitus *in amphitheatris.* 43
Surditas *ex febre quartana.* 401
a verrucis aurium, in ovo. 402
Sylvius (*Em. Tellez*) *laudatus.* 201
Symboli *Apostolici fines.* 439
origo. 440
Symbolorum *sacrorum recensio.* 440
Syncope *convulsiva pro ecstasi habit.* 402
Systemata *Theologiæ quando condi cœperint?* 439

TAbellionesqui *fuerint?* 532
Tabulæ *fixarum Bayeri quo defectu laborent?* 339
Taciti *vita Agricolæ laudata.* 120
Tæniæ *in anserum intestinis.* 454
Talci *& amianthi differentia.* 407
Thales *primus Græciæ Philosophus.* 520
Tartari *num facti Christiani?* 266
Tauri *signi ænei usus apud veteres.* 376
Taurobolium *explicatum.* 99
Tekelii *character.* 478
Tellus *per diluvium non fuit dissolutum.* 314
Telluris *anathema.* 344
figura qualis. 76
historia naturalis. 312
De Templorum *Christian. orig. Epist.* 256
Terentius *numeris suis restitutus.* 14
emendatus. 16 *sq.*
Terra *Sinica bezoardica.* 406
Terræ *altitudo ad æquatorem et polos.* 76
motus diuturnus. 169
Panormitani historia. 39
phænomena singularia. 169
In Tertiana *continua nervorum distensio ex cort. Chinæ usu.* 403
De Testibus *doctrina e solo judicii arbitrio pendet.* 318
De Teutonica *lingua veteri bene meriti.* 145
Theatra *celebriora Romæ.* 11. 13
Theatri *ornatus apud veteres.* 10. 11
Rom. origo & successus. 11
dedicationes. 11
origo, materia, tectorium et usus 10
machinæ, orchestra, consecratio. 11
Theologia *moralis perfecta.* 155 *sq.*
Theologiæ *descriptio.* 420

Digitized by Google

Theologiæ *moralis scriptores.* 268
historia. 434
mysticæ historia. 442
polemicæ & exegetic. hist. 435
Pontificiæ Systema. 420
thetic. symb. patrist. hist. 434
Ad Theologiam *Isagoge Historico-Theolog.* 433 *sq.*
Theophrasti, *Aristotelici, vita.* 521
Characteres examinati. 522
Theorematum *pulchritudo in quo consistat.* 350. 351
Theosophia *quid?* 436
Therapeutæ *Philonis an Christiani?* 113
quinam? 520
Thermæ *Augusti repertæ et destruct.* 102
Buxtoniæ in Anglia. 104
scoriarum. 399
Thermarum *Bathensium natura & usus.* 68) (70
Bristolensium natura et usus
color unde? 465
De Thermometris *Observat.* 307
Thomasii (*Christ.*) *vita &c.* 357
(*Jac.*) *de Scholasticorum titulis honoris Diss.* 520
Thoracis *hydrope mortui anatome.* 404
Thorunensium *turbæ nuperæ.* 487
De Thorunensibus *curiosis Diss.* 517
Thucydides *a Duckero promissus.* 190
Tibisci *velocitas.* 305
Tibullus *promissus.* 216
emendatus. 451
ejus versus mordo turbatus. 451
Tomasinus (*Phil. Jac.*) *notatus.* 50
Torneamenta *quando & unde in Anglia orta?* 106
Trajectoriæ *reciprocæ algebraicæ quomodo determinandæ.* 408
Transsubstantiatio *refutata.* 156
Trigoni *versatiles.* 11
Trithemii *clavis rerum abstruf. MS.* 264
Circa Trochitas *observationes.* 143
Tropæa *Drusi & Roman. ad Albim.* 464
Tumuli *Romani in Scotia ut ab aliis distinguantur?* 111
Turfum *Batavum.* 309
Turnebus (*Adr.*) *testis veritatis.* 414
De Turrecremata (*Jo.*) *obitus.* 212
Tussis *epidemica puerilis.* 402
Per Tussim *massa carnosa rejecta.* 402
Tympani *membrana perforata.* 464
Tympanitici *anatome.* 404
Tympanitis *venæ sectione curata.* 403
Twisse (*Wilh.*) *obitus.* 244
Typographiæ *historia.* 132
veteris Hebraicæ specimen 402

Vacuum *disseminatum assertum.* 273
Vadiani (*Joach.*) *libri inediti laudati.* 279
Valesiorum (*Henr. & Hadr.*) *Epistolæ.* 183
Valla *Scotiæ explicata.* 109
illustriora Britannica promissa. 111
Vallæ (*Godofr.*) *liber de arte nihil credendi MS.* 164
Variolarum *insitio Londinensis.* 403
malignarum cura. 404
Variolis *psychrolusia funesta.* 403
In Variolis *deformitatis præcautio dubia.* 403
Vasallorum *Fuldensium Catalogus.* 30
officium. 29
Veneni *usus ut in Gallia detectus.* 478
Ventriculi *calculi.* 401
Verba *propagandi modus.* 170
Veritas *ut obtineri queat?* 342
Vermes *humani a putredine orti.* 173
in stomacho reperti. 170
Vermium *human. cura.* 174
noxæ. 173
usus. 173
Versio *qualis esse debeat?* 119. 120
E Vertebrarum *carie motus abolitus.* 401
Vertigo *tubarum sonitu curata.* 402 *sq.*
De Vertot *queritur de mala fide typographi & Diarii Trevolt.* 287
Vesica *urinaria per membranam divisa.* 398
Vesicatoriorum *usus & abusus.* 176

Digitized by Google

Veſpaſiani *Imp. miracula unde?* 419
Veſpertilionis *anatome.* 399
latibula. 399
Ab Uffenbach(*Zach.Conr.*) *laudatus.*285
VIANIS *quid in lapide?* 99
Vicarii *generalis electio ſuſpecta & impugnata.* 195
De Vicariis *Imperii eorumque juribus.* 545
S. Victoris *Maſſil. geſta.* 326
Victorum *corpora olim a victoribus conculcata.* 214
Viennæ *obſidio Turcica acerrima.* 479
Vinci (*Leonh.*) *Lucubrationum Tomi XII MS.* 100
apud Franc.IR.G. & Jacob.IR. A. exiſtimatio. 100
Vini *calidi præſtantia.* 222
ſpiritus probatio. 454
uſus & affectus. 175
Viperæ *ſe mutuo mordentes quid notent in gemma.* 460
Virgilius *cum not. Petrarchæ.* 100
illuſtratus. 419
Virgilii *Ecloga IV num agat de Chriſto?* 113
Virtuoſarum *actionum eligendarum regulæ.* 354
Virtus *creaturæ quando divinæ æqualis.* 355
plantarum ex ſtructura dijudicanda. 272
Vis *centripeta & centrifuga quid?* 463
elaſtica unde? 135
inſitæ in quo conſiſtat. 541
Viſci *querni decocti efficacia.* 404
Viſus *vitiati phænomena.* 134
Vita *an in ſanguine conſiſtat?* 314
Vitæ *doctorum Gymnaſii Patavini alumnorum.* 52
eruditorum novæ. 488
Vitalis (*Jul.*) *epitaphium emendatum.* 106. 254
Vitalis (*Lud.*) *Var. Lect. Juris Civ. Libri II.* 58
Vitii *gradus ſummus.* 353
Vitiorum *ordinariorum fons.* 354
Vitra *cauſtica an veteribus nota?* 172
poliendi praxis. 135
Viviani (*Vinc.*) *vita Galilæi.* 521
Ulmi *corticis vis ad hydropem.* 404
Umbilicalium *vaſorum ruptura in paſtu.* 402
Umbra *retrograda in ſciateriis ſub zona torrida.* 171
Unio *particularum in corporibus a vi attractrice.* 463
Vocis *augendæ olim in theatris ratio.* 11
Volatilitatis *explicatio.* 135
Voluntas *ad bonum immutabiliter determinata.* 228
Vomitus *lacertæ aquaticæ.* 401
ex faſcino. 401
De Vorſtio (*Conr.*) *memorabilia.* 416
Vortices *Carteſiani rejecti.* 466
Voſſius (*Iſ.*) *notatus.* 257
Voſſii (*Iſ.*) *Codices MS. Joſephi in Bibl. Lugd. Batavam translati.* 386
Urbinatis *altitudo poli determinata.* 246
In Urbinatum *hiſtoriam Comment.* 244
Ureteres *utrique a calculo obturati.* 402
Urina *frigida in febre maligna.* 401
per foramen colli veſicæ excreta. 402
chyloſa ex ventriculi debilitate. 402
Urinæ *ſtillicidium a partu difficili.* 402
Urna *in primo ſuperficiei ſtrato inventa communis buſti indicium.* 374
Urnæ *nuper inventæ.* 374. 375. 376
Uſſerius (*Jac.*) *notatus.* 146
Uſucapio *uxorum contra Thomaſium probata.* 370
Uterus *in gravidis ſit craſſior.* 399
Uteri *excreſcentia ſcirrhoſa.* 477
prolapſi reſectio. 405
ruptura in partu difficili. 402
Ex Vulnere *levi mors.* 401
capitis mania. 401

Uxor

Digitized by Google

Uxor *quo casu possit cum alio concumbere?* 317
tantum, & quæ in manu est, ut differant? 370
tantum quanam? 370
De Uxore *Rom. Tract. novus.* 360 *sq.*

WAchteri (*J. G.*) *explicatio gemmæ singularis.* 460
Wallisii *Arithmetica infin. laudata.* 455
Wasmuthi *& Conringii liter.* 437
Welschii (*Ge. Henr.*) *Supplem. ad Bibl. Gesner.* 283
Wendii (*Georgii*) *Dissertat. collectæ.* 517
Wernerus (*Dan. Gottfr.*) 88
Westmonasteriensis *Abbatiæ & templi historia & antiqu.* 241 *sq.*
Whartonus (*Henr.*) *notatus.* 146
ejus obitus. 243
Whistoni *explicatio naturæ commendata.* 413) (*rator.* 92
Wilhelmus III *R. Angl. monetæ restau-*
Willerami *Abb. Eberspergens. obitus.* 148
Paraphrasis Cantici Cant. 148
Wirtemberg. *Ecclesiæ Confessio & Articuli.* 423 *sq.*
Wittenii (*Henning.*) *Historia Philos. Compendium.* 522
Wolfius (*Christian.*) *a Spinosismo absolutus.* 229
Wolfæus *nomen suum nummis publicis adjecit.* 58
Woodwardi *sententia de mineralibus & metallis improbatur.* 465
Wottoni (*Guil.*) *vita Th. Burneti.* 52

XEnophon *Ephesius promissus.* 19

ZAcharias, *pater* (*Jo. Bapt.*) *num fuerit summus sacerdos?* 154
Zaluskii (*Andr. Christoph.*) *mors & epitaphium.* 481
Zeringensium *Ducum titulus* 100
Zoroastres *quando vixerit?* 256 *sq.*
duo fuere. 257

Prodiit cum M. Decembri Supplem. Tomi IX Sectio octava, qua continentur 1) *R. Cumberlandi* Origines gentium antiquissimæ, Londini 1724, 8. 2) *G. Frid. Richteri* Methodus nova atque universalis comparandi series figuratas & potentias quascunque numerorum naturalium; 3) *Jo. Georgii ab Eckhart* Dissertatio de Apolline Granno Mogouno in Alsatia nuper reperto, Wirceburgi 1727, 4. 4) De Epistolis a *Jo. Hevelio* & ad ipsum scriptis adhuc ineditis Narratio epistolica ad J. B. M. missa Petroburgo a *J. P. Koblio*, Prof. Acad. Petrob. publ. 5) *D. Christfridi Waechteri*, JC. Responsio ad Præfat. a Jo. Alberti Periculo suo Critico præmissam. 6) *Friderici Frezzi* Poema morale de quatuor Regnis. Tomi II Fulginei, 1725, 4.

ERRATA.

Pag. 39 lin. 22 pro *e dia* l. *edi a*; p. 41 lin. 16 lege *casulas ligneas*; p. 86 lin. 3 pro *duplicem* l. *triplicem*; p. 121 lin. 18 pro *qui* l. *quia*; p. 148 lin. 32 dele *cum*; p. 187 lin. 16 pro *exigua* l. *mediocri*; p. 316 lin. 25 lege *Volumine III.*; p. 322 lin. 32 l. *fugavit*; p. 394 lin. 20 lege *Medici*; p. 447 lin. 1 lege *versionis*; p. 496 lin. 20 l. *ἀνθρώπων*; p. 497 lin. 24 l. *verbosum*; ibid. lin. 27 ita distingue: *Rectius: Alexander*; p. 498 lin. 26 l. *σαλευομένων*; p. 499 lin. 15 l. *μάμνηται Ἰόβας*; ibid. lin. 16 *σανδαρακὴ*; p. 500 lin. 8 pro *ex* l. *&*; ibid. lin. 9 l. *ἀπολαύειν*; ibid. lin. 20 post *aliis* adde: *inprimis Meursianis passim*; ibid. lin. 23 pro *in proximum Mensem* lege *in Sect. VIII Tom. 9 Suppl. p.* 370; p. 502 lin. ult. lege *sylva.*

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK

Digitized by Google

Digitized by Google